UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse Licitus

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Pars Secunda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-77827

Visual Library

R. P.

ANTONII TERILLI

SOCIETATIS JESU

REGVLA MORVM

SIVE

TRACTATVS

De sufficienti ad conscientiam ritè formandam regula.

PARS SECUNDA.

HANC *Partem incipio ab illis quæstionibus, quas Celladeus libro tertio primæ Partis complexus est. In eadem involvam non solum quæstiones, quas quartus ejusdem Partis liber continet; sed eas etiam, de quibus Adversarius mirum in modum gloriatur, nempè quæstiones de peccatis ignorantiæ, quas in primo libro secundæ Partis congessit. His autem confutatis, quidquid contra benignam sententiam opposuit, penitus deletum invenietur, & veritas sententiæ benignæ ab omnibus clarissimè conspicietur. Sit ergo.*

QUÆSTIO TRIGESIMA-NONA.

Vtrùm probabile explicatum, aut opinio probabilis sufficiat pro regulanda conscientia?

Regula morum à Celladeo tradita, quæ?

1. CELLADEUS tertium suum librum ab hac quæstione orditur. Cùm enim antea definivisset probabilitatem realem ac positivam (in qua tamen definienda in multis erravit ut visum est) mox quærit an illa sit apta conscientiæ dirigendæ regula? Respondet autem, *quod sit regula cum onere*: est regula, quia eligi potest pro conscientia dirigenda, eo quòd in rebus humanis, quæ in pluribus sunt incertæ, non sit convenientior regula, cùm plerumque non fallat. Cæterùm cum aliquando fallat, hoc onus annexum habet, ut in peculiaribus casibus attentè consideret homo, an regula illa exceptionem habeat. Tanti enim est non operari contra legem Dei, ut qui hanc regulam sequitur, dictum onus subire debeat, ne periculo se exponat, & peccet. Demùm asserit, quòd probabile hoc modo explicatum sit recta conscientiæ regula in omni & in qualibet materia.

Regulæ Celladei re? ipsa nil aut parum discrepat à communi sententia.

2. Hæc est substantia doctrinæ à Celladeo traditæ, quam cùm lego, miror quid sibi voluerit in impugnanda sententia benigna. Certum enim est, quòd illa juxta hanc illius doctrinam sit regula sufficiens conscientiæ, ut mox videbimus. Rursùs, revera parum aut nihil discrepat à communi omnium sensu, quamvis immensùm ab illa recedere sibi videatur. Cæterùm adjunxit novum terminum *cum onere*, ne nil singulare docere videretur, cùm tamen omnes illam exceptionem reipsâ ponant. Immò, quod plus est, omnes fermè expressè declarant, quando, quos, & cur urgeat? Item exponunt, quomodo non sit propriè annexum opinioni probabili; nisi enim talia declarentur, doctrina de regula ad nil fermè deservit. Hæc tamen omnia, etsi maximè præstanda sint, ut regula proposita operi regulando deserviat, à Celladeo omissa sunt, ut mox perspicietur. Quare ut doctrinam illius examinem, simulque veritatem controversiæ principalis proponam, sit

ASSERTIO PRIMA.

Opinio certò practicè probabilis, quam proximè definivimus, est regula congrua actionum humanarum, & pro conscientiâ licitè formandâ sufficit.

PROBATUR primò omnibus argumentis, quæ supra attulimus *quæst. 2.* similiter omnibus illis, quæ *in toto tract. de consc. prob. coacervavimus, quæ non sunt hîc repetenda, videantur suis in locis.*

Rationes Celladei.

3. Probatur secundò afferendo ea, quæ Celladeus ad hoc probandum allegat. Inprimis lex humana est regula, & tamen lex humana in multis exceptionem patitur, & per Epiikiam seu per æquitatem corrigenda est: sic lex præscribit depositum esse reddendum Domino illa reposcenti: nihilo minus gladius depositus non est reddendus Domino, si sit furiosus, quando eum reposcit. Ratio est, quia lex humana fundatur in probabilitate, non enim habet materiam necessariam sed probabilem; solùm enim jubet quæ plerumque fieri expedit, & solùm prohibet, quæ plerumque sunt noxia; ideoque aliquando sed rarò deficit, hinc aliquando per æquitatem seu Epiikiam corrigenda est. Ecce lex humana non est minùs defectibilis, quàm probabilitas; est tamen regula conscientiæ & humanorum actuum. Ergò probabilitas apta est, ut sit regula conscientiæ & actuum humanorum. Cæterùm sicut defectibilitas legis secum trahit necessitatem emendationis seu correctionis per Epiikiam, quod est onus talium legum; ita defectibilitas opinionis probabilis infert necessitatem circumspiciendi, an in hoc vel illo casu peculiari fallat; & hoc est onus opinionis. Et sanè nemo prudenter plus concesserit opinioni probabili quoad securitatem conscientiæ, quàm dictis legibus. Ergò sicut iniquè & temerè ageret, qui semper vellet juxta verba legis procedere, ita pariter temerè ageret, qui sine ulla exceptione stare vellet opinionibus probabilibus.

Prima à paritate legis, quæ est regula, sed aliquando deficit.

4. Secundò sic arguit, scientia moralis est regula actuum humanorum: At scientia moralis non habetur totaliter per demonstrationes, quia maximâ ex parte objectum illius non est demonstrabile, ut omnes cum Aristotele expresè fatentur. Ergò scientia moralis maxima ex parte solùm consistit in opinione probabili, quæ illa probat ut bona, quæ plerumque sunt talia, & illa reprobat ut mala, quæ plerumque sunt inhonesta. Ergò opinio probabilis est regula conscientiæ & actuum humanorum. Unde sequitur etiam, quod conflatum ex multis opinionibus probabilibus sit regula apta ad regulandam conscientiam, quia qui illam sequitur in plerisque non errat, ideoque inspectâ conditione humanâ & rerum incertitudine, prudenter operatur qui talem regulam sequitur. Citat etiam S. Thomam *2. 2. quæst. 70. art. 2.* ubi S. Doctor expresè dicit, certitudinem in omni materia quærendam non esse, quia actus humani sunt circa contingentia & variabilia, de quibus haberi non potest certitudo demonstrativa, & *ideò sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, & sic in paucioribus à veritate deficiat.*

2. Ratio.

Scientia moralis est regula morum, non est autem nisi probabilis.

3. Ratio.

Probabilitas sufficit in rebus humanis magni momenti.

5. Tertiò sic procedit. Probabilitas sufficit in rebus humanis etiam magni momenti ad prudenter operandum: nam quilibet prudenter fidit se Medico & Chirurgo, qui plerumque & ut plurimùm rectè curant, nisi aliqua adsit exceptio in contrarium. Idem evenit in venditionibus, emptionibus, aliisque negotiis humanis. Ergò idem etiam locum habet in negotio conscientiæ & materiâ morum, quia est supra humanam capacitatem, velle plus in doctrina morum.

6. Quartò urget hoc modo: unusquisque absque ullo vitio intellectûs rectè opinatur circa probabile ab extrinseco; absque dubio enim omne probabile ab extrinseco est absque ullo defectu ac vitio credibile. Ergo nullus est defectus, nullum vitium in intellectu, eo quòd talia credat ac opinetur. Ergò nec erit defectus in voluntate, utpote quæ non regulatur immediatè per legem Dei in se, sed per illam applicatam per rationem humanam, quæ proindè habet rationem regulæ formalis applicantis primam regulam objectivam. At non solùm ratio evidens aut certa, sed etiàm ratio opinativa est ratio humana. Ergò ratio opinativa est regula formalis applicans primam regulam objectivam, seu legem & voluntatem Dei. Ergò voluntas rectè prudenterque se accommodat huic rationi, id est opinioni. Unde Vasquez *t. 2. disp. 58. cap. 2.* sapienter dicit, *sed quia humana diligentia non potest omnia sine errore assequi, & absque ulla culpa aliquando apprehenditur ut bonum, quod malum reipsa est, ut in exemplo superius posito de accedente ad non suam, & in alia accidere potest: ideò illud in re debet dici naturæ humanæ convenire, aut disconveniens esse, quod per rationem probabilem & diligentem proponitur, sive in re ita sit, sive non sit. Rectè igitur S. Thomas in hoc articulo dixit, rationem esse regulam humanarum actionum.* Hæc rectè Vasquez, si error sit invincibilis. Hæc Celladeus §. 3.

4. Ratio. Opinio absque omni vitio ab intellectu, & à voluntate rectè applicat legem æternam.

5. Ratio.

7. Quintò, confirmat argumentum à probabili extrinseco desumptum hoc modo. Rectè creditur alicui, vel aliquibus Doctoribus, & eorum resolutioni statur in doctrina morum, alioquin frustra esset consilium ab illis petere. Ergò rectè statur ac creditur illis, quos difficilè est falli, licet in aliquibus falli possint, & decepti sint. Itaque cùm nemo sit, de quo præsumi aut sciri possit quòd nunquam fallatur, illa auctoritas sufficit ad conscientiam regulandam, quæ plerumque non fallitur, & non nisi rarò deficit; quia in rebus incertis regulam meliorem, conditioniquè humanæ magis idoneam habere non possumus.

Rectè creditur alicui resolutioni Doctorum quamvis aliquando fallat.

Argumentum Celladei ab expositio legis non pertinens.

8 Ego quatuor ultimis rationibus libenter subscribo, quia rationabiles sunt & veræ, & ab omnibus quoad substantiam communiter asseruntur: sed prima, quæ Celladei propria speculatio est, ipsique efficacissima videtur, non arridet; longè enim dispar ratio est inter legem & opinionem probabilem, quia lex non præcipit nisi certò honesta. Probabile autem, de quo hîc loquimur, semper versatur circa res, quarum honestas est incerta, ac proinde de quibus est suspicio, an sint inhonestæ. Itaque ex eo quòd lex sit regula, quamvis non adeò universaliter dirigat, quin exceptioni subjaceat, non sequitur opinionem minùs tutam esse posse regulam; quia ideò lex est regula, quia dirigit ad certò honesta, & tunc solùm habet exceptionem, quando legislator ex ignorantia erravit, ferendo legem sub terminis universalibus, non prævidens casum aliquem particularem, quem si prævidisset, eum excepisset, & non ita universaliter locutus fuisset. Audi Aristotelem *5. Ethic. cap. 10. Cùm igitur lex universaliter quidem loquitur; in hisce autem præter universale quidpiam accidit, tunc rectè se habet, ut ea parte, qua Legislator omisit, atque peccavit absolutè*

locutus

locutus, emendetur defectus. Quod si ipse Legislator adesset, hoc modo dixisset, & si scivisset, jubentem legem tulisset &c. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 120. & cum eo Theologi Aristoteli subscribunt. Itaque lex exceptionem habet; quando certò constat, voluntatem Legislatoris ad omnia sub universalibus legis terminis comprehensa non extendi. At quid hoc conducat ad probandum, quòd umquam liceat sequi opinionem probabilem minùs tutam, non apparet; quia in usu opinionis, semper imminet aliquod periculum contraveniendi voluntati Dei, cùm in Epiikia nullum sit ejusmodi periculum, sed contrarium certò constet. Similiter extra casum Epiikiæ certum est, sequentem verba legis non peccare, ergò paritas hæc non probat intentum.

Exempla Celladei incongrua sunt ad doctrinâ ipsius confirmandam.

9. Rursùs Celladeus loquitur de lege humanâ, contra quam datur exceptio, & profert exempla de lege divina, ut de redditione depositi, de restitutione commodati, &c. At absurdum videtur ita comparare legem divinam cum opinione probabili, ut utraque ex æquo censeri debeat regula humanorum actuum, quia lex divina est certa ac indubitata regula clarè manifestans quæ voluntati Dei certò consonant. Opinio autem probabilis nunquam certificat de honestate operis propositi, ut patet. Porrò unica exceptio contra opinionem est hæc ipsa incertitudo & fallibilitas, quæ nunquam deest. Ergò semper adest exceptio contra probabilem opinionem, & videtur quòd nunquam liceat illâ uti. Saltem licitus ejus usus non probatur à paritate legis, contra quam tunc solùm datur exceptio, quando lex non amplius proponit voluntatem Legislatoris, sed circumstantiæ indicant Legislatorem oppositum voluisse. Demùm eadem est ratio de lege humana, quæ in multis non magis obnoxia est exceptioni, quàm lex divina, utpatet. Ergò paritas hæc à defectibilitate legis translata ad defectibilitatem opinionis, non probat opinionem esse idoneam actionum humanarum regulam.

Argumentum Celladei incongruum.

10. Demùm peto à Celladeo utrum Epiikia tunc solùm habeat locum, quando certò constat voluntatem Legislatoris ad hunc casum non extendi? an etiam quando solùm probabile est, quod ad hunc casum non extendatur? si solùm admittat primum, evidens est argumentum à paritate nil valere, cùm in omnibus sit evidens disparitas: si admittat secundum, eo ipso subscribit benignæ sententiæ, quam impugnat; quia admittit interpretationem probabilem de intentione Legislatoris contra expressa ejus verba sufficere ad conscientiam debitè formandam, quod quidem à multis benignæ sententiæ Auctoribus traditur, sed à Celladeo toto opere negari videtur. Præterea affert exemplum dubium, quia adversarii æquè dubitant, an in hoc ac in ullo alio casu liceat sequi opinionem probabilè? Ergò hoc probandum erat, non supponendum tanquam principium, ad illud idem in aliis similibus Casibus inferendum. Itaque prima illa ratio nil probat.

Celladeus tenetur propriis argumentis respondere, & inconsequenter procedit.

11. Est & aliud, in quo Celladeus arguitur inconsequenter processisse, scilicet quòd ipsemet solvat objectiones præcipuas, quas contra benignam sententiam intorserat, & quidem ita illas solvit, ut eadem solutio nullo verbo dempto æquè quadret benignæ sententiæ ac opinioni Celladei. Juvat unum vel alterum exemplum afferre. Inprimis objicit Augustinum contra Academicos, improbantem usum probabilium, ac dejerantem, nescire prorsùs se, quomodo omnia peccata non sint cohonestanda, si quisquis id agit, quod probabile videtur, non peccat. Respondet primò, probabile Academicorum fuisse laxius, quàm probabile ab ipso assertum. Deindè respondet Augustinum invehi contra probabile solùm apparens. sed quid? nonne hoc æquè quadrat in nostram sententiam, quam Celladeus ex hac ipsa Augustini auctoritate, tanquam argumento penitùs insolubili impugnat? evidens profectò est, nostrum probabile esse incomparabiliter strictius probabili Academicorum. Kursùs nos dicimus, solum probabile verum ac certum esse regulam conscientiæ. Nec minus vera est probabilitas, quam nos ponimus, quam quæ à Celladeo proponitur, ut constat ex dictis, atque ex dicendis melius constabit.

Objectio contra Celladeum.

12. Objicit secundò. De natura probabilium est ut in aliquibus deficiant. Ergò regula probabilitatis in aliquibus deficit. Ergò qui juxta illam multoties, v. g. centies operatur, aliquoties deficit. v. g. decies aut quinies, & reipsa toties operatur contra legem. Ergò qui illam eligit pro regula vitæ, & vult secundum eam vivere ac centies operari, eo ipso sponte vult decies aut quinies deficere ab honesto, & operari contra legem Dei. At hoc velle est peccatum non materiale tantùm, sed etiam formale. Ergò probabile non potest eligi pro regula conscientiæ. Ergò non est conscientiæ regula. hoc ipsum argumentum contra nos objecit in superioribus, jam autem ipsemet tenetur illud solvere.

Celladeus non satisfacit argumento.

Respondet argumentum non urgere ipsum, qui expressè docet, quod probabile non sit regula, nisi sumatur cum onere benè videndi in singularibus casibus, an aliquid reperiatur legi Dei contrarium. Ita ille: nec aliud respondet. Verùm non satisfacit, nam argumentum æquè urget contra hominem operantem cum tota hac diligentia; nam positâ diligentiâ adhuc objectum non est certum, sed solùm probabile. Ergò adhuc subjacet inevitabilitati errandi aliquoties. Ergò non solvit argumentum. Et sanè quomodo solvitur argumentum per replicam, quæ & in terminis & ex ipsa suppositione eidem inconvenienti subjacet, ad quod arcendum affertur? Itaque concludendum est, Celladeum non solvisse argumentum, quod prius contra nos, nunc contra seipsum proposuit: Et sanè difficilè, ni dicam impossibile est, ut in suis principiis argumentum solvat, nisi, illis relictis, ad benignam sententiam recurrat, & juxta illius doctrinam respondeat proportionaliter ad ea, quæ nos huic argumento supra respondimus.

Alia replica sed insufficiens.

13. Quòd si dicat, ut alibi insinuat, sed hîc non proponit, solam probabilitatem veracem & veram esse regulam, fallacem verò & fallentem à ratione regulæ deficere, & se hoc intelligere per onus, quod opinioni adjungit, jam sibi apertius contradicit, quia ponit regulam indiscernibilem, cùm nemo determinatè scire possit, quod probabile hîc & nunc propositum sit verum. At regula debet esse discernibilis. Ergò ponit regulam non regulam. Præterea sic arguo. Vel onus adjectum postulat, ut non operemur, donec certificemur, quòd opus non sit contra legem. Vel solùm exigit, ut probabiliter hoc concludamus. si primum, Ergò probabile nunquam est regula, sed sola certitudo, & tunc Celladeus docet contradictoria: si secundum, probabile quidem erit regula, sed argumentum non solvitur, quia necesse est, ut in magna multitudine talium opinionum ac resolutionum aliquoties erretur. Nec oppositum prudenter sperari potest.

Alia objectio, cui non satisfacit.

14. Objicit tertiò : Conspiciat venator animal à longè, quod existimet esse lupum. Adsint cum eo viginti homines quoad perspicaciam visus ac veracitatem &c. prorsùs æquales, quorum octodecim dicant, animal illud esse feram, duo verò dicant esse hominem. In hoc casu venator peccaret, si sagittam in animal illud emitteret. Et tamen probabile est illud animal non esse hominem, quia longè difficiliùs est octodecim falli quàm duos, cùm plerumque contingat illos non falli. Ergo non licet sequi probabile. Ergò probabile non est regula.

An & quomodo venator emittere possit sagittam ad interficiendam feram, quando non est certus, quod animal illud non sit homo?

Respondet primò, retorquendo argumentum, quia si venator unum tantùm habeat socium, qui vel sit vicinior animali, vel perspicacioris visus, & testetur animal esse lupum, non peccat venator sagittam emittendo, tamen non habet certitudinem, sed solùm probabilitatem. Ergò sufficit probabilitas Huic responsioni tam crudè propositæ non est fidendum, quia non est sola probabilitas, quæ illum excusat, quia probabilitas rectè cohæret cum aliqua exceptione in contrarium. sic quando litigatur de facto aliquo, illud probabile est, quod quatuor testes deponunt contra duos penitùs æquales, & sufficit ut judex juxta illud sententiam ferat, ut constat ex doctrina supradicta de testibus, nec quisquam de eo dubitat. Idem valet quando testes sunt numero æquales, sed dignitate & qualitate inæquales, standum enim est judicio illorum, qui magis qualificati sunt. Et tamen venator peccaret, si sagittam emitteret, casu quo quatuor tanquam testes de visu jurarent animal illud esse lupum, si duo ejusdem qualitatis tanquam testes de visu deponerent, illud esse hominem. Ergo probabilitas non sufficit. Ergò replica Celladei non solvit argumentum, quia non est sola probabilitas in casu illo, quæ excusat, sed summus probabilitatis gradus, talis nempe contra quem nulla potest esse prudens suspicio aut timor deceptionis. Talis est casus ab illo propositus in replica. Ergò si illi stetur, nunquam licebit in rebus controversis sequi probabile, quando sunt argumenta in contrarium.

2. responsio.

15. Respondet secundò, negando quod in casu illo ulla detur vera probabilitas, quia rarissimum est, quod homines æquali visus perspicacitate prædicti, ex eadem distantia idem objectum contemplantes ita discrepent, ut duo negent, quod octodecim affirmant. Unde licet in genere octodecim faciant probabile contra duos, id tamen locum non habet nisi in illis circumstantiis, & circa tale objectum, de quo contradictiones contingere possunt, non verò in illis circumstantiis, & circa illud objectum, de quo rara & vix possibilis est contradictio. Itaque casus iste procedit de probabilitate tantum apparente. Ergò non contrariatur usui probabilium.

Illius insufficientia.

Hæc responsio aliquid habet apparentiæ, non tamen plus soliditatis quàm prima. Inprimis falsum est, quod in istiusmodi rebus frequentes contradictiones non eveniant. Quid enim frequentiùs, quàm homines è longinquo videntes animal discrepare inter se de specie, etsi conveniant de genere? Nec dicas, eos tunc non esse paris perspicacitatis, nam unusquisque prætendit, se alteri in perspicacitate non cedere, ergò quoad nos sunt talis perspicaciæ. Quòd si detur aliqua diversitas, credibile est majorem perspicacitatem latere inter octodecim, quàm inter duos, & tamen non licet sequi judicium octodecim contra duos, quamvis certum sit, veritatem plerumque esse ex parte illius, quod in tali casu ab octodecim æqualis aut etiam majoris perspicaciæ quoad nos affirmatur contra duos. Ergò absque dubio vera probabilitas non deest in casu.

Replices ex alio capite sufficiens.

16. Rursùs esto, in casu isto, in quo nemo perfectè rem discernit, affirmatio octodecim contra duos non fundet probabilitatem, evidens tamen est, quod octodecim faciunt probabile contra duos, quando omnes deponunt tanquam testes de visu. Sit ergò casus, quòd viginti illi sint testes de visu, qui adierunt locum, in quo animal illud latet inter vepres, & postea ita deponant contraria, ut octodecim jurent quòd sit lupus, duo jurent quòd sit homo. In hoc casu non licebit sagittam emittere, & tamen illud probabilissimum est, quod octodecim affirmant, immò probabile esset, quamvis tantùm quatuor contra duos illud affirmarent. Et quidem hoc est probabile nimis frequenter contingens, nimis enim frequens est, quod testes in judicio contraria deponant. Ergò Celladeus non solvit argumentum.

Solvitur argumentum.

17. Ego ergò aliter respondeo, & dico inprimis, objectionem incongruè propositam fuisse à Celladeo, quia parùm refert, quòd duo discrepent, vel omnes conveniant; si enim omnes ita distent, ut nec sagittarius ipse, nec alii tam perfectè rem discernant, ut moraliter certi sint, animal illud non esse hominem, non licebit sagittam emittere. Ratio est, quia in tali casu solùm dicunt se putare, quòd animal illud non sit homo, cùm nemo certus sit quod sit fera. Rursùs fatentur assertionem suam non esse talem, quin adsit rationabilis timor ne fortè errent. At propter tam debilem probabilitatem, contra quam viget dicta suspicio, non licet emittere sagittam cum tali periculo occidendi hominem. Et hoc verum est, sive duo discrepent, sive omnes conveniant in sua assertione, ac proinde reddant probabile quod dicunt.

E contra si omnes essent testes de visu, aut aliqui haberent tubum opticum, quo evidenter discernerent animal illud esse lupum, & hoc unanimiter deponerent tanquam testes de visu, utique tunc liceret sagittam emittere; peccaret tamen illam emittendo, si duo tanquam testes de visu contradicerent, etsi eorum contradictio non tolleret maximam probabilitatem ab assertione aliorum. Ergò falsum est, quod probabilitas sit recta conscientiæ regula in omni & in qualibet materia.

Argumentum non tangit benignam sententiam.

18. Itaque respondeo, argumentum non solùm non impugnare benignam sententiam, sed ne quidem illam attingere. Ratio est, quia argumentum procedit de probabilitate speculativa; benigna autem sententia solùm loquitur de probabilitate practica, id est, argumentum probat probabile esse, quòd animal illud non sit homo, non autem probat, quod stante periculo illo, liceat sagittam emittere ad illud occidendum. At benigna sententia solùm docet practicè probabilia, seu ea, quorum honestas est probabilis, esse licita. Nos itaque distinguimus inter probabilia, & dicimus sola practicè probabilia esse rectam conscientiæ regulam in omni materia. At Celladeus insurgit in nos tanquam in homines periculosissimæ laxitatis, cùm loquamur cautissimè; ipse verò in laxissimam, ac pro laxitate prorsùs intolerandam sententiam prorumpit, dum absque ulla distinctione asserit probabile in omni & qualibet materia esse rectam conscientiæ regulam. Quid hoc asserto absurdius? Quid

reipublicæ

Celladei regula, ut jacet, & ut verba sonant, est evidenter falsa, & latitatis non ferendæ.

respublicæ noxium magis ? Profectò hinc sequuntur absurda ab Augustino contra Academicos proposita. Probabile est ejaculationem sagittæ in casu à me proposito non inferre homicidium. Ergò licebit illud ejaculare ; & sic aliquando licebit homicidium in tali casu. Rursùs probabilè est, quòd filigo sit materia validæ consecrationis. Quis ideò dixerit, licitum esse uti tali pane pro arbitratu ad consecrandum ? Innumera talia sunt, Celladee, quæ probabilia sunt in multis materiis, neque tamen opiniones illæ sunt recta conscientiæ regula. Næ tu malus es doctrinæ morum censor & corrector, qui rejectâ rationabili regulâ, quam cum exacta ac præcisa exceptione proponimus, aliam sine ulla exceptione substituis, quæ ut jacet in terminis est evidenter falsa, atque adeò absurda ac rationi dissona, ut nemini placeat, cùm omnes contra illam ut prorsùs intolerabilem clament. Ex hisce autem absurdis nunquam te eripies, nisi ad distinctionem à nobis semper inculcatam recurras, & ad probabilitatem practicam sententiam tuam limitaveris.

Ratio cur venatori non liceat sagittam emittere in tali casu.

19. Quod si quæras, quare in casu allato non sit probabile, quòd liceat sagittam emittere, cùm probabile sit homicidium tunc non esse committendum ? Respondeo inprimis, id ad meum intentum non spectare, quia semper loquor ex suppositione, quòd objectum sit certò probabiliter licitum, seu certò practice probabile, undecumque demùm illa practica probabilitas derivetur ; esset autem nimis longum & arduum quæstionem hanc in singulis materiis determinare. Non ergò teneor causam hujus rei assignare. Nihilominùs respondeo secundò, causam hujus rei in casu præsenti esse facilem & obviam. Inprimis sunt duo objecta realiter distincta, animal illud non esse hominem, & ejaculationem sagittæ esse licitam, & quidem realiter separabilia ; nam si judicem animal esse hominem, haud dubiè non licitè jaculum emitto, etsi errem in meo judicio. Itaque sicut à veritate primi non infertur veritas secundi, ita nec à probabilitate primi infertur probabilitas secundi. sed juvat rem strictiùs proponere. Hîc & nunc ejaculare sagittam est inseparabile ab occisione illius animalis, ut suppono. Cur ergò si sit probabile, quod ejaculare non sit hominem interficere, non est etiam probabile, quod licitum sit ejaculare ? Respondeo istas etiam denominationes esse separabiles, quia denominatio probabilitatis, quòd actio illa non sit homicidium, sumitur à testimonio hominum fide dignorum : at quod sit licita, est denominatio, quæ sumitur à lege permittente, aut certè à negatione legis prohibentis actionem illam. At in casu nostro adest lex, in omnium cordibus scripta, expressè prohibens talem actionem in istis circumstantiis. Lex hæc illo axiomate continetur, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quis autem in tali loco constitutus non esset rationabiliter invitus, ne alius in talibus circumstantiis contra se sagittam emitteret ? Nemo certè. Ergò cùm tu rationabiliter exigeres ne id tibi fieret, lege naturæ notum est, quod & tu à tali actione adversus alterum tenearis abstinere.

Alia ejusdem rei ratio.

20. Rursùs certum est, quod Deus homicidium prohibuerit. Ergò ubi periculum est, ne homicidium fiat, & lex Dei violetur, vel omittenda est actio, vel certè ponenda non est, donec veritas rei tanta diligentia investigata fuerit, quantam & qualitas negotii, & humana conditio postulant, ut sic veritas ipsa, si fieri possit, certò innotescat. Certùm enim est, quod detur obligatio aut tutiora sectandi, aut ad ipsam veritatem, quantum humano modo possumus, enitendi. At in casu præsenti tanta diligentia præmissa non est, nec veritas quantum fieri potest quæsita est ; facillimum enim est tam dubiis attestationibus non credere, sed locum adire, atque ipsam veritatem certò investigare, quia facilè sciri potest. Atque hinc est, quòd in tali casu nunquam liceat sagittam emittere. Certè si in omni re tam facilè certò sciri posset voluntas Dei, sicut in isto casu, nunquam liceret minùs tuta sectari, sed in omnibus ipsa veritas quærenda foret. Jam hoc est onus, ad quod tenemur in similibus, quo non impleto, nunquam est probabile, quod objectum ejusmodi sit licitum. Quod cùm adeo perspicuum sit ; mirum est, quod Celladeus, ut responderet huic argumento, non reflexerit ad peculiarem propriæ suæ sententiæ notam, & dixerit ideo hoc non licere, quamvis sit probabile, quia probabile non sufficit, nisi onus impleatur, quod certè in casu impletum non fuit. sed Celladeus de hoc tacuit, ac si propriæ sententiæ oblitus fuisset, & ad nescio quam speculationem malè fundatam se convertit, negando tale testimonium fundare probabilitatem, quod certè in hoc omnique alio casu prorsus simili est evidenter falsum.

Celladeus non respondet consequenter ad propria principia.

Plus requiritur in venatore ad jaculandum, quàm in judice ad condemnandum.

21. Cæterùm ex eo evidenter infertur hanc esse legitimam hujus rei rationem, quòd judex procedere possit contra reum, quem ex viginti testibus octodecim absolutè condemnant, etsi duo illum innocentem pronuntient ; & tamen non liceat venatori sagittam emittere, nisi major ei certitudo affulgeat. Ratio est, quia judex fecit, quod potuit, omnemque humanam diligentiam adhibuit, ut ad veritatem certò sciendam perveniret. Ideoque post illam præmissam potest & debet se regulare secundùm allegata & probata. At venator facilè potest majorem certitudinem adhibere ; quam si omittat, non minùs peccat, quàm peccaret Judex hominem condemnando, si ipsius veritatis indagationem omitteret, quando tanta facilitate posset veritatem ipsam certò invenire, sicut potest venator in casu præsenti.

Malum imminens reddit emissionem sagittæ illicitam, & sententiam judicis justam.

22. Quod si supponas venatorem esse cis fluvium profundum, mediisque illum transfretandi carere, ideoque omnem diligentiam humanam hîc & nunc sibi possibilem adhibuisse ut veritatem sciret, atque ab octodecim testibus de visu audiret, animal illud esse lupum, contra duos testes de visu contendentes quod sit homo, neque dum illi licebit sagittam emittere, quia magnitudo mali, quod timetur, adeò præponderat bono, quod ex illa actione speratur, ac malo, quod ex illius actionis omissione imminet, ut ratio statim dictet actionem illam esse omittendam, quia bonum speratum est valdè exiguum, malum autem imminens est summum & alterius prorsus rationis, consistens in jure personali, pro cujus violatione permittenda, nulla unquam dari potest præsumptio. Contra verò in casu judicis eadem prorsus probabilitas sufficit, ut ipsi liceat reum punire, quia malum quod immineret, si juxta allegata & probata non liceret procedere, esset incomparabiliter majus, quàm malum quod timeri posset ex fortuita & rara innocentis occisione. Certè si tanta convictio non sufficeret, tota respublica nefariis hominibus abundaret, nec ullum superesset remedium ad innumera homicidia, furta, aliaque flagitia ex hoc ipso impendentia

pendentia evitanda, quia impiis non adeò difficile foret, invenire duos vel tres complices, qui in favorem illorum falsum deponerent, & sic illos à pœna libe rarent, à qua liberati audaciores fierent, totamque rempublicam innumeris gravissimisque malis turbarent. E contrà, si in tali casu liceat hominem punire, hæc mala maximâ ex parte evitantur, & ex alia parte aliud malum non imminet, quàm quod in casu rarissimo innocens occidatur, quia rarissimum est quod octodecim contra duos mentiantur in judicio. Præterea in hoc ipso casu raro omnis diligentia præmissa fuisset, & innocens tanta verisimilitudine probaretur malus, ut nemo prudens posset aliud præsumere, quàm quod verè esset reus.

Argumentum Celladei ex æquivocatione formatum.

23. Atque hinc alia Celladei æquivocatio detegitur. Insurgit ille in eos, qui ad probandum aliquid licere vel non licere in rebus incertis, aut in casu probabilitatis, recurrunt ad malum, quod imminet ex actione, vel ejus omissione: *quasi verò*, inquit, *exactissimè nosse oporteat cætera omnia bona & mala, legem Dei verè nosse, aut circa illam errare interesse vel parùm vel minùs.* Præterea, ut alio loco dicit, *materialis violatio legis divinæ satis magnum malum est tum per se, tum quia aliquod bonum per illam intendebatur, quod materiali illius violatione impeditur.* Unde demùm sic concludit. *Certè mihi indubitatum est, id, quod sufficit, ut occisio hominis sit tibi imputabilis & voluntaria, sufficere, quando nulla occisio, sed sola lex adest, ut hujus violatio tibi sit imputabilis & voluntaria. Ergò & formale peccatum.* æquivocatio in eo est, quod loquatur de lege Dei, ac si certò constaret illam existere, cùm tamen res supponatur esse prorsus dubia ac incerta. In his autem, ut videamus an aliqua actio sit prohibita, reflexè procedendum est, cùm quæstio sæpè directè solvi non possit. Sicut ergò omnia lege naturæ vetita, ideo prohibentur quia sunt mala, non ideò sunt mala quia prohibentur: ita in tali casu incerto recurrendum est ad mala hinc imminentia, & bona sperata ex eo, quòd actio in talibus circumstantiis liceat nec ne, & ex illis apparebit an talis actio hîc & nunc sit licita vel illicita, quia alia via illud cognoscendi non suppetit. Certè quando agimus de iis, quæ sunt jure naturæ prohibita, illa prohibitio aliundè non innotescit, quàm ex inspectione mali, quod per actionem aliquam inducitur; ex illo enim statim lumine naturæ inferimus, Deum actionem illam prohibuisse. Unde ergò sciemus an in casu dubii actio aliqua sit prohibita vel permissa, nisi consideremus incommoda & commoda, in quibus talis prohitio vel permissio fundari debet? Certè gratum mihi faciet Celladeus, si independenter ab hac consideratione ostenderit, cur liceat judici scienti & volenti hominem morti addicere ob aliquorum testimonium, & ob eandem planè auctoritatem non liceat venatori, non dico hominem interficere, sed ne quidem remotissimo periculo illum interficiendi se exponere? hæc cùm cogitaverit, & aliam ad difficultatem solvendam rationem non invenerit, quàm magnitudinem mali & boni, ex qua sola scire possumus, an pro istis circumstantiis res sit vetita vel permissa, desinet, credo, insurgere in Auctores, qui ad sciendum an actio aliqua probabiliter bona liceat nec ne, quando certitudo haberi non potest, recurrunt ad damnum tertii, & alia mala ex tali actione imminentia.

In incertis lex Dei reflexè sæpè non innotescit nisi ex malis ac bonis ab actione & prohibitione provenientibus.

Itaque non dicimus tanti esse nosse mala & bona, quanti est scire legem Dei, aut illa tanti, quanti istam, esse facienda; omnia enim contraria docemus. Quod dicimus est, ista duo inter se esse connexa, voluntatem autem ac legem Dei, quæ incomparabiliter pluris est, non nisi per illa mala ac bona nobis innotescere. Hinc autem scimus illa prius consideranda esse, quàm quidquam de ista definiri possit. Quid autem in hoc mali est, quod quisquam meritò reprehendat?

Peccatum materiale quale sit, quando gravius.

24. Rursus quod ad materialem violationem legis divinæ pertinet, fateor aliquod inconveniens semper cum illa connecti: cæterùm dico, puram violationem materialem talis legis, ut. pote involuntariam ac inimputabilem, non tantum mali continere, ut propter aliqualem timorem illud incurrendi, homo teneatur magnis ac inevitabilibus incommodis se gravare; quia illa ipsa incommoda apertè arguunt, directam Dei legem, si quæ sit, hîc & nunc non obligare, sed adesse altam legem reflexam, qua Deus in talibus circumstantiis talem actionem permittit, ne absque ratione sufficienti homo se nimis gravatum agnoscat. Et sanè Celladeus ipse nunquam explicabit, quomodo liceat venatori sagittam emittere ob unius testimonium, qui testis de visu dicit animal illud non esse hominem sed lupum, nisi dicat periculum exignum violationis purè materialis contra legem Dei, non tanti esse, quanti est hominem in omnibus astringi ad partem tutiorem. Si enim illud pluris est, & multò pluris. Ergò præferendum est. Ergò non est postponendum. Ergò qui tale periculum parvi pendit & minoris facit, quàm jacturam suæ libertatis, eo ipso peccat. Ergò nunquam licet sequi probabile. Ergò Celladeus falsum & periculo plenum docet, quando dicit, probabile esse regulam conscientiæ. Ecce homo iste in omnibus propriis argumentis implicatur, à quibus se extricare nullo modo poterit, nisi damnet ut falsa, quæ contra communem sententiam objicit tanquam argumenta prorsus convincentia.

Celladeus propria argumenta implicatur.

Plures rapiuntur in periculum homicidii, quàm tamen noxia mali periculum honestum.

25. Demùm quod per modum conclusionis infert, tanquam rem sibi indubitatam, quod scilicet quidquid facit homicidium imputabile, faciat violationem materialem cujusvis legis divinæ imputabilem, est apertè falsum, doctrinæ. que ipsius prorsus repugnat. Inprimis est apertè falsum, quia judex indubitanter peccaret, si hominem ut reum damnaret, cujus crimen non est prorsus convictum. similiter venator peccaret, qui sequeretur sententiam octodecim contra duos reclamantes, si sagittam emitteret, & hominem casu, ac præter intentionem interficeret. At in aliis negotiis minoris momenti, judex non peccat si ex indiciis levioribus sententiam ferat, quamvis in utroque casu æquè erret, & legem Dei materialiter violet. Ergò indubitatum est, quòd quæ sufficiunt ut homicidium sit voluntarium & imputabile, eadem & minora sufficiunt, ut alia mala non sint voluntaria, nec imputabilia; quia scilicet pauciora in uno casu, plura in alio requiruntur, ut conscientia debitè formetur. Deinde id ipsum sententiæ Celladei expresè repugnat, quia ille docet, quod probabile in omni materia sufficiat. fatetur autem alia esse aliis probabiliora. Rursus ut suam sententiam stabiliat, recurrit ad doctrinam de testibus, ex qua certum est, quod in multis minor probabilitas sufficiat judici, ut licitè sententiam ferat, & excusetur si erret, quàm ut hominem morti adjudicet, & immunis à culpa evadat, si erret. Ergò pro diversis rebus diversa probabilitas

Celladei contradictio.

litas requiritur, etiam sistendo in probabilitate speculativa; & minor probabilitas speculativa sufficit in aliquibus quàm in aliis ad fundandam probabilitatem practicam. Itaque Celladeus in his etiam sibi contradicit.

Dictum Celladei in quo sensu sit verum?

26. Unus solus est sensus, in quo dicta Celladei illatio est vera, & est sensus merè formalis ac præcisivus, quo dicimus debitam diligentiam requiri in omnibus incertis, ut excusemur. Hoc verum est, sed ratio exprimens *debitam diligentiam*, est ratio quædam præscindens à multis inferioribus prorsus inæqualibus, quia major diligentia in aliquibus, minor in aliis requiritur, ut notum est: similiter verum est, quod certa probabilitas practica in omnibus sufficiat, sed longè plus ad probabilitatem practicam in uno, quàm in alio casu requiritur.

ASSERTIO SECUNDA.

Admissâ hac Celladei doctrinâ, benigna sententia est recta conscientiæ regula.

27. PROBATUR. Inprimis non solùm quævis opinio directè probabilis contra improbabilem, sed etiam quævis directè probabilior contra minus probabilem habet omnia à Celladeo, & secundùm veritatem ipsam requisita ad regulam conscientiæ: Ergò quævis ejusmodi opinio est recta conscientiæ regula. Probatur antecedens.

Primo quoad usum opinionis directè probabilioris.

Primò certum est, quod omnes ejusmodi opiniones nitantur motivo seu apparentia intellectuali plerumque non fallente, tum quia alioquin prudentes insipienter fecissent illi assentiendo, quod de viris summis ac diligentissimis, qui rem illam à fundamentis examinârunt, præsumi non potest; tum quia hoc necessariò requiritur ad essentiam opinionis saltem probabilioris, ut constat ex dictis. Deinde scientia moralis ex ejusmodi conclusionibus integratur, nec alia scientia moralis ab homine haberi potest. At scientia moralis est recta conscientiæ regula. Ergò & opinio saltem probabilior. Tertiò in majori hac probabilitate consistit *probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingit, & ideò sufficit*, ut dicit S. Thomas *2. 2 quæst. 70. art. 2.* Quartò unusquisque prudenter stat majori probabilitati extrinsecæ, seu majori Doctorum auctoritati. Quintò, conclusio probabilior est ratio humana, & optimum quod haberi potest in rebus difficilibus & incertis. Ergò est regula proximè applicans voluntatem Dei, seu primam regulam objectivam, & quidem optima, quam habere possumus. Sextò, *omne illud in re dici debet conveniens naturæ humanæ quod per rationem probabilem & diligentem proponitur, sive in re ita sit sive non*, ut ait Vasquez supra citatus. At hoc maximè convenit opinioni probabiliori; & sanè certum est, Vasquez in strictiori sensu non posse intelligi, cùm in terminis admittat, usum opinionis minus probabilis esse licitum. Septimò, rectè creditur alicui vel aliquibus, alioquin instructio ac consilium frustra peteretur ab illis. Ergò rectè creditur illis, quos difficilè est falli, quique plerumque non fallunter. Tales sunt opiniones & auctoritates probabiliores. Ergò rectè illis stratur, nec in rebus incertis melior regula aut homini magis idonea haberi potest. Demùm quidquid Celladeus attulit ad probandum, suum probabile esse rectam conscientiæ regulam, id omne æquè probat, opinionem probabiliorem in sensu à nobis assignato acceptam esse rectam conscientiæ regulam.

Alia argumenta id ipsum probantia.

28. Probatur secundò. Si vir peritus dubitet de aliquo, an liceat, tenetur utique tutiorem partem sectari, donec dubium rectè deponat. Ponamus talem hominem diligenter rem examinare, & omnibus inspectis, invenire rationes multò potiores pro libertate quàm pro lege. Hic homo prudenter concludit tale objectum esse licitum. Ergò licitè sequi potest hoc judicium, quia sine vitio opinatur. Ergò sine vitio operatur, quia lex Dei proponitur voluntati sine vitio, ideoque ita afficit illam, ut homo eam sequendo malè non operetur. Ergò omnibus peritis licet suam sententiam sequi. At sua cuique opinio probabilior est, & omnis opinio probabilior alicui est ipsa, quam tenet. Ergò cuique licet sequi opinionem, quæ post diligentem rei discussionem sibi probabilior apparet, & ab ipso habetur absolutè vera. Rursùs idem valet de iis, qui extrinsecâ auctoritate regulantur, quia unusquisque in verbo majoris ac probabilioris auctoritatis prudenter deponit conscientiam. Demùm probatur idipsum universaliter de omni opinione tam intrinsecè quàm extrinsecè probabiliori. sic enim arguo. Ex *cap. in nostra de testibus & attestat.* aliisque juribus supra *quæst. 38.* ponderatis habetur, quod ex testibus contradicentibus illi præferendi sint, qui cæteris paribus sunt plures; aut etiam numero pares vel pauciores, si omnibus inspectis, qualitate veracitatis, ac meritò fidei prævaleant. Ergò idem planè dicendum est de Auctoribus ac rationibus: qui enim, omnibus inspectis, inveniuntur prævalere, præferendi sunt; quia rationes & Doctores tam sunt fide digni circa jus, quàm testes circa factum. Ergò si judex licitè & prudenter judicat & operatur juxta prævalentiam testium; utique & nos prudenter ac licitè judicamus & operamur juxta rationes ac auctoritates prævalentes, seu probabiliores; eadem enim de utrisque est ratio.

Idem probatur quoad usum æquè & minùs probabilium.

29. Hæc argumenta & juxta veritatem rei, & potissimè juxta principia Celladei (quòd solùm nunc quærimus) apertè convincunt, majorem probabilitatem directam, directè sumptam, esse rectam conscientiæ regulam. Immò quod plus est, ex principiis Celladei sequitur, parem vel minorem probabilitatem esse rectam conscientiæ regulam, quia per ipsum in rebus incertis prudenter creditur auctoritati ac rationi plerumque non fallenti. At talis est auctoritas & ratio cujuslvis periti & probi qui diligenter quæstionem examinat, & non obstante argumento ac auctoritate in contrarium, ea ratione absolutè reputat aliquid esse verum, quæ adhiberi debet ad hoc ut juxta præscriptum benignæ sententiæ opinionem suam reddat probabilem. Ergò prudenter statur omni ejusmodi auctoritati ac rationi, id est omni opinioni certò probabili. Minor probatur, quia omnis peritus post diligentem rei discussionem sententiam proferens, sæpiùs verum dicit, quàm errat; alioquin stultum esset laborare ac studere ad veritatem inveniendam. Quid enim stultiùs foret, quàm judicium ferre pro veritate invenienda, si debita diligentiâ præmissâ, talique ratione inventa, quam peritus multum prævalere videt, adhuc promius esset errare quàm verum dicere, aut non sæpiùs verum diceretur, quàm erraretur. Profectò natura malè constituisset homines, si periti, post diligentiam debitam, & rationes validas multum urgentes ac prævalentes repertas,

Periti plerumque non errant.

non sæpiùs verum dicerent quàm errarent, nec quisquam posset illis prudenter credere. Idem argumentum æquè procedit de ratione, qua peritimoventur ad assensum. Stultè enim illi assentirent, nisi illa frequentius verum diceret, quàm erraret. Itaque talis solutio argumentorum contrariorum, & talis ratio solutioni illi addita, quæ simul sumptæ aptæ sunt ad peritum & probum post debitam diligentiam alliciendum ad assensum, sunt motivum, quod plerumque non fallit. At omnis opinio certò probabilis nititur tali auctoritate, talique motivo, ut constat, quia periti & probi de facto illi subscribunt. Ergò omnis opinio probabilis ex vi sui motivi plerumque non fallit. Ergò omnis opinio certò practicè probabilis, etiam æquè ac minùs probabilis, est recta conscientiæ regula.

Ratio, quâ periti sequuntur, plerumque non fallit.

30. Porrò quamvis hoc verum sit, si loquamur de regula remota & objectiva, ut fusè ostendi *in tract. de consc. prob. quæst. 21. 22. 23.* atque etiam *hic quæst. 2.* Non tamen verum est de regula proxima & formali, quia nemo excusatur, qui sequitur partem, quam, omnibus inspectis, finaliter existimat esse æquè aut minùs probabilem parte contraria, nisi per principia reflexa judicet licitum esse sequi opinionem directè æquè aut minùs probabilem. Ratio est, non quòd careat motivo sufficienti ad conscientiam debitè formandam, sed quia habet formam incompossibilem cum necessario conscientiæ dictamine. Ergò Celladei doctrina reipsa laxior videtur benignâ sententiâ; quia ille aliud non requirit, quàm motivum frequentiùs connexum cum vero quàm cum falso. Hoc non sufficit, nisi insuper bona fides formetur, & omnibus inspectis objectum absolutè habeatur verum, & probabilius opposito.

Opinio æquè ac minùs probabilis qua talis est regula solùm objectiva remota.

31. Quòd si loquamur de sententia benigna, prout illa reflexè procedit, & considerat res ut substantes incertitudini insuperabili, ac certè probabilitati de honestate operis &c. Illa juxta præsentem Celladei doctrinam est recta conscientiæ regula, quia nititur auctoritate, ac ratione ferè nunquam fallente. Nec obstat, quòd opinio probabilis secundùm ipsum non sit regula, nisi cum onere, ut homo, quoties acre bellum contra communem sententiam suscitatur, diligentiam adhibeat, & bene videat, an res ita se habeat, sicut dicit communis sententia; nam etsi in communi omnium omninò per integrum sæculum opinione rarò aut nunquam detur onus seu obligatio, quia semper adest prudens præsumptio, quòd homines tam constantem ac unanimem omnium consensum impugnantes hallucinentur, tamen nos hoc onus ultro subivimus. Post clamores enim nuper exortos rem à fundamentis examinavi, omnia adversariorum fundamenta *in tract. de consc. prob.* examinavi, eaque invalida, ac rationibus benignæ sententiæ longissimo intervallo inferiora reperi. Rursus Celladeus reclamavit. Hunc etiam, omniaque ipsius dicta discussi, nilque reperire potui præter æquivocationes, ac falsitates plurimas, quæ nullam contra benignam sententiam exceptionem rationabilem faciunt; sed è contra fundamenta illius benè discussa, ac ritè intellecta, sententiam benignam confirmant. Itaque opinio benigna, jam cessante hoc onere, est, sicut olim erat, recta conscientiæ regula, saltem quoad nos, quibus illa tum ratione, tum auctoritate incomparabiliter prævalet sententiæ rigidæ. Ergò ex admissa Celladei doctrina apertè sequitur, benignam sententiam esse rectam conscientiæ regulam. Mirum proinde est, quid sibi voluerit, dum benignam sententiam impugnandam suscepit, quia cùm ad propriam sententiam explicandam accedit, ea jacit fundamenta, easque assertiones ponit, quibus non impugnatur, sed stabilitur benigna sententia.

Benigna sententia reflexa est recta conscientiæ regula juxta Doctrinam Celladei.

32. Et sanè quoties in propria illius dicta, in probationes ab eo allatas, ac in potiora, quibus utitur, principia oculos conjicio, non reperio in quo à benigna sententia, quam tantopere aversatur, recedat. Omnes enim veram non fictam probabilitatem pro regulanda conscientia requirimus. Omnes absolutum judicium de honestate operis, motivo certo probabili nixum, exigimus. Ille autem aliud non postulat. Putat ille quidem probabilitatem à nobis assertam non esse veram ac realem, sed apparentem, & sic ex mera consuetudine appellatam: sed in hoc apertè errat, & quando ad rigorosam probabilitatis definitionem ab ipso traditam ventum est, ex illa apertè sequitur, probabilitatem à nobis assertam esse veram ac realem probabilitatem. Rursus argumenta quibus suam sententiam corroborat, æquè nostram comprobant, &, quod plus est, ipsemet difficultates, quas contra nos tanquam insolubiles proposuerat, sibi objicit, nullamque solutionem ponit quæ nobis ex æquo non faveat. Præterea non semel insufficienter respondet, & nisi responsionem à communi nostra opinione, responsisque nostris mutuet, difficultatibus illis nunquam satisfaciet. Itaque revera parùm aut nihil discrepat à communi sententia, quamvis toto cœlo se ab illa recedere imaginatur; veritas enim benignæ sententiæ tam perspicua est, ut non potuerit non illam videre, atque in illam incidere, quando, quid sibi sentiendum esset, aperuit.

Celladeus reipsa non discrepat à benigna sententia.

33 Quòd ad onus in peculiaribus casibus diligentiam adhibendi, opinioni probabili annexum attinet, omnes illud agnoscimus, quoties aut peculiares circumstantiæ alterant casum, aut Auctores insurgunt in contrarium, acriterque contendunt, opinionem illam non esse probabilem; aut tutum non esse illam sequi, quamvis sit probabilis. In hisce casibus homines tenentur rem examinare, si exceptio rationabilem metum secum afferat, alioquin contemni potest, ut si Theologaster aliquis, exiguæ prorsus doctrinæ, ac nullius notæ, in communem gravissimorum Auctorum sententiam insurgeret, illamque falsam esse ac periculosam proclamaret. In tali enim casu exceptio talis viri meritò contemneretur, tum quia rationabiliter præsumitur esse nullius momenti, tum quia alioquin quivis sciolus suis clamoribus totam litteratorum rempublicam adeò turbare posset, ut nemo sine nova diligentia ac labore in communi sapientissimorum consensu figere se posset. Extra tales casus onus hoc urget omnes. Ratio autem est, quia in ejusmodi casibus opinio non manet practicè probabilis quoad nos, nisi res iterum examinetur. Itaque in tali casu habetur quidem onus, non quia onus propriè annectatur opinioni probabili, sed quia ratio illa efficit, ne opinio possit amplius prudenter reputari vera, & esse certò probabilis, nisi res de novo diligenter examinetur. Cæterùm quamdiu in rebus incertis opinio manet certò probabilis, nullum onus superest, sed quisque licitè sequitur illam in praxi, modò opinio illa talem praxim cum omnibus illis circumstantiis includat. Sic homo benè valens, &

Onus opinionis quomodo intelligatur, & quomodo urget?

more consueto cibo indigens, pro refectiuncula vespertina die jejunii sumere post quartam vel quintam partem cœnæ ordinariæ, nec de hoc ulla datur exceptio. Eadem est ratio de omni alia opinione, quamdiu est certò probabilis, & homo in operatione illius præscriptum non egreditur. Itaque Celladeus nova tantùm phrasi usus est, nec quidquam dixit, quòd benignæ sententiæ Auctores aut patenter non supponunt, aut expresè non requirunt, quamvis in hoc ipso minus rectè locutus sit, quia onus illud non est onus opinioni certò practicè probabili annexum, ut ille videtur insinuare, sed est onus sectandi tutiora, donec certò constiterit de opinionis probabilitate, quæ ob difficultates de novo emergentes in dubium quandoque vocatur.

ASSERTIO TERTIA.

Doctrina Celladei de sufficienti conscientiæ regula insufficienter ab illo traditur, doctrinisque fermè omnibus, antea ab eo traditis, apertè contradicit.

Doctrina Celladei insufficienter tradita.

34. PROBATUR prima pars. Illa doctrina non sufficienter traditur, quæ non proponitur simpliciter, sed cum limitatione, nisi ipsa limitatio diserte & præcisè explicetur cum omnibus ad eam pertinentibus. Alioquin nil determinatum dicitur, nec habet audiens, in quo pedem figat. Sed Doctrina Celladei de regula conscientiæ non proponitur simpliciter, sed cum limitatione, dicit enim licitum esse sequi opinionem probabilem, non simpliciter, sed cum onere. Ergò limitationem ponit: sed hanc limitationem non explicat, nec dicit quale sit hoc onus, quando vigeat, vel non vigeat, quomodo impleri debeat, quid ad onus deponendum requiratur, ac sufficiat, unde scire possimus ac certificari nos onus illud impleviſſe, ut sic libero corde ad opus bona fide perficiendum nos extendamus? hæc autem omnia maximè explicanda erant. At nil horum Celladeus. Ergo nil determinatum dicit, sed doctrinam suam insufficienter tradidit. Et sanè vir timoratus, qui doctrinam illius pro regula acciperet, per illam regulari non posset, quia scire non posset, an onus actu incumberet opinioni, quam sequendam eligit. Deinde si onus in se assumeret, non posset scire, an oneri satisfeciſſet, quia per Celladeum major probabilitas, & auctoritas duorum, aut plurium Doctorum non sufficit, ut quis, eam sequatur. Quid ergò faciet iste miser? dicam: cogetur in omnibus ad tutiora, quia adhibet regulam, per quam nunquam dirigi poterit, ut sit tutus, si minus tuta sectetur. At regula à Celladeo proponitur eo fine, ut ostendat, nos non semper obligari ad tutiora. Hæc planè convincunt doctrinam hanc insufficienter traditam esse, eamque, ut tradita est, esse prorsùs ineptam ad finem, cujus causa illam tradidit.

35. Probatur secunda pars. Quando dicitur, quòd opinio verè probabilis sit regula conscientiæ, peto, an sermo sit de probabilitate vera, ac reali & quoad se? an de probabilitate vera & reali quoad nos? si primùm, Celladeus ponit non regulam pro regula, sibique contradicit, quia probabilitas vera & realis quoad se certò sciri non potest, cùm per ipsum probabilitas illa haberi nequeat sine veritate, & consequenter non minùs lateat, quàm ipsa veritas. At ipsa veritas latet, ideoque stultum esset, ipsam veritatem in rebus incertis ponere pro regula. Ergò non minùs absurdum est probabilitatem talem pro regula ponere, cùm utraque ex æquo lateat, & discerni non possit. At de ratione regulæ est, ipso, ut vidimus, Celladeo fatente, ut sit quid constans, stabile, ac notum. Ergò & veritati, & sibi contradicit, si talem probabilitatem proponat pro regula.

Celladei contra plurimas priores doctrinas contradictio.

Si loquatur de probabilitate quoad nos, multò magis tibi contradicit.

36. Si secundum, sensus est iste: quando constat opinionem aliquam niti auctoritate aut ratione plerumque non fallente, & vel nulla exceptio apparet in contrarium, vel si aliqua apparet, illa examinata & remota est, tunc illa opinio sumi potest pro regula. Et sanè existimo hanc esse veram mentem Celladei; si enim aliter loquatur, pro conscientia dirigenda inintelligibiliter loquitur. Sed si hoc dicat, omnibus fermè prius à se dictis contradicit. Jam enim opinio probabilis quoad nos, non quoad se, erit regula. At multæ ex ejusmodi opinionibus sunt falsæ, ut patet. Ergò jam opinio falsa sæpè est regula. At omnis opinio falsa per Celladeum continet probabilitatem & veritatem merè sophisticam, inanem & phantasticam. Nulla opinio falsa est peritia, sapientia, & prudentia; sed error, stultitia & imprudentia. Rursus nulla opinio falsa nititur motivo gravi, sed solùm aëreo, phantastico, & sophistico. Hæc omnia fusè tradidit in superioribus, & ex his ipsis capitibus conatus est probare, benignam sententiam non proponere regulam sufficientem, quia probabilitas sophistica, inanis, & phantastica, apparentia imperita, insipiens ac imprudens, motivum leve & aëreum, non sunt regula sufficiens pro conscientia regenda, sed ad hoc requiritur motivum grave, judicium peritum, doctum, prudens, probabilitas vera, non ficta, inanis & sophistica. Ergò ex doctrinis Celladei certum est, nullum judicium falsum esse idoneam conscientiæ regulam. Ergò hoc loco omnibus illis doctrinis, magnificè vehementerque à se propositis, apertè contradicit, quia proponit hîc pro regula opinionem probabilem quoad nos, cui omnia ista per ipsum toties conveniunt, quoties contingit opinionem illam esse falsam, quod certè sat frequens est. Ergò talis opinio est, & non est regula. hisce aliisque ejusmodi nunquam se extricabit Celladeus, nisi omnes priores illas doctrinas, ut inanes, & sophisticas rejiciat, & nobiscum tandem manus jungat, atque iterum communi verissimæque sententiæ subscribat, quam olim amplexus est; sed à quatuordecim circiter annis mirum in modum est aversatus.

QUÆ-

QUÆSTIO QUADRAGESIMA.

Vtrùm qui sequitur opinionem certò probabilem, formare possit conscientiam certam & evidentem, quòd in tali opere non peccet?

Cur quæstio hæc instituta?

1. SI ad vitandum peccatum, aut ad honestè operandum sufficeret dictamen probabile de non peccato, seu de actionis honestate, id nullo modo officeret, sed potiùs prodesset benignæ sententiæ; ut per se patet. Itaque non esset opus examinare quæ Celladenus *lib. 3. quæst. 2.* proponit, ubi fusè conatur ostendere, nullam certitudinem aut evidentiam requiri ad vitandum peccatum aut honestè operandum, sed meram probabilitatem ad utrunque sufficere; non, inquam, opus esset hoc examinare, si finem præsentis tractatus solùm respiceremus; quia si verum diceret, per hoc ipsum faveret, non obstaret benignæ sententiæ. Nihilominus quia *in tract. de consc. prob.* multis in locis, præsertim verò *quæst. 13.* docui ultimum dictamen conscientiæ regulans opus honestum, aut arcens peccatum, esse debere certum & evidens, nolui hanc Celladei quæstionem præterire, ne omitterem solvere illa quæ contra hanc communissimam ac verissimam sententiam singulariter objicit.

Celladei opinio in hac re est prorsus singularis.

2. Quod spectat ad opinionem, quam hac in quæstione sequor, illa est omnium, quod sciam, præter Vasquium & Thomam Sanchez, qui tamen haud dubiè intelligendi sunt de dictamine simpliciter non ultimo, alioquin sibi contradicerent, ut constat ex dictis *quæst. 13 de consc. prob.* Porrò Celladeus ipse apertè fatetur, nostram sententiam esse *communissimam*, eam tamen deserit, & singulari Vasquii & Sanchii opinioni ita adhæret, ut nobis prorsus contraria dicat, cùm quæ Sanchez & Vasquez afferunt cum opinione nostra rectè cohæreant. Negat enim certitudinem haberi posse etiam per principia Syndereseos reflexa, cùm tamen Vasquez expressè fateatur posse nos ad talem certitudinem pervenire, quamvis existimet necessarium non esse, ut illa semper habeatur. Cæterùm, ut candidè fatear, Celladeus adeò confusè hanc quæstionem tractat, ut vix sciri possit, quid præcisè intendat. Inprimis loquitur, ac si expressè teneret, neminem in rebus incertis ac probabilibus posse ulla ratione conscientiam certam formare, quamvis id hoc loco nullibi sub terminis expressis absolutè tradat. Deinde inter arguendum non distinguit inter ultimum & non ultimum conscientiæ dictamen, qua distinctione habita totus illius discursus funditus ruit. Tertiò citat S. Thomam, & ex illo prætendit ostendere, quæstionem hanc procedere de subjecto non supponente, cùm tamen S. Thomas expressè nobiscum sentiat, & locus, quem affert, nulla verisimilitudine intentum probet. Alia plura habet, partim falsa, partim confusa, quæ prout occasio tulerit, in progressu quæstionis exponam, & confutabo. Sit ergò.

ASSERTIO PRIMA.

Sæpè formamus dictamen certum & evidens, quòd non peccemus in operatione nostra. Immò sæpè hoc facimus, quando nec certum est, nec evidens, quòd objectum, in quod ferimur, sit moraliter honestum.

Aliquando formatur certò non peccare.

3. PROBATUR prima pars. Quòd sæpè habeamus conscientiam certam & evidentem, non solùm de non peccato, sed etiam de honestate operationis, negari non potest, nisi pariter negetur, nil prorsus esse evidenter honestum. Certè evidens est Deum esse colendum. Parentes esse honorandos. Non furandum. Non occidendum &c. Ergò de istis formamus judicium conscientiæ certum & evidens, quod liceant.

Etiamquando non formatur certa non noscitur objectum, in quod fertur.

4. Probatur secunda pars, primò exemplis indubitatis. Fideles Christum in Eucharistia adorantes, certò sciunt se per hoc non peccare, quamvis certò non sciant Christum in hostia, quàm adorant, verè latêre. Pueri certò & evidenter sciunt, se non peccare non obediendo viro, qui non est illorum pater existimatus, nec ullam superioritatem super illos habere existimatur, quamvis ille verè sit pater, cui puer ille determinatus obedire tenetur. Pueri tamen non habent certitudinem aut evidentiam, quòd talis homo non sit eorum pater, ut patet. Judex juxta allegata & probata, ferens sententiam, certò scit, se hominem damnando ad mortem non peccare, nec tamen certus est, quòd homo, quem condemnat, sit nocens. Plura alia ejusmodi exempla sunt obvia, sed ista sufficiunt.

Vitatio peccati formalis certius innotescit, quàm vitatio peccati materialis.

5. Probatur secundò. Tales homines, etsi reflectant super possibilitatem erroris in suo judicio directo, & sic aliquo modo de illius veritate formident, nullatenus tamen solliciti sunt, an hactenus peccaverint, aut in posterum similia præstando peccaturi sint. Ergò minùs formidinis & plus certitudinis habent de vitando peccato in voluntate, quàm de non errore in intellectu. Principium tribuens hanc majorem firmitatem dat omnimodam certitudinem. Talia sunt omnia principia illa, quibus reflexè probavimus usum opinionis certò probabilis esse licitum. Hic unum solum pono Exempli gratia. Tales homines sciunt se vel non errare, vel invincibiliter errare in talibus judiciis. Ex hoc autem certò & evidenter inferunt, se in talibus non peccare.

6. Probatur tertiò. S. Augustinus *in lib. de utilitate credendi* totus in eo est, ut ostendat fidem, etiam fallibilem, & aliquando falsam, esse utilissimam, & excusare homines à peccato, etsi aliquando errent. Nominatim autem disserit de pueris, qui patri putativo non vero obedientiam filialem exhibent. Ergò Augustinus reflexè disputans

sputans de hac re, cognovit pueros illos non peccare, etiam quando errant. Ergò datur principium ex quo hoc cognosci possit. Similiter & nos ipsi hac de re loquentes certi sumus quod non peccent, nec de hoc dubitamus, etsi sciamus plures illorum in suis judiciis de rebus ipsis, earumque merito errare. Ergò sicut verum est, quod non peccent, etsi errent, ita hoc ipsum cognoscibile est. Jam hæc veritas cognoscitur ex lumine non fallaci, sed certo & evidenti, utpote quo omnes naturæ instinctu in unum judicium conspirant, quod nunquam evenit in rebus ac principiis inevidentibus. Et sanè non credo, Celladeum negaturum, aut in dubium revocaturum hæc in particulari, quæ nunc proposui, etsi ita loquatur, ac si prætenderet, conscientiam nunquam esse evidentem. Quòd si hæc & hisce similia negaverit, facilè negabit omnia, & ab omni scientia morali evidentiam tollet; quia nil in tota scientia morali certius aut evidentius est, quàm istiusmodi homines taliter operando non peccare.

ASSERTIO SECUNDA.

Propositum sit explicare, ac indicare ex quibus principiis, & quomodo dictamen reflexum certum ac evidens formetur.

Filius unde certò scit, se non peccare obediendo patri putato & non alio.

7. PRINCIPIUM Syndereſis reflexum, ex quo dictamen certum & evidens formatur, diversum est pro diversitate materiæ, circa quam versamur. Filius sic discurrit. Nemo tenetur illi obedire ut patri, de quo nullam habet, aut habere potest rationabilem suspicionem, quod sit suus pater, seu de quo nulla unquam incidit mentio quod fuerit ipsius pater, sed per publicam famam ab ipsa infantia semper continuatam alius habitus est pater. Sed nullam habeo, nec habere potui suspicionem quòd iste sit meus pater, immò nulla unquam incidit mentio, quod fuerit meus pater, sed semper ab infantia alius per famam publicam habitus est, & habetur pater meus. Nec ulla apparet, aut unquam apparuit ratio, cur hoc in dubium revocaretur. Ergò non teneor obedire huic homini ut patri. Ergò non pecco si illi non obedio ut patri. Hic est discursus, quem omnes etiam pueri exercitè & virtualiter formant, quoties negant obedientiam illis, ut patribus, qui publica fama habentur, & semper habiti sunt non esse patres ipsorum. Similes discursus formari possunt in aliis materiis, in quibus nunquam desunt principia Syndereſis reflexa omnibus obvia, quæ alteri minori particulari adjungi non possunt, quàm certæ & indubitatæ experientiæ de qualitate informationis, quam habemus & habere possumus de tali objecto, ut probatum est *quæst. 12 de consc. prob.* Atque hinc est, quòd, quoties illa minor adest, intellectus, qui naturaliter consultat de eis, quæ ad honestatem & inhonestatem nostrarum operationum pertinent, non possit non respicere in ista principia Syndereſis omnibus obvia, quia illa facillimè excitantur, quoties adest illa minor, quæ ipsis solis applicari potest ad formandam conscientiam.

ASSERTIO TERTIA.

Quoties aliquis habet opinionem certò probabilem de honestate operationis seu operis, intellectus ex vi talis opinionis formare potest judicium certum & evidens, quòd non peccet ponendo opus illud.

Sequens opinionem probabilem format conscientiam certam de non peccato.

8. PROBATUR. Quod usus cujusvis opinionis certò probabilis directè sit licitus, est probabilissimum, quia si objectum directè propositum reflexè consideretur in ordine ad circumstantiam probabilitatis directæ, & moralem impossibilitatem veritatem certò inveniendi, aliasque ejusmodi circumstantias, probabilissimum est, quòd objectum illud sit licitum; quia benigna sententia hoc asserens nititur auctoritate rarò aut nunquam fallente, fundaturque rationibus, vi suæ magnitudinis non solùm plerumque, sed rarò, aut nunquam fallentibus, ut evidens est non solùm ex *quæst. 2. 22. & 23. de consc. prob.* sed etiam ex toto hoc opere, maximè duabus quæstionibus superioribus, & antea *ex quæst. 2.* Ergò benigna sententia, in hoc proprio ejus sensu accepta, est etiam juxta strictissimam Celladei definitionem probabilissima. Ergò unusquisque, cui auctoritas, & rationes quibus nititur, perspectæ sunt, prudenter, rationabiliter, ac sine ullo vitio intellectus illi assensum præbere potest. Eo ipso autem, quòd illi assensum talem præbeat, sciatque qualitatem sui judicii, intellectus utens principiis Syndereſis reflexis formare potest hunc syllogismum. *Qui post diligentiam adhibitam, omniaque considerata, prudenter, rationabiliter, atque certò probabilissimè judicat aliquid esse licitum, non peccat si illud ponat. Sed ego hic & nunc post diligentiam adhibitam, omniaq; considerata, prudenter, rationabiliter, atque certò probabilissimè judico hoc objectum esse licitum. Ergò non pecco, si illud ponam.* In hoc discursu major est principium Syndereſis reflexum, estque haud dubiè certum & evidens. Minor est etiam cognitio experimentalis reflexa de judicio, ac ejus qualitate evidenter nota. Conclusio legitimè deducitur, est autem dictamen conscientiæ, quo ad operandum homo dirigitur. Jam certum est quòd quoties habemus opinionem certò probabilem practicè, toties hujusmodi syllogismus formari possit, & consequenter toties intellectus possit consurgere ad eliciendum dictamen certum & evidens, quod non peccet illud ponendo, quod erat probandum.

Omitto alia plurima, quibus assertionem stabilire possem, quia illa sæpè ac fusè tradita sunt, tum *in tract. de consc. prob. à quæst. 19. usque ad 24.* tum etiam in toto hoc opere ubi videri possunt. Hic autem ideo hunc Syllogismum attuli, quia fundatur in definitione opinionis probabilis à Celladeo traditæ, ut sic non solùm simpliciter, sed etiam ad hominem demonstrarem intentum contra ipsum, atque ut ansam arriperem solvendi, quæ objicit in contrarium.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Conscientia aliquando errat.

9. OBJECTIO prima. Quæstio hæc est de subjecto non supponente, quia S. Thomas *quæst. 17. de veritate articulo 2.* post octo argumenta proposita, ad probandum quòd conscientia non possit errare, opponit illud *Joan. 16.*

Venit.

Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Unde infert conscientiam errare, quia conscientia eorum, qui occidebant Apostolos, dictabat eos placere Deo. Deinde ostendit conscientiam dupliciter errare posse. Primò quia id, quod applicatur, & assumitur, est falsum. Secundò quia non benè applicatur, sed intellectus illo malè utitur non rectè syllogizando. Ergò dictamen conscientiæ potest esse falsum & errare, quia si dictamen conscientiæ non erraret, nec ipsa conscientia erraret, ut patet. Ergò conscientia potest esse erronea, quando dictat se non peccare, aut honestè agere. Ita Celladeus *lib. 3. quæst. 2. § 1.*

Respondeo. Concedo totum. Quid hoc ad rem? Omnes fatemur, conscientiam sæpè errare. Nec hoc in præsenti quæritur, sed an conscientia certa & evidens elici possit, quando sequimur opinionem certò probabilem, aut etiam probabiliorem? hoc autem non improbatur ex eo, quod conscientia aliquando erret, ut patet.

S. Thomas tenet conscientiam excusantem esse certam.

10. Cæterùm quod attinet ad S. Thomam, ille *quodlibeto 8. art. 13.* apertè indicat operantem debere esse certum, ad hoc ut à peccato excusetur. Unde factum est, ut omnes communiter citent S. Thomam pro opinione, quæ docet neminem à peccato excusari, qui moraliter saltem certus non est, se non peccare in illa actione. Itaque dicere quòd oppositum juxta doctrinam S. Thomæ sit de subjecto non supponente, est assertio, quæ non solùm omni fundamento destituta est, sed etiam, quæ apertæ veritati repugnat. Contendere autem id legitimè probari ex loco, quem Celladeus citat, est arguere absque ulla verisimilitudine, quia S. Thomas aliud eo loco nec intendit, nec probat, quàm quòd conscientia aliquando erret, quod est verissimum, & à nemine negatur. At hinc non magis sequitur, quòd nunquam habeat dictamen certum & evidens, aut quod non habeat illud quando non peccat, aut quando operatur juxta opinionem certò probabilem, quam sequatur, quòd intellectus nunquam habeat judicium certum & evidens, quia aliquando errat.

Celladeus incongruè applicat doctrinam S Thomæ, & inconsequenter arguit.

Quod autem attinet ad ultimam illam consequentiam, quòd conscientia errare possit, quando dictat se non peccare, fateor id esse verum de conscientia vincibiliter erronea. At si loquamur de conscientia invincibiliter errante, agnosco idem esse verissimum de dictamine non ultimo. Sed inde non sequitur, quod non detur aliud judicium posterius, quod cum veritate proponat, opus illud fieri absque peccato. Idem valet à potiori, quando reflexè sequor opinionem probabilem, quia tunc sicut reflexè scio, me vel non errare, vel errare invincibiliter, ita reflexè scio, me non peccare peccato formali, seu imputabili. Sed de hoc plurima alia dicta reperies *tum in hoc, tum in tract. de consc. prob.*

Objectio principalis Celladei.

11. Objectio secunda. Si certum conscientiæ dictamen elici posset ex opinione tantum probabili, illud esset ex vi alicujus principii reflexi, per syllogismum reflexum. At hoc modo tale dictamen formari non potest, ut patebit ex impugnatione syllogismorum reflexorum, qui afferri possunt. Ergò tale dictamen non potest ex probabilibus formari. Probatur minor. Inprimis sumatur iste syllogismus reflexus. *Licet usus probabilitatis: sed datur probabilitas de non usura hujus contractus. Ergò licet usus hujus probabilitatis. Ergò juxta eam contrahendo non pecco.* Hic syllogismus non est demonstrativus, quia minor, quæ est particularis assumpta, non est evidens, nec demonstrari potest, sive sermo sit de probabilitate extrinseca, sive intrinseca. Extrinseca probabilitas hujus determinatæ opinionis demonstrari nequit, quia opiniones etiam communissimæ aliquando habent exceptionem, opiniones etiam summorum Doctorum exceptionem patiuntur, quia *quandoque bonus dormitat Homerus.* Quòd si loquamur de probabilitate intrinseca, longè absurdius est existimare nos posse illam certò discernere, quia semper versamur in materia probabili, quæ certè per cognitionem certam ac evidentem probari nequit. Præterea probabilitas variè accipitur, ideoque si omnia inspiciantur, tam facilè erratur circa probabilitatem, quàm circa veritatem. Rursus etsi minor particularis esset vera & evidens, adhuc conclusio non posset certò & evidenter inferri, quia potest esse error in applicatione particularis doctrinæ ad meum casum. Ponamus certum esse, quòd labor gravissimus deobliget à jejunio, adhuc est dubium an labor meus sit talis, quia res istæ quoad cognitionem tanti & quanti, sunt ex natura sua incertæ. Ergò in talibus est impossibile assequi certitudinem & evidentiam. Ita Celladeus §. 2. ubi admittit majorem hujus syllogismi esse certam & evidentem, si sermo sit de probabilitate, quam ille definivit, atque illa sumatur cum *onere*, sicut explicavit *lib. 3. quæst. 1. §. 2.* Itaque iste syllogismus reflexus non certificat conscientiam. Idem valet de aliis. Ratio universalis est, quia tota certitudo & infallibilitas nostrorum actuum sumitur primitùs ab objectis. Ergò nunquam fieri poterit per ullam reflexionem, ut sit aliquid certitudinis in cognitionibus reflexis, quod non fuerit in directis. Ergò si cognitiones directæ claudicent, reflexæ etiam necessariò claudicabunt. Ita Celladeus.

Responsio & cessio Celladei æquivocatio.

12. Respondeo incipiendo ab ultima parte objectionis, & libens fateor, totam actuum certitudinem & evidentiam ab objectis, eorumque propositione primitùs derivari; unde agnosco pariter, nullam in mente nostra evidentiam reflexam oriri posse, quamdiu nil aliud proponitur, quàm quod per actus directos propositum fuit. Verùm hæc doctrina ad rem præsentem nil facit, quia principium syndereseos reflexum considerat objectum cognitionis directæ in ordine ad novam aliquam circumstantiam, quam actus directus non repræsentabat; considerat enim illud prout, post diligentiam adhibitam, substat judicio probabili ac prudenti de honestate operis. Itaque certitudo principii reflexi derivatur ab objecto actus directi, non præcisè secundùm se, sed ut proponitur sub talibus circumstantiis. Jam hæc circumstantiarum mutatio est radicale fundamentum objectivum benignæ sententiæ, in quo cùm Celladeus tam crassam æquivocationem patiatur, ut dicat judicium reflexum non posse quidquam certitudinis habere, quod in cognitionibus directis non præcontineatur, quia objectis invariatis nulla in actuum certitudine variatio potest contingere, mirum non est, quod in omnibus ad rem hanc spectantibus à veritate aberret, ut mox ostendam, quia supponit nullam in objectis alterationem fieri, cùm ingens alteratio in ordine ad formandum conscientiæ dictamen evidenter eluceat.

Evidens Celladei contradictio.

13. Et sanè ipsemet in hoc ipso loco doctrinæ hîc à me traditæ tanquam evidenti subscribit, & sic intra paucas lineas sibi apertè contradicit.

Fatetur.

Fatetur enim majorem dicti syllogismi esse evidenter veram, cùm tamen illa non sit nisi cognitio reflexa, considerans objectum directum, ut substans judicio probabili. Hæc ergò cognitio reflexa certa est & evidens, ac evidenter enunciat objectum substans judicio probabili esse licitum; certum tamen est judicium probabile directum non enunciare hoc evidenter, sed solùm probabiliter. Ergò evidens est ex mente Celladei, quòd judicium reflexum aliquando evidenter enunciet honestatem objecti, ut substantis judicio directo, licet nulla ejusmodi evidentia reperiatur, aut in judicio illo directo, aut in objecto illius. Ergò evidenter sibi contradicit.

Judex certior est se non peccare ferendo sententiam, quàm se non errare in sententia ferenda.

14. Cæterùm ut omnes videant, aliquid certitudinis reperiri in reflexis, quòd in directis cognitionibus non continetur, considerandæ sunt nonnulla exempla, ex quorum inspectione veritas hæc sponte patebit. Judex absque ulla formidine peccandi fert sententiam in favorem partis probabilioris, immò ob testimonium duorum vel trium testium de visu, contra quos nemo excipit, hominem capitis condemnat. Peto jam an Judex non sit securior & certior in sua conscientia de suo non peccato, quàm sit de jure tertii, aut de crimine accusati? Peccátne Judex in ferenda sententia, si in judicio directo erret, eò quòd testes falsi, & instrumenta vitiata proferantur? Nihil minùs, ipse non peccat, etsi decipiatur, & optime scit se non peccare, quamvis probè norit judices in similibus casibus nimis frequenter decipi, ac in judiciis directis errare. Ergò plus certitudinis est in judiciis reflexis, quàm in directis. Rursus possessor bonæ fidei, si, orto dubio an res possessa ad alium pertineat, post diligentiam ad veritatem indagandam adhibitam res maneat dubia, aut utrinque æquè probabilis, ille tutâ conscientiâ rem illam detinet, quia in dubio melior est conditio possidentis. Ergò cognitio reflexa de licita continuatione possidendi rem aliquam, prout subsistat dubio insuperabili an ad alium pertineat, est certior, quàm sint ullæ cognitiones directæ de licita ejusdem retentione. Quid plura? erráns invincibiliter, non peccat. Et hoc objectum reflexè cognitum est certum & evidens. Error tamen directus nec certus est, nec evidens. Omitto exempla alia obedientis in dubio, & conjugis in dubio valoris matrimonii reddentis debitum, & alia ejusmodi, quia notoria sunt, & omnes sciunt illos esse reflexè securissimos; etsi ex vi cognitionum directarum nullam non peccandi certitudinem habeant. Ergò evidens est plus certitudinis reperiri in reflexis cognitionibus, quàm in directis, quas reflexæ necessariò præsupponunt. Ratio est, quia objectum verè alteratur, & per reflexas cognitiones considerátur in ordine ad novas circumstantias, quæ relatæ ad operantem & conscientiam ipsius alterant objectum, & consequenter diversum ac certius de illius honestate vel inhonestate judicium fundant, quàm objecta ipsa directè considerata fundare possint.

Regula Celladei absurda, periculosa, improportionata.

15. Respondeo secundò. Quòd ex his clarè apparere incipiat, quàm inanis sit totus hic Celladei tractatus *de recta doctrina morum*. Ille *lib. 3. quæst. 1.* totus est ut probet, probabilitatem esse rectam conscientiæ regulam. Mox *in hac quæst. 2.* omnia invertit: asserit enim, omnique conatu probare intendit, quòd impossibile sit ut in particulari unquam certò sciamus hanc peculiarem opinionem, quando praxi deservit, esse probabilem. Cùm primam quæstionem legerem, expectabam me doctrinam pro conscientia debitè formanda utilem reperturum, scilicet regulam, cui fidere, ac per quam dirigi possem; sed non prius accessi ad *quæstionem 2.* quin me omni spe fraudatum statim intellexerim; nam *in hac quæst.* contestatur, probabilitatem non minus latère, quàm veritatem, fierique non posse, ut de probabilitate certi simus. Proh! qualem nobis regulam proponis, Celladee? Regulæ est, ut sit quid notum, ut certò discerni possit, ut ad illam, tanquam ad mensuram certam confugere debeamus, atque per illam, certò apprehensam, opera nostra certò dirigere possi nus. Cur ergò proponis probabilitatem pro regula, si per te ita lateat, ut à nemine certò discerni possit? Nónne hoc est non regulam pro regula exhibere, atque incauto lectori, magna spondendo, nil præstando, illudere? Nec illudis tantùm, sed plurimùm noces. Probabilitas, quam proponis, in regulam assumpta, te fatente, certò discerni non potest, sed in illa dignoscenda non minori periculo, quàm in ipsa veritate cognoscenda subjacemus, quia non minus latet, quàm verit.s. Ponamus ergò, quod ex centum vicibus, in ea dignoscenda quinies erretur. Ergò jam ex centum vicibus circiter decies errabit, & contra legem Dei impinget, qui regulam à te propositam sequitur. Neque hîc sist t miseria. Novam adhuc defectibilitatem in applicatione regulæ ad nos ipsos agnoscis. Ergò jam ex centum vicibus, si duo hæc capita in unum coalescant, ad minimum decies errabitur, idque ex propria rei difficultate, quæ talis est, ut humana imbecillitas ad eam melius penetrandam, & certius cognoscendam extendi nequeat.

Absurditas ejusdem regulæ amplius declaratur.

16. Hisce tribus, ipse tu tertium errandi periculum superaddis, nempe amorem proprium, passionem excæcantem, odium erga alios &c. *quibus*, ut ais, *facilè decipimur*. Si facilè decipiamur, frequenter decipimur Junge hæc omnia in unum, & invenies te regulam conscientiæ proponere, quâ qui centum vicibus utitur, ex ipsa tua doctrina facilè trig sies, vel ad minimum vigesies errat, & contra Dei legem agit. Et quidem hoc periculum adeò inevitabiliter ex tuis principiis imminet, ut homo hanc regulam eligens, ex una parte apertè videat hoc periculum, & ex altera parte nec habeat, nec ex tuis principiis habere possit dictamen, quo certificetur se in usu regulæ non graviter peccaturum, si contigerit illum ex ullo ex dictis capitibus in suo judicio errasse. Hæc est substantia, hæc medulla tuæ doctrinæ, Celladee, & hanc opinionem tuam, hanc regulam à te præscriptam audes speciosо illo titulo *rectam doctrinam morum* appellare? si regula tam fallax, tam periculosa, tam rationi dissona, tam frequenter cum Dei offensa, quantum scimus, conjuncta, dici meretur *recta doctrina morum*, quæ demum regula, à Catholico scriptore proposita, dicenda erit curva, aut distorta? Tu unus contra omnes insurgis; omnes ut nimis laxos, eorum doctrinam ut periculosam, nimisque frequenter cum violatione legis conjunctam rejicis, quamvis illi unanimiter contendant, nullum formalis offensionis periculum, aut legis obligantis violationem timeri; immò si omnia spectentur, nullam ne quidem, propriè loquendo, violationem materialem intervenire, quia reflexè considerant objectum in ordine ad novas circumstantias, in quibus nunquam prohibetur;

ideoque per novam consultationem homo formaat dictamen certum & evidens, quòd operando non peccet. Itaque illi regulam proponunt, quam omni peccandi periculo immunem prædicant, suisque sequacibus non peccandi securitatem spondent, hujusque sponsionis ac securitatis veritatem efficacissimis, ac, velis nolis, argumentis convincentibus probant. Tu verò unanimi hac Theologorum doctrina, eaque consolationis plena, penitùs explosa, tanquam periculo plenissima, novam assignas regulam, cujus sequacibus nullam non peccandi securitatem, sed inevitabilem frequenter errandi, Deumque, quantum sciunt & scire possunt, offendendi necessitatem tribuis. Et adhuc per hoc ipsum audire vis egregius doctrinæ sanæ zelator, corruptæque doctrinæ haberi zelantissimus Reformator. Patere, Celladee, patere eum hoc dicere, qui non suam solùm, sed omnium Ecclesiæ Doctorum contra te causam defendit. Reflecte paulisper ad hæc, eaque absque passionis impetu considera, & mox videbis, quàm periculosum sit, in rebus præsertim moralibus, tritam & communem omnium Auctorum opinionem deserere, novamque contra omnes doctrinam, ac morum regulam invehere.

Objectio Celladei solvitur.

17. Respondeo tertiò directè ad singula in argumento proposita: atque inprimis major syllogismi propositi, etsi non sit nota ex terminis, est tamen non solùm moraliter, sed absolutè certa & evidens, ut fusè ostensum est *in tract. de consc. prob.* multis in locis maximè *quæst. 19. & quatuor sequentibus.* Minor frequentissimè est evidenter vera, ut supra *quæst. 16. & 17.* ostensum est. Porrò quando ob aliquam novam circumstantiam dubium oritur, an opinio aliqua sit probabilis, tunc non licet illam sequi, nisi priùs per rationem vel auctoritatem probabilitas rei certò innotescat. Unde Celladeus, & omnes facilè vident, nos non esse laxos, ut quidam autumant, sed valdè severos in exigenda regula certò prudente, seu certò probabili & rationabili. Porrò quod ad probabilitatem nostram, quam Celladeus, ut elevet, *consuetam* appellat, attinet, illa ex ipsa Celladei definitione est tam propriè probabilitas, quàm ulla ab ipso assignata, ut ostensum est in superioribus.

Judex certus est de probabilitate suæ sententiæ, sed non de ejusdem veritate.

18. Cæterùm satis mirari non possum, quid Celladeo venerit in mentem, cùm negaret ullam probabilitatem, sive extrinsecam, sive intrinsecam, certò posse innotescere. Quid? Nónne Judex certus est de probabilitate extrinseca juris alieni, aut criminis objecti, quando per instrumenta & testes idoneos jus aut crimen sufficienter probatur? Nónne homines communiter certi sunt de probabilitate, quòd tales sint, alii non sint ipsorum Patres? profectò nil certiùs. Unde illi omnes, per conclusionem in dicto syllogismo contentam, certissimam conscientiam formant, se non peccare taliter operando. Et sanè nemo, præter unum Celladeum, hactenus dubitavit, quin probabilitas certò innotescceret, etsi certitudo de veritate objecti lateret; omnes enim contrarium aut expressè tradiderunt, aut apertè suppossuerunt. Sed illi libet in hoc etiam singularem esse, & omnes contra apertam veritatem impugnare. Contra apertam veritatem, inquam, quia evidens est ex allatis exemplis, quòd homines certissimi sint de probabilitate, etsi non sint certi de objecti veritate. Evidenter ergò errat Celladeus, dum dicit, homines tam facilè errare circa probabilitatẽ, quàm circa veritatẽ.

Opinione nonnunquam patiuntur exceptionem. Quid inde? Certè aliquando exceptionem non habent, ergò tunc saltem sunt certò probabiles; sicut testes dictum suum certò probabile reddunt, quamdiu nemo excipit contra illos. Ergò idem prorsùs valet de testimonio Doctorum. Ergò sæpè evidens est, aliquam opinionem esse extrinsecè probabilem. Rursùs non omnis exceptio impedit probabilitatem: si enim pauci & minoris notæ Auctores excipiant contra assertum plurium & fide dignorum, talis exceptio non impedit certam probabilitatem extrinsecam nec in testibus nec in Auctoribus, ut ostensum est *quæst. 38.* Demùm Auctores sæpè excipiunt contra veritatem, non tamen excipiunt contra probabilitatem, sed fatentur opinionem, quam falsam reputant, esse probabilem. Tales ergò exceptiones non tollunt probabilitatem. Demùm rationes quas illi afferunt, qui excipiunt, sæpè inveniuntur prorsus invalidæ ac insufficientes, & talis est casus præsens de exceptionibus contra benignam sententiam. Ergo illa est evidentissimè probabilis, tam extrinsecè quàm intrinsecè; quia evidenter nititur auctoritate rarò aut nunquam fallente. Unde si illa supponatur pro minori in dicto syllogismo, ut nos fecimus in probatione tertiæ assertionis, minor erit evidenter vera, & conclusio sequetur in forma. Ergò per discursum reflexum certificamur de non peccato, etsi per discursum directum de hoc non certificemur.

Opinione communissimæ nonnunquam patiuntur exceptionem, non habent, ergò tunc saltem sunt certò probabiles, sicut testes dictum suum certò probabile reddunt, quamdiu nemo excipit contra illos. Ergò idem prorsùs valet de testimonio Doctorum. Ergò sæpè evidens est, aliquam opinionem esse extrinsecè probabilem. Rursùs non omnis exceptio impedit probabilitatem: si enim pauci & minoris notæ Auctores excipiant contra assertum plurium & fide dignorum, talis exceptio non impedit certam probabilitatem extrinsecam nec in testibus nec in Auctoribus, ut ostensum est *quæst. 38.* Demùm Auctores sæpè excipiunt contra veritatem, non tamen excipiunt contra probabilitatem, sed fatentur opinionem, quam falsam reputant, esse probabilem. Tales ergò exceptiones non tollunt probabilitatem. Demùm rationes quas illi afferunt, qui excipiunt, sæpè inveniuntur prorsus invalidæ ac insufficientes, & talis est casus præsens de exceptionibus contra benignam sententiam. Ergo illa est evidentissimè probabilis, tam extrinsecè quàm intrinsecè; quia evidenter nititur auctoritate rarò aut nunquam fallente. Unde si illa supponatur pro minori in dicto syllogismo, ut nos fecimus in probatione tertiæ assertionis, minor erit evidenter vera, & conclusio sequetur in forma. Ergò per discursum reflexum certificamur de non peccato, etsi per discursum directum de hoc non certificemur.

Maximi Doctoris opinio etiam probabilis, donec certo sed sufficienter convincatur non esse veram.

20. Idem responsum valet de opinione maximi cujusdam Doctoris, v. g. S. Thomæ, quia quamdiu non patitur exceptionem, est certò probabilis extrinsecè, cùm nitatur auctoritate plerumque non fallente. Quòd si exceptionem patiatur, qua non veritas, sed qua probabilitas illius impetitur, non erit amplius certò probabilis, donec exceptio examinetur & nulla inveniatur. Jam illam quando duo Doctores summi, ut S. Thomas & S. Bonaventura docent contraria, & singuli post visa alterius fundamenta in sua sententia persistunt, nulla sit exceptio contra probabilitatem, sed utraque manet certò probabilis, ut ostendi dicta *quæst. 38.* ubi attuli disparitatem inter Auctores & testes, & ostendi contrarias Auctorum opiniones esse simul probabiles, etsi asserta testium æqualium contradicentium probabilia non sint.

Probabilitas intrinseca sæpè certo discernitur.

21. Idem prorsus valet de probabilitate intrinseca, quia in casibus innumeris illam evidenter discernimus, ut mirum sit, Celladeum potuisse proferre contrariam propositionem. Nónne evidens est, quòd matres plerumque amant suos filios, & consequenter quòd hæc mater, contra quam nulla exceptio apparet, probabiliter suum filium diligat. Quis non videt, quod sit evidenter probabile, eadem puncta ex fortuito alearum jactu decies consequenter non esse reditura? Ecce frequenter datur evidentia de probabilitate intrinseca, etsi de veritate rei nulla detur evidentia. Idem prorsus valet de rationibus, quibus auctores moventur, dum veritatem rimantur; illæ enim ex qualitate ac numero non minùs patefaciunt intrinsecam probabilitatem, quàm qualitas ac numerus testium probabilitatem extrinsecam manifestant, ut patet.

Sæpissimè nullus est, aut esse potest error in applicatione doctrinæ particularis, ut exempla à Celladeo proposita evincunt; si enim labor gravissimus à lege jejunii deobligat, utique omnes pedibus iter conficientes, omnes in vinea fodientes, omnes in area tritu-

22. Demùm sæpissimè nullus est, aut esse potest error in applicatione doctrinæ particularis, ut exempla à Celladeo proposita evincunt; si enim labor gravissimus à lege jejunii deobligat, utique omnes pedibus iter conficientes, omnes in vinea fodientes, omnes in area tritu-

triturantes, omnesque pari cum istis labore per totum diem fatigati certissimè excusantur, quia evidens est, omnes istos gravissimo labore distineri. Idem dicas de quantitate vespertinæ refectiunculæ jejunantibus permissæ: si enim illa ullâ determinatâ quantitate, sive per uncias, sive per partem aliquotam cœnæ ordinariæ, probabiliter statuatur, evidentissimum cuique esse potest, se quantitatem illam non excedere, & consequenter se in refectiuncula illa jejunium non violare, sed opinioni verè probabili se accommodare. Idem valet in omnibus fermè opinionibus probabilibus: sæpissimè enim evidens est, nullum esse defectum in applicatione doctrinæ ad casum personæ doctrinâ illâ utentis. Quæ cùm adeò evidentia sint, mirum est, tantam lucem à Celladeo pro tenebris fuisse habitam.

His tamen non obstantibus, omnes fatemur, difficultatem in opinionis probabilis applicatione sæpiùs intervenire. Verùm simul docemus, neminem tunc ex vi illius opinionis tutò conscientiam formare, sed peculiarem diligentiam adhibendam esse, ut vel ex proprio studio, vel certè ex auctoritate aliena certi simus, nos pro rei qualitate debitam diligentiam adhibuisse, atque probabili saltem persuasione de honestate operis dirigi. Hoc est onus, quod omnibus, qui benignâ sententiâ utuntur, injungimus, qua in re Celladeo præluximus, qui phrasi illâ suâ, *cum onere*, nil novi docuit, ut jam proximè dictum est.

Objectio 3. 23. Objectio tertia. Aliqui fundant se in hoc syllogismo reflexo: *quidquid fit præmissa consultatione cum medico in rebus medicu, cum Theologo in Theologicu, uno verbo cum peritis in re, de qua consultatur, id sine peccato fit, sequendo eorum consilium. Sed ego eam consultationem præmisi, & habeo eorum responsum. Ergò sequendo eorum consilium non pecco.* Et sic discurrunt. Major est certa. Minor intuitivè evidens. Conclusio evidenter sequitur in forma; est autem hæc conclusio dictamen conscientiæ, quo ad operandum dirigimur. Ergò ex probabilibus consurgimus ad formandum certum conscientiæ dictamen. Verùm contra est, quia concedere istum syllogismum esse demonstrationem, plus est, quàm omnes omninò librorum opiniones facere tutas; quia quæ libris eduntur, majori consideratione perpensa sunt, quàm quæ ore respondentur. At nemo dixit, omnes omnium librorum opiniones esse tutas. Ergò multò magis repugnat, omnia peritorum responsa esse tuta. Itaque major propositio: *Quidquid prævia peritorum consultatione facimus, sine peccato facimus*: miseranda est potiùs quàm admittenda; est enim propositio, ex qua infinita mala nascuntur, litium, bellorum &c. Si liceret exempla proferre, viderent homines, quantum illa major & suis & reipublicæ rebus præjudicet, & omnia ad potentiam resolvat. Potentiæ enim consilia, & Consiliarii nunquam desunt. Ita Celladeus. loco citato § 2.

Responsio. Respondeo Celladeum intra paucas lineas mirum in modum suam mutare sententiam. Prioris syllogismi majorem admisit ut evidenter veram; majorem verò hujus syllogismi, quæ in majore prioris syllogismi involvitur, vult esse evidenter falsam, ex qua nempe omnia fermè mundi mala ortum trahere existimat. Unde tanta diversitas? Dicam: nullum hìc de minore aut ejus applicatione dubium, nulla tergiversatio esse potest, sicut poterat in priori syllogismo; quare contra majorem insurgit, cùm illa moderatè ac debitè intellecta semper fundetur in indubitata probabilitate extrinseca, & consequenter quoad omnia evidentissimè includatur in majori syllogismi prioris.

Celladeus reipsa negat quod antea concesserat.

24. Itaque dico, majorem paulò aliter propositam esse lumine naturæ evidenter veram. Et sanè nil evidentius, quàm quòd universaliter rejici non possit tanquam inevidens. Cogitemus virum aliquem doctrinæ ac sanctitatis famâ toto orbe celeberrimum (quales erant suo tempore Ambrosius, Augustinus, Thomas, & Bonaventura, nec similes omni ævo defuêre. Tales fuêre nostro hoc sæculo Bellarminus, Suarez, aliique innumeri) quem idiota aliquis tanquam oraculum super ordinario aliquo suæ conscientiæ dubio consulat. Supponamus etiam, quod Doctissimus iste vir respondeat, illud de quo idiota dubitabat esse licitum. Dico certum esse & evidens, quòd idiota ille non peccet, si in verbo tanti viri conscientiam deponat, & bona fide operetur. Quid enim evidentiùs, quàm idiotam prudentissimè tali viro credere? Nónne etiam evidens est, illum omnia fecisse, ad quæ tenetur pro conscientia sua debitè formanda. At evidens est eum non peccare, qui postquam omnia fecit ad quæ tenetur, sequitur dictamen certò prudens de honestate sui operis, quique non nisi imprudenter de honestate illius dubitare potest. Ergò evidens est, talem idiotam non peccare. Præterea evidens est, quòd si errat, invincibiliter erret. Ergò evidens est, quod non peccet. Qui sequitur consilium, cui prudenter assentitur, non peccat.

Subditus certus se non peccare obediendo in re probabiliter licita

25. Idem videre est in subditis, qui ex obedientia aliorum directioni subsunt. Illi enim, non solùm idiotæ, sed etiam docti, licitè obediunt in omnibus, ubi manifestè non apparet peccatum. Saltem juxta omnes evidens est, quòd non peccent obediendo, quando res injuncta est probabiliter licita, & probabilior quàm pars opposita. Ergò per reflexum syllogismum certificantur quòd non peccent; licet ex vi directi syllogismi de rebus secundùm se talem certitudinem non habeant. Itaque Celladeus evidenter falsus est, dum universaliter excepit contra majorem dicti syllogismi.

Non omne licitè fit, quod ex prævia consultatione fit,

26. Porrò quando dicimus, majorem illam esse universaliter veram, non illam accipimus in sensu Celladei, nec crudè dicimus: *quidquid prævia consultatione facimus, sine peccato facimus*, quia multi ex industria consulunt minus peritos, alii adhibent adulatores, aut de quibus meritò suspicari possumus, ne vitio adulandi, quæ placitura, non quæ vera sunt, dicant. Alii, maximè si sint periti, sæpè vident consilia & rationes, quibus consultores nituntur, non sufficienter probare intentum, sed esse falsas aut debiles &c. Alii nec tot nec tales consultores adhibent, quot magnitudo rei, & bonum publicum postulat, sed suos tantùm in propria causa consulunt, cùm impartiales & interesse non habentes consulere deberent &c. In hisce & similibus casibus tuti non sunt, qui tali solùm consulatione præmissa, ad opus progrediuntur; sicut nec illi, qui sufficienti consultatione præmissa, adhuc titubant, & bonam fidem non formant. Itaque ego non minùs, quàm Celladeus, excipio contra illam propositionem, *quidquid prævia consultatione fit, sine peccato fit*, & dico illam esse non solùm miserandam potiùs quàm admittendam, sed absolutè dico, eam esse prorsùs intolerabilem & evidenter falsam; quia multi ob defectus notatos, aliosque ejusmodi, nec coram Deo nec coram hominibus tuti sunt, qui tamen præmissa consultatione

sultatione faciunt, quod consiliarii licitum esse dicunt.

Syllogismus reflexus demonstrativus de non peccato.

27. Itaque sensus majoris illius est iste. *Quidquid in rebus verè incertis sit præmissa consultatione, juxta qualitatem rei, cum probis & peritis, de quibus nulla esse potest prudens suspicio, quin rectè munere suo fungantur, id sine peccato sit, si bona fide ex eorum consilio fiat.* Huic majori subsumitur ista minor. *Sed ego præmisi consultationem juxta rei qualitatem cum probis & peritis, de quibus nulla esse potest prudens suspicio, quin rectè suo munere fungantur; & illorum auctoritate confisus formo bonam fidem, & credo, quòd verum dicant. Ergò sequendo eorum consilium non pecco.* Hic syllogismus reflexus est demonstrativus, & frequentissimè locum habet in minus peritis. In peritis autem frequenter locum habet, toties scilicet, quoties illi non habent causam suspicandi, consiliarios non ritè functos esse officio suo.

Majoris evidentia declaratur.

28. Jam quòd major sit evidens, ex eo patet, quòd omnia excludat, ob quæ præcipitatio & temeritas in sequendo alieno consilio incurri possit. Præterea si ista propositio non esset certa & evidens, consultationes frustra adhiberentur, quia quibuscumque præmissis, adhuc periculosum esset illis fidere. Unde enim potest esse quies & certitudo animi, si illa ex consultatione, qualem proposui, non procederet? Profectò semper vacillandum esset, quia plus fieri non potest, quàm quod propositio illa præscribit. At nil evidentius, quàm quòd consultationes sint utiles ac necessariæ ad conscientiam ritè formandam, quòdque illis debitè peractis juxta illas liberè procedendum sit. Ergò major illa propositio est evidens. Rursus evidens est, assensum illum de honestate rei esse probabilem & prudentem, qui tali consultatione & resolutione nititur. Ergò evidens etiam est, opus à tali persuasione profectum non esse imputabile & peccaminosum. Minor sæpissimè est evidens. Consequentia legitimè deducitur.

Syllogismus allatus nullum inconveniens involvit.

29. Jam hunc syllogismum pro regula admittere non est plus, quàm omnes omnium librorum opiniones ut licitas proponere; quia hîc & nunc nulla est, aut esse potest prudens exceptio contra consilium datum. At contra multas opiniones plures sunt validæ exceptiones; aliquæ enim damnatæ sunt ab Ecclesia, aliæ à gravissimis Auctoribus tanquam improbabiles rejectæ, ut patet. Præterea etsi opiniones majore maturitate scribi, quàm responsa ore dari videantur, id tamen reipsa non est verum, si de proborum ac peritorum resolutionibus loquamur, quia illi de consuetis & facilibus diligentiam scriptoribus ipsis non imparem præmiserunt; de difficilibus verò antequam respondeant, non minorem quàm si scriberent, & sæpè majorem, quàm multi scriptores, diligentiam adhibent. Demùm mala quæ Celladeus enumerat, quæque proferendi licentiam cupit, locum non habent ex usu hujus syllogismi, ut patet.

Objectio 4.

30. Objectio quarta. Ponere in actibus nostris talem conscientiæ securitatem, præmissa humana consultatione, qualem haberemus, si Deum ipsum consultorem haberemus, nimiæ præfidentiæ est. At nos talem ponimus, quia dicimus operantem habere certitudinem ac evidentiam quod non peccet, si humanum consilium sequatur. Ergò nimis præsidenter loquimur. Ita Celladeus §. 3.

Responsio.

Respondeo inprimis, nos paritatem non admittere; nam certitudo quam habemus, dum Deus ipse loquitur, est certitudo fidei, quæ major est, nobiliorisque ac altioris ordinis, majusque & nobilius meritum fundat, quàm certitudo naturalis, qualem ponimus in illis, qui sequuntur directionem consilii humani.

Certitudo peccati sequendo consilium humanum non fundamentaliter nititur humana.

31. Respondeo secundò, certitudinem, de qua loquimur, non fundari in auctoritate humana, nisi occasionaliter ac remotè, quatenus illa constituit novam circumstantiam, in ordine ad quam objectum, quod illa proponit ut licitum, consideratur. Jam lumen, à quo tota certitudo nostra dependet, provenit à principio synderesis reflexo, & ab evidentia actuum nostrorum, quod lumen à solo Deo est, non ab humana auctoritate, ut patet. Itaque certitudo non in humanam auctoritatem, sed in lumen à Deo immediate participatum resolvitur. In hoc autem non nimis præfidenter de nostra certitudine, sed magnificè, ut oportet, de providentia Dei loquimur; ipse enim reflexam hanc certitudinem nobis misericorditer providit, quando ad illam per cognitiones directas pervenire non possumus.

Multa impediunt certitudinem suam peccandi ab actibus humanis.

32. Objectio quinta. Multa obstant contra prætensam hanc conscientiæ certitudinem. Ergò non est admittenda. Inprimis sollicitudo aliqua, & aliquod salutis æternæ studium omnibus necessarium est. At impossibile videtur, quod possimus taxare hanc sollicitudinem per mensuram aliquam determinatam. Secundò etsi mensura esset nota & certa, adhuc incertum esset, an mensuram illam expleverimus, an remissiores extiterimus. Tertiò omnes Auctores requirunt diligentiam aliquam pro invenienda veritate morali. At impossibile nobis est ita determinare mensuram hujus diligentiæ, ut certò dicere possimus, *tantum requiritur, & non plus.* Quartò non sumus certi nos segniores non extitisse. Quintò multi asserunt orationem necessariò adhibendam esse. Sextò alii exigunt emundationem conscientiæ, & vitiorum fugam, humilitatem &c. quia anima non munda facilè fallitur, & omnes quotidie experimur, eadem objecta diversimodè affectis diversa apparere. Exhis sequitur impossibile esse, quòd semper & in singulis actibus certo ac infallibili dictamine sciamus, *Ego hoc docendo, vel hoc operando non pecco.* Ad hoc enim requiritur, ut certò sciam, me in studio salutis atque in diligentia veritatem investigandi, in corde mundando, in Deo orando, nil eorum omisisse ad quæ teneor. Ita Celladeus §. 3.

Multæ doctrinæ sunt evidentes indepositis dementiæ ab his moribus utentium illis.

33. Respondeo inprimis, transeat totum: non enim asserimus quod in omnibus actionibus nostris habeamus hanc evidentiam, sed solùm quòd sæpè eam habeamus: quod certò negari nequit in filiis respectu parentum existimatorum; in rudibus, qui gravissimos & sanctissimos consulunt; in Judicibus, qui testibus juratis contra quos nulla est exceptio, credunt: ad certitudinem enim istorum & similium, nil eorum, quæ Cella comminiscitur, necessarium est, sed omnia fermè æquè locum habent in infidelibus, qui nullam salutis curam gerunt, ac in fidelibus, qui Deo cum omni diligentia serviunt. Nec mirum, quia etsi passiones ac vitia animum excæcent, non tamen penitùs extinguunt lumen rationis, sed illa adhuc benè percipit quædam notissima, qualia sunt ea, quæ proposuimus, quæque facilè deducuntur à primis principiis synderesis sive directis, sive reflexis. Jam ad hoc genus ea omnia pertinent, quæ in tertia assertione proponuntur, quia doctrina illa non dependet à moribus illâ utentis. Itaque ille certus est se non peccare, dum illam

illam sequitur ; modo non utatur ulla opinione, quam non evidenter novit esse probabilem. Præterea quando versamur in incertis, & sequimur opinionem communem, quæ Celladeus commemorat, non nisi in gradu valdè mediocri sunt necessaria. Certùm autem est, ea omnia in mediocri gradu ab omnibus fermè benignæ sententiæ Auctoribus fuisse præstita.

Auctores benignæ sententiæ omnem suam obligationem haud dubiè impleverunt.

34. Respondeo secundò, omnia hæc ad eos tantum aut præcipuè spectare, qui quæstiones morales solvunt, suisque doctrinis alios docent. At hoc nil facit ad casum nostrum, quia loquimur de sequenda opinione, quam omnes plurium sæculorum Theologi doctissimi sanctissimique tradiderunt esse verissimam, qua in re nulla superest difficultas, cùm non sit prudens ratio dubitandi, quòd omnes isti Doctores erraverint, nec locus detur suspicioni prudenti, quòd tota Ecclesia in re tanti momenti, tamdiu & tam periculosè erraverit. Itaque haud dubiè cessat obligatio rem hanc ulterius ventilandi. Ego tamen aliique complures, post novos adversariorum clamores, de novo rem, quàm maxima potuimus diligentia, examinavimus : certum autem est, quod major in rebus humanis sub præcepto non cadat. Neque ad hoc dignoscendum opus est nisi scripta eorum evolvere, qui à viginti aut trigina annis de hac re scripserunt ; illicò enim apparebit, quòd tanta in hac re diligentia usi sint, quanta in rebus maximis postulari potest. Porrò iidem Auctores fuerunt viri, qui non exiguum suæ salutis studium habuerunt, & quidem longè majus, quàm sub præcepto cadat. Cæterùm quamvis difficile ac fortasse nobis impossibile sit determinare, quænam sit præcisa mensura studii pro salute adipiscenda, ac diligentiæ pro invenienda veritate sub præcepto necessariæ ; nihilominus impossibile non est magnam aliquam taxam assignare, ac certò affirmare, quòd quidquid ad illam pertingit impleat mensuram nobis præceptam. Sic, licet in particulari scire non possimus, quot præcisè obolorum furtum requiratur, ac sufficiat ad peccatum mortale ; nihilominus certò scimus, centum scuta esse materiam gravem, nec quisquam de eo dubitat. Jam ergò certum est plurimos ex benignæ sententiæ Auctoribus omnia ista abundantissimè expleviſse, atque insuper ita in orando Deo, in conscientia mundanda, & in mortificandis passionibus eminuisse, ut toti mundo tanquam perfectæ sanctitatis exemplaria eluxerint. Hinc licet suspicari possimus, homines diversis affectibus & passionibus non benè regulatis esse obnoxios, quando videmus eadem objecta diversimode illis apparere ; nihilominus quando eadem objecta per multa temporum spatia omnibus eodem modo apparent, signum evidens est objectum illud debitè perceptum fuisse. Hic est casus præsentis controversiæ ; quia per integrum sæculum omnes omninò tenuerunt benignam sententiam. Quòd si sermo sit de usu opinionis directè probabilioris, nemo præter Celladeum dubitavit an esset licitus. Jam ergò si unus contra omnes, aut pauci contra incomparabiliter plures, qui paucis illis non solùm in nullo inferiores, sed in multis imò in omnibus superiores sunt, insurgant, & objectum idem aliter illis quàm aliis omnibus appareat, suspicio est, illos paucos non esse debitè dispositos ; & defectum apparentiæ non objecto, sed malæ eorum dispositioni tribuendum esse. Hoc autem maximè locum habet in casu nostro, quia post diligentissimum examen omnium, quæ pro se contra communem opinionem afferunt, invenimus illa aut ex statu quæstionis malè intellecto, aut certè ex miris æquivocationibus ortum habuisse, ac nil prorsus probare ; unde dicimus ac scimus, benignam sententiam illorum oppositionibus nil probabilitatis perdidisse, sed magnum exinde certitudinis suæ incrementum acquisivisse.

Adversarius potiùs quàm nobis timendum est.

35. Præterea moraliter certum est, nil eorum, quæ Celladeus requirit, omissum fuisse à plurimis benignæ sententiæ Auctoribus, quamvis id non ita constet de singulis : an autem certitudo hæc locum habeat in paucis illis, qui benignæ sententiæ adversantur, aliorum judicium esto, non enim quemque judico ; pro se unusquisque respondere debet. Consulamus ergò conscientias nostras, & si in aliquo defecerimus, emendemus quod minus rectè patratum novimus, vel timemus. Ego certè ex animo cum Jobo & dico & sentio : *si habuero quidquam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor, & cùm invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam* : stultum enim esset homini velle cum Deo contendere, etiam in iis, quæ certò novit se rectè fecisse, quia pro illis Deo grates referre, seque coram Creatore suo tanquam illis indignum humiliare debet, non autem de illis extolli ac gloriari sicut Pharisæus, qui dicebat, *jejuno bis in sabbato &c.* Cæterùm in quæstione præsenti haud dubiè longè magis timendum est adversariis, quàm nobis : illi enim contra unanimem Theologorum omnium sententiam inducunt opinionem novam : illi alios omnes, etiam doctissimos ac sanctissimos, doctrinæ periculosæ damnant : illi omnibus, qui antea multa conscientiæ pace fruebantur, timores incutiunt &c. Hæc autem omnia contra communem proborum doctorumque opinionem faciunt. Timendum ergò illis est, ne res tantas sine summa diligentia, sine magna conscientiæ puritate, atque sine ferventi divinæ opis imploratione contra communem fidelium sensum & consensum tradiderint. Si certi non sint, se hæc omnia præmisisse, timere possunt ne muneri suo non satisfecerint.

Job 9. 15. & 16.

Argumentum retorquetur.

36. Demùm, ut argumeti hujus ponderationem retorqueam, peto à Celladeo, an existimet, se in nullo totius sui libri paragrapho scribendo certitudinem saltem moralem habuisse, quòd in eo tradendo non peccaverit ? si dicat, se in nullo prorsus talem certitudinem habuisse, ex animo viro compatior, quòd sine ulla necessitate se in tantum periculum conjecerit, & hortor, ut in posterum à tali periculo se subtrahat, quia melius est oculum eruere, aut etiam pedem abscindere, & à fama per librorum editionem etiam licitè captanda se subducere, quàm in omni assertione proponenda peccandi Deumque offendendi periculo se exponere. Si autem dicat, se ita de aliquibus formidare, ut de multis, imò de plurimis moralem certitudinem habeat, se illa proponendo non peccasse ; eo ipso sibi contradicit, quia jam in plurimis admittit certitudinem reflexam, etsi directè loquendo de illis evidentiam & certitudinem non habeat ; quia nimis patens est, Celladeum ex iis ; quæ contra benignam sententiam profert, nil prorsus demonstrasse, aut certis argumentis comprobasse.

Objectio 6.

37. Objectio sexta. Hic syllogismus reflexus : *Qui facit, quod absolutè putat esse licitum, non peccat, sed ego absolutè puto hoc esse licitum. Ergò hoc faciendo non pecco* : non probat intentum, qui major est certò falsa. Itaque major debet hoc modo formari:

formari. *Qui facit quod putat esse licitum non peccat, si nihil eorum prætermisit quæ debuit.* Jam huic majori subsumi debet minor. *Sed ego puto hoc esse licitum, & nihil prætermisi eorum quæ debui.* At hæc minor non est certa & evidens, sed solùm probabilis illis, qui in salute animæ procuranda verè diligentes sunt. Ita Celladeus §. 3.

Qui bona fide sequitur dictamen conscientiæ, non peccat præcisè ratione illius actûs.

Respondeo Celladeum ex proprio capite formasse hunc syllogismum; nemo enim affert illum pro sufficienti conscientiæ regula, & multò minùs pro syllogismo evidenter concludente. Immò omnes expresè supponunt, majorem illius simpliciter sumptam esse falsam, quia omnes unanimiter docent, dari peccata ignorantiæ, multisque de causis peccari posse in eo, quod homo putat non esse peccatum, sed bonum. Cæterùm si sermo sit de peccato imputabili ratione sui, & non ratione alterius, prior ille syllogismus verus est, quando nulla prorsus adest suspicio mali, quia nullum peccatum ex pura ignorantia est imputabile ratione sui, sed solùm ratione ignorantiæ vel erroris, à quo provenit, si enim error non esset imputabilis, neque actus ab errore regulatus imputari posset. Ergò tota imputabilitas talis operationis ab erroris vel ignorantiæ imputabilitate dependet & desumitur, quod latè probatum est *in tract. de consc. prob. quæst. 13.* fermè per totum. Item *quæst. 17. à num. 31. usque ad finem & quæst. 25. à num. 42.* de qua re iterum plura dicentur inferiùs *quæst. 65.*

Argumentum Celladei totum ejus intentum evertit, & probat certitudinem reflexam fine directa.

38. Cæterùm nos aliter proferimus majorem, & dicimus, illum non peccare, qui facit quod certò prudenter credit esse licitum, & alia ejusmodi addimus, quibus non solùm omnis falsitas ab illa excluditur, sed ipsa ejus veritas certissimè habetur. Et quia Celladeus ipse non potest negare, quod major illa, *qui facit quod putat esse licitum, non peccat, si nil eorum prætermisit, quæ facere debuit*, sit evidens, ex illa totum ipsius intentum evidenter evertitur, & assertio nostra certissimè stabilitur. Inprimis illius intentum in eo potissimùm consistit, quòd putet impossibile esse, ut per principia reflexa certificemur de non peccato, quando certitudo in actibus directis non habetur: at hoc evidenter evertitur ex hoc ipso syllogismo reflexo, quem proponit: quia evidens est rudes, qui in suis dubiis consulunt homines, magnæ peritiæ ac probitatis fama celebres, nil eorum prætermittere ad quæ tenentur, ut informationem accipiant, quam in opere sequantur. Ergò quando rudes talium virorum dictis credunt utique majori illi addunt minorem evidentem, & consequenter eliciunt conclusionem evidentem, quæ est dictamen conscientiæ certum & evidens quod operatio sit licita. Ergò per reflexa principia certificamur de non peccato, etsi de illo per directa nullam certitudinem habere possimus, idque non rarò sed frequentissimè, quia casus directionis per homines peritos eorumque responsa est frequentissimus, non in pueris tantùm & rudibus, sed etiam in magis instructis, immò etiam in peritis, illisque omnibus, qui magnam suæ salutis curam gerunt.

Idem argumentum efficaciter probat benignam sententiam.

39. Quòd autem ex eodem principio sententia nostra, & assertio posita certissimè stabiliatur, ex eo constat, quod qui post diligentiam magnam adhibitam, & omnes adversariorum clamores auditos, eorumque argumenta seriò perpensa, invenit illa esse malè fundata; è contra verò percipit argumenta benignæ sententiæ esse potentissima, hic rationabiliter subscribit benignæ sententiæ, & putat universalem opinionum certò practicè probabilium usum esse licitum; quia subscribit auctoritati ac rationibus non solùm plerumque, sed ferè semper non fallentibus. Rursus ille idem nil eorum omisit ad quæ tenetur, quia qui sequitur communem aliorum omnium opinionem, & unà cum peritis & probis examinat ea, quæ in contrarium objiciuntur, illaque invenit esse invalida, absque dubio facit omnia ad quæ tenetur in ordine ad judicium de illa opinione formandum, quia alia onera illi ex obligatione imponere apertæ rationi repugnat. Quòd si Celladeus in eo se figat, quod homo mediocrem saltem salutis curam adhibere teneatur, pariqué sollicitudine conscientiam mundare, & lumen à Deo petere ne fallatur, aut fallat, ista haud dubiè reperiuntur in multis non solùm ex antiquis, sed etiam ex recentioribus benignæ sententiæ patronis, & unusquisque de seipso hac ex parte facilè discernere potest, an talem diligentiam præmiserit. Ergò qui conscii sunt, se talem diligentiam præmisisse, illi utique per certam conclusionem inferunt usum benignæ sententiæ esse sibi licitum. Atque ita ex hoc ipso syllogismo veritas benignæ sententiæ stabilitur, & certificamur quòd omnes tales hac in re licitè sequantur suam sententiam. Idem valet de iis omnibus, qui ab illis diriguntur, modò rationabiliter præsumant, unanimem tot auctorum consensum esse fide dignum, illique ut absolutè veræ ob extrinsecam auctoritatem consentiant.

40. Ecce Argumenta Celladei probant, non improbant tertiam assertionem, & quidem hoc ultimum argumentum, juxta omnia ejus postulata acceptum, ita illius opinionem evertit, ut nostram stabiliat. Cæterùm post tantam diligentiam impensam, quantam Auctores benignæ sententiæ impenderunt, nulla supereſt obligatio ad ulteriorem inquisitionem de illius veritate; sed unusquisque prudenter illi assensum præbet, modò argumenta & auctoritates dictæ sententiæ apud ipsum prævaleant. Idem dico non solùm de omnibus opinionibus communibus, sed etiam de quibusvis certò probabilibus practicè. Ratio est, quia cùm in istis humana diligentia præmissa sit, nec ulla spes proxima affulgeat veritatem certiùs cognoscendi, haud dubiè nemo tenetur rem ulteriùs investigare, sed cuique licitum est, talem opinionem amplecti, modò illa sit certò probabilis juxta præscriptum benignæ sententiæ. Et sanè maxima mundi pars talia investigare nequit, pauci possunt, nemo per se loquendo tenetur, nisi fortè quis in se recipiat onus talem quæstionem suâ etiam auctoritate confirmandi: hic enim ex suo officio teneretur eam diligenter examinare. Sed hoc est per accidens ad præsentem quæstionem, ut patet.

ASSERTIO QUARTA.

Doctrina Celladei, si vera esset, aut mundum scrupulis impleret, omnésque nimium timidos ac perplexos in Dei obsequio redderet, aut hominibus imponeret onus intolerabile, quod constat à Deo nobis impositum non fuisse.

Sententia Celladei est scrupulos non ferendos, aut

41. PROBATUR. Si Celladei sententia esset vera, tutiora vel essent, vel non essent in omnibus sectanda. Primùm esset onus hominibus intolerabile, quod Deus certissimè non injunxit, ut constat ex *quæst. 9.* Quin & Celladeus ipse

onus intolerabile secum duceret, si assumeretur pro regula.

ipse absurdum putat, talem obligationem hominibus injungi. Secundùm, omnes continuis scrupulis ac conscientiæ remorsibus inquietaret, magnoque Deum offendendi timore atque perplexitate agitaret, quoties non haberent directam certitudinem de honestate operis, quod faciunt. Ratio est duplex: prima est, quia nescirent an sequerentur opinionem probabilem, cùm per Celladeum probabilitas non minùs lateat, quàm veritas. Ergò meritò formidarent ne fortè sequerentur opinionem improbabilem. At qui sequitur opinionem improbabilem (etiam veram) peccat, quia non sine temeritate se exponit periculo sectandi dictamen imprudens & stultum, seu non regulam pro regula. Præterea in eodem casu alia adesset formido peccandi, nempè contra legem; nam quamvis opinio appareret probabilis, adhuc timor esset, ne esset falsa, quia ex ipsa natura probabilitatis apparentis necesse est, ut aliquando à vero aberret. Hi duo timores inseparabiles essent ab omni operatione circa partem minus tutam. Ergò esset periculum non exiguum errandi in alterutro. At ex quocumque illorum capitum error contingeret, homo peccaret. Ergò non posset non angi timore ac periculo non exiguo Deum offendendi, ne scilicet vel uteretur non regulâ pro regulâ, vel certè ne regulâ erroneâ uteretur.

Eadem sententia nullom dictis malis remedium relinquit.

42. Secunda ratio est, quia ex sententia Celladei, negantis dari ullam certitudinem reflexam ubi deest certitudo directa, nunquam certi sumus nos non peccare. At nemo potest non quodam conscientiæ remorsu angi, qui facit, de quo metuit ne sit offensa Dei, quamvis absolutè credat oppositum; quia judicium probabile non excludit ejusmodi formidinem. Ergò homo toties aliquo modo contra conscientiam, ejusque remorsum ageret, quoties minus tuta sectaretur. Ergò semper in sua conscientia exponeret se periculo peccandi. Ergò semper perplexus esset an peccaret. Similiter post opus, semper perplexus esset, an peccasset nec ne? an teneatur confiteri nec ne? & sic totus mundus scrupulis necessariò impleretur. Ergò alterum ex positis in assertione inevitabiliter sequitur ex doctrina Celladei.

Eadem scrupulorum remedium moraliter impossibilitat.

43. Confirmatur, quia pro homine scrupulosioris conscientiæ, qui ob minimam apparentiam formidat Dei offensam, nullum superesset remedium ad eum timore suo liberandum; nil enim certi, cui niteretur, proponi posset; sed è contra omnia remedia eisdem timendi rationibus obnoxia essent, quibus malum, cui medendo adhiberentur, subjacet. Timerent enim primò, an probabilia sectarentur. Secundò timerent, ne probabilia sectantes à vero aberrarent, & sic Deum offenderent. Tertiò reflexè crederent, quod in nullo casu possent habere certitudinem non peccandi. Ergò semper angerentur formidine peccandi, nec ab illa extricari possent. At timor ille est unicum malum, quo vexantur, & ratione cujus terrore ac quadam perplexitate concutiuntur. Ergò nullum esset pro illis remedium. Immò è contrario necesse foret, ut omnes, salutis suæ studiosi, in hujusmodi scrupulos, timores & perplexitates inciderent, quia corda illorum semper arctarentur timoribus prædictis, nec unquam illis liberari possent, cùm ratio ipsa, & propria eorum conscientia ac opinio semper dictaret causas timendi adesse, ac ut præsentes proponeret.

In sententia Celladei,

44. Probatur secundò. Positâ sententiâ Celladei, omnis operans formaret judicium hujusmodi. Ego puto me non peccare hîc & nunc, sed fortè decipior & pecco; quia hæc formido naturaliter conjuncta est cum opinione probabili. Rursus per reflexum discursum nulla certitudo consurgeret. Ergò omnis operans signatè vel exercitè ex propriæ conscientiæ dictamine ita esset dispositus, ut existimaret se fortè Deum offendere. At opus tale est peccatum, tum quia non fit ex bona fide, tum quia nequit fieri absque contemptu Dei: quomodo enim non contemnitur Deus ab eo, qui juxta ultimum conscientiæ suæ dictamen, ita dispositus est, ut dicat, *puto quidem me Deum non offendere, sed certus non sum, & fortasse eum graviter offendo.* Certè talis homo legem non offendendi Deum, eumque super omnia totisque viribus diligendi non videtur implere. Quomodo enim Deum totis viribus amat, quomodo ejus offensam toto corde detestatur, illumque rebus omnibus præfert, qui minùs tuta sectando periculo illum offendendi sciens & volens se exponit? Nónne præfert exiguum bonum temporale periculo Deum offendendi? Ergò talis operatio est incompossibilis cum observatione præcepti Deum supra omnia diligendi. Ergò est peccatum. Rursus hoc ipsum reflexè cognoscitur. Ergò homo non solùm semper perplexus esset an Deum offenderet, sed etiam haberet conscientiam reflexam de suo peccato. Hæc sunt absurda, quæ inevitabiliter sequuntur ex opinione Celladei, quæ proindè falsa esse convincitur. Et sanè Celladeus ipse fatetur ea esse absurda, sed negat ea sequi ex sua sententia: Restat ergò ut videamus an ille ab istis sequelis se defendat, quod fiet ex solutione rationum, quas affert.

qui sequitur minus tuta, Deum offendit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

45. OBJECTIO prima. *Nemo certus est an odio vel amore dignus sit.* Ergò omnes sumus incerti, an simus in statu vel extra statum gratiæ. Hinc sic arguo. Si certi essemus nos in omnibus nostris actibus non peccare, posse mus certi esse de statu gratiæ, quia secunda certitudo deducitur ex prima. At sequela est falsa, quia ex Tridentino *sess. 6. cap. 9.* certum est *neminem*, absque peculiari Dei revelatione, *scire posse certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Ergò falsum est antecedens. Ita Celladeus §. 4.

Non est certus de gratia Dei, qui certus est se non peccare in aliquo actu.

Respondeo inprimis. Transeat totum, si sermo sit de actibus totius vitæ, aut valdè longi temporis: quia si certi essemus, nos nunquam decem annorum spatio peccasse, magnum & fortasse infallibile haberemus argumentum dicendi nos esse in gratia Dei. Verùm hoc non est ad rem: non enim quærimus, an certi simus nos nunquam peccare in ullis actibus: certum enim est nos non habere certitudinem, quod in decursu tanti temporis nunquam peccemus, vel propria dictamina sectando, vel tentationibus non bebitè resistendo, vel etiam contra conscientiam, aut in dubio operando &c. Sed solùm quærimus an simus certi nos non peccare, quando expresè & ex plena electione ac deliberatione sequimur opinionem certò probabilem, & per illam directi bona fide progredimur. Hoc affirmamus, sed ex hoc non sequitur nos posse esse certos de statu gratiæ, & non peccati habitualis, licet in multis certi simus hîc & nunc de non peccato actuali in hac operatione: sic certus est judex, se nunquam peccasse damnando homines legitimè

convictos, etsi certus non sit illos fuisse nocentes, cùm testes & argumenta, quibus motus est, sint solùm probabilia, & nimis frequenter à veritate aberrent. Nec tamen judex ideo certus est se esse dignum amore Dei. Idem prorsus valet de illis, qui bona fide sequuntur opinionem certò practicè probabilem.

Cõsequens non infertur ex antecedente.

Respondeo secundò, deductionem argumenti non esse legitimam: quia etsi certi essemus nos toto anno non peccasse mortaliter, non inde sequeretur nos esse certos de statu gratiæ, quia status gratiæ non obtinetur nisi per sacramenta, vel per contritionem perfectam. Jam ad contritionem perfectam ac justificativam, multa certò, multa alia probabiliter requiruntur, de quibus certi non sumus quòd unquam præcesserint. Ergò nunquam possumus esse certi, quod per contritionem ac votum sacramenti justificemur. Sed neque certi esse possumus, quod gratiam per sacramenta recipiamus, non solùm quia operatio Sacramenti dependet à materia, forma, ac debita intentione ministri, de quibus omnibus certi esse non possumus, nam intentio ministri semper latet. Latet etiam nos sufficientia contritionis ac confessionis debitæ pro recipiendo sacramento pœnitentiæ. Jam omnes istæ incertitudines manent, etsi non peccemus de novo, dum ad sacramenta recipienda nos disponimus, eædemque manerent, etsi certi essemus, nos in iis omnibus non peccasse de novo. Ergò nulla est consequentia argumenti allati, quamvis antecedens admittatur esse verum.

Objectio 2.

46. Objectio secunda. Parum refert certitudo hæc de non peccato in peculiaribus actibus, si omnibus inspectis non habeamus certitudinem de statu gratiæ, quia semper adest periculum damnationis, & status peccati habitualis. Ergò negatio certitudinis à Celladeo asserta nil specialis, aut indebiti, & nimii timoris affert, quia sive detur sive non detur, semper sumus incerti an Deo placeamus.

Responsio.

Incertitudo status est utilis, sed incertitudo non peccandi nocet.

Respondeo, incertitudinem statûs esse nobis valdè utilem, quia illa nos humiliores in oculis nostris, in virtutum exercitio Sacramentorumque frequentia exactiores reddit, quàm essemus, si de statu nostro certitudinem haberemus. Itaque ista incertitudo non nocet, sed virtutem acuit. Præterea certi sumus, illam incertitudinem non esse nobis imputabilem ad peccatum novum, nosque per illam Deum non offendere. At incertitudo, de qua nunc loquimur, est longè alia, & novo ictu affligit animam, quia illam in omnibus anxiam reddit, an Deum de novo offendat, multiplicatisque peccatis ampliorem damnationem & horrendam Dei desertionem mereatur. Itaque non parum, sed longè plurimum refert certitudo non peccati actualis in hisce determinatis actibus, & negatio certitudinis à Celladeo asserta, specialissimum timorem, nimiamque & inevitabilem sollicitudinem ac perplexitatem in re summi momenti secum affert.

Objectio. 3.

47 Objectio tertia. Plurima sacræ Scripturæ, Conciliorum ac Patrum testimonia probant, esse posse in nobis peccata occulta & ignota. At hoc non esset verum, si omnis peccans actualem remorsum experiretur; quia diligentissimi recordari possent omnium remorsuum. Rursus si omnis non peccans haberet certum & evidens dictamen de non peccato, omni peccanti notorium esset sibi deesse hanc evidentiam, ac proinde nulla essent nobis peccata occulta. Ita Celladeus §. 4.

Dantur peccata occulta.

Respondeo: multa peccata esse nobis occulta, vel quia eorum obliti sumus, vel quia ex vincibili ignorantia processerunt. Certè ex hac ignorantia sæpè putamus ea esse bona & Deo placentia, quæ verè sunt mala, & nobis imputantur. Jam verò multa peccata ex hisce capitibus essent occulta, tametsi homines actuali cum remorsu negligentes fuissent in veritatis indagatione, quando illa poterat, & debebat inquiri. Neque inde sequitur, quòd diligentissimi possint omnium recordari, quia oblivio in multis est prorsus insuperabilis, ut patet. Est præterea aliud caput, ex quo peccata sunt occulta, etiam quando adest aliquis remorsus. Sæpè enim tentatione pressi, nescimus, an strenuè restiterimus, an plenum, an semiplenum assensum præstiterimus &c. In tali ergò casu peccatum aliquando est occultum, etsi aliquem remorsum habeamus; quia multi remorsum habent, etsi diligenter restiterint, fecerintque omnia ad quæ tenebantur. Demùm, si universim loquamur, ad omne peccatum non requirimus remorsum, quia peccata ignorantiæ vincibilis esse possunt sine ullo remorsu, quamvis existimemus aliquem remorsum necessariò præcessisse, quando diligentia debita sponte negligebatur.

Respondeo

Unde ortum

Quare

Quando

48. Quod ad secundum attinet, jam responsum est; quia ostendimus unde peccata sint occulta. Cæterum, etsi omnis non peccans in instanti suæ operationis certò sciret se non peccare, & sic peccatum actuale, ratione sui imputabile, nunquam esset occultum in illo instanti, nihilominus multa peccata postmodum evaderent occulta, propter oblivionem, aliasque rationes allatas, tum hic, tum in *quæst. 13. de consc. prob. num. 37.* Præterea quando dicimus, omnem non peccantem debere esse certum de suo non peccato, solùm loquimur de eo, qui sciens & volens ex deliberatione ac determinatâ electione post consultationem præmissam ex præconcepto & stabilito judicio operatur, non autem de eo qui tentatione prævenitus, debitè non resistit, sed aut hæret dubius, aut etiam consentit, siquidem in tali casu homo aliquando ita prævenitur, ut vix ipsemet sciat quomodo se gerat in ullo determinato instanti. Certè frequentissimum est, ut statim post nesciat, qualiter dispositus fuerit; quamque diligentiam ac resistentiam adhibuerit. At omnia contrario modo se habent in priori casu, ideoque licet in illo semper certificemur pro instanti operationis, an peccemus nec ne, non tamen ideo in aliis casibus tam clarè de hoc certificamur, quamvis in illo etiam casu talis species actuum elicitorum relinquatur in anima, ut ex illis statim post mortem anima clarè discernere possit, an peccarit nec ne. Demùm si sermo sit de peccatis ignorantiæ; operans non semper habet certitudinem ac evidentiam de suo non peccato, ut dictum est. Ecce ex quot capitibus necesse est plura peccata esse hominibus occulta, etsi quoties ex electione sequuntur opinionem aliquam, certò cognoscant in instanti operationis, an Deum offendant nec ne.

Argumenta non tanguntquestionem in sensu probabilem prout infra lectum.

49. Et hæc quidem vera sunt, juxta dicta *in quæstionibus hîc num. 37. citatis ex tract. de consc. prob.* Sed quidquid sit de illa universali assertione, quæstio præsens solùm restringitur ad eos, qui ex præconsiliato sequuntur opinionem certò probabilem, idque faciunt ex vi benignæ sententiæ prius quam sequuntur, cùm habeant certam ac evidentem notitiam de probabilitate, prudentia, ac rationabilitate benignæ sententiæ. Nos dicimus certi-

certificari de non peccato, quia cùm certi sint de qualitate ac prudentia judicii directi, nunquam desunt principia Syndereſis reflexa, per quæ facillimè ascendant ad certitudinem de suo non peccato, ut tum in *hoc tractatu*, tum *in quæst. de consc. prob.* sæpissimè ostensum est. Porrò quæstionem in hoc sensu acceptam, hæc Celladei argumenta, ne quidem tangunt, cùm tamen hoc solùm sit id, de quo hoc loco ex professo agitur.

Objectio 4.

50. Objectio quarta. Unusquisque formidare potest, an in susceptione Pœnitentiæ & Eucharistiæ sit satis dispositus, & se sufficienter probaverit. At qui certus non est de sufficienti dispositione, non est certus se non peccare in actuali Sacramentorum susceptione, quia tota ratio non peccati sumitur ex digna vel indigna susceptione; ideò enim peccatur, vel non peccatur, quia non dignè, vel dignè suscipitur; nec est una lex de digna susceptione, & alia de non peccato. At de digna dispositione nulla datur certitudo. Ergò neque de non peccato.

Accedentes ad Sacramentum pœnitentiæ certi esse possunt se non peccare accedendo.

Respondeo inprimis, unumquemque meritò formidare, an dispositionem sufficientem habeat ad Sacramentum fructuosè suscipiendum, quia nemo scire potest, an ea omnia habuerit, quæ ad talem susceptionem sunt prorsus necessaria, ut dictum est. Cæterùm plures, qui notabilem in conscientia examinanda, ac contritione elicienda diligentiam adhibent, non habent unde formident sese de novo peccare in sumenda pœnitentia, modò sincerè accusent se de omnibus, quorum reminisci potuerunt. Ratio est, quia talis pœnitens nil eorum omisit, quæ probabiliter ac prudenter judicari potuerunt necessaria ad confessionem instituendam. Ergò sine dubio non amplius urgetur vi præcepti ad ulteriorem conatum. Nec Celladeus ipse diffiteri potest, nisi & sibi contradicer, & certe omnium doctrinæ repugnare velit. Ratio est, quia invincibilis ignorantia ulterioris obligationis à peccato excusat. At talis homo, vel benè dispositus est, vel certè invincibilem habet ignorantiam de sua non dispositione, ac de obligatione ulterioris conatus; nisi enim talis ignorantia esset invincibilis, nulla daretur ejusmodi ignorantia, cùm in tali materia ad meliorem ac certiorem cognitionem pervenire non possimus. Itaque haud dubiè viri diligentes, qui Sacramenta ista frequentant, sæpè certi sunt se in illorum sumptione non peccare, alioquin haud consultum foret ea frequentare; nec tamen inde sequitur, quòd certi sint de sua justificatione, ut constat ex proximè dictis.

Infructuosa dispositio ad effectum Sacramenti non infert peccatum in suscipiente.

51. Hinc habetur responsio ad reliqua. Inprimis quamvis homo non sit certus de debita dispositione ad fructuosè sumendum Sacramentum, potest esse certus de non peccaminosa ejusdem susceptione; non enim tota ratio peccati à digna, vel non digna sumptione dependet, si per dignam & non dignam sumptionem intelligamus fructuosam & infructuosam, ut patet ex dictis, quia Sacramentum per invincibilem ignorantiam sumi potest infructuosè sine peccato. Immò pœnitentia defectum baptismi ob malitiam baptizantis potest esse infructuosus, etsi certitudine fidei scirem, me habere perfectam contritionem, & integram confessionem facere. Itaque ratio peccati non sumitur præcisè ab infructuosa susceptione Sacramenti, sed multò maximè à negligentia in morali ac seriò conatu ad debitam dispositionem exhibendam. Quamvis ergò non sint duæ leges per se, quarum altera vetet non peccatum, altera non dignam susceptionem, tamen unica lex de debita sumptione non ita homines urget, ut nulla de causa excusari possint à peccato, etsi debitam dispositionem non afferant. Itaque quamvis certi non simus de debita dispositione ad fructuosè suscipiendum Sacramentum, tamen & esse possumus, & sæpè sumus certi de non peccato, seu de sufficienti dispositione ad non peccandum in ejus susceptione.

Argumentum non tangit difficultatem præsentem.

52. Demùm fateor, nos sæpè in istis rebus non esse planè certos, quod absque culpa ad Sacramenta accedamus, quia non benè scimus qualitatem judiciorum, quibus regulamur, & præparationis, quam præmittimus, ejusque mensuram hìc & nunc ex proprio judicio, cujus qualitatem benè perspectam non habemus, determinamus, eo quòd non inveniamus, unde certius nos regulemus. At quando in istis rebus sequimur opinionem certò probabilem, certificamur, nos in eo non peccare; tunc enim certum est, nos in eo prudenter ac rationabiliter operari, quia ex persuasione certò probabili nostram operationem dirigimus, de quo sæpissimè in aliis casibus non ita certificamur. At hoc ad nostrum intentum sufficit. Celladeus autem nil contra hoc tulit.

Objectio 5.

53. Objectio quinta. Hæc duo sibi repugnant; *Ego certus non sum, an hic actus meus sit reipsa à Deo prohibitus, & tamen certus sum, me in eo eliciendo non peccare*; quia idem est, objectum esse prohibitum & esse peccatum. At hoc est, quod dicitur ab iis, qui tradunt certum & evidens dictamen conscientiæ consurgere per principia reflexa ex directa probabilitate de honestate operis. Ergò docent contradictoria. Ita Celladeus § 5.

Prætensa contradictio contra nos clarissimè amolitur.

Respondeo, hæc duo sibi repugnarent, si non haberemus, nisi unum judicium, aut plura, quibus objectum in ordine ad easdem penitus circumstantias consideraretur. At si hi duo actus comparentur ad idem objectum in ordine ad diversas circumstantias, evidens est illos non esse contradictorios, quia contradictio est affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundùm idem. Sic Judex non est certus, se non damnare innocentem, & consequenter se non facere materialiter contra voluntatem Dei, qui prohibet ne innocens damnetur. Est tamen certus se non peccare, etsi per accidens contingat ipsum decipi & innocentem condemnare. Idem valet de obediente, de possidente rem alienam in dubio, de puero honorante patrem putativum & non obediente patri vero, aliisque innumeris ejusmodi casibus. Cæterùm Celladeus ista explicare nequit, quia negat ullam esse certitudinem reflexam, ubi directa certitudo deest. At nos, qui distinguimus duo conscientiæ dictamina, aliud directum & non ultimum, aliud reflexum & ultimum, non solùm salvamus hæc omnia, sed evidenter ostendimus, quomodo illa judicia sibi contradictoria non sint, quia scilicet considerant idem objectum in ordine ad diversas circumstantias, ut supra sæpè dictum est. Eadem distinctione ruit confirmatio argumenti à ratione petita, qua ipsum argumentum evertitur; quia non aliter idem est, objectum esse prohibitum & esse peccatum, quàm si objectum semper sumatur respectu earundem circumstantiarum, quæ certè in casu nostro evidentissimè alterantur.

Objectio 6.

54. Objectio sexta. Non est cur simus magis solliciti de operationibus nostris, earumque laudabilitate ac vituperabilitate, quàm de nobis ipsis, & de

& de sanctitate ac vituperabilitate nostrarum personarum. At defectus certitudinis de statu gratiæ non arguit me esse vituperabilem. Ergò neque defectus certitudinis de honestate operationis reddit illam vituperabilem. Ergò talis certitudo non requiritur ad honestè operandum. Ratio autem à priori est, quam attulit S. Thomas *1. 2. quæst. 96. art. 1. ad 3.* dicens. *Non est eadem certitudo quærenda in omnibus ut in 1. Eth. dicitur. Unde in rebus contingentibus, sicut sunt naturalia & res humanæ, sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus.* Et sanè modus operandi commensuratur modo essendi. Ergò sicut totalis certitudo excedit modum nostrum in essendo, ita pariter excedit modum nostrum in operando; ac proinde sicut non sumus vituperabiles in essendo & vivendo, eò quòd non habeamus certitudinem de justificatione nostræ personæ, ita pariter non sumus vituperabiles in operando, tametsi non habeamus certitudinem de honestate, & quasi justificatione nostræ operationis, sed in utrisque probabilitas sufficit. Ita Celladeus §. 5.

Tenemur ad majorem certitudinem de honestate operationis, quàm de sanctitate personæ.

Respondeo, quod nemo obligaretur ad majorem certitudinem circa honestatem suæ operationis, quàm circa sanctificationem suæ personæ, si in utraque habenda par esset difficultas. Verùm aliter se res habet, quia alterum est penitus impossibile, alterum multis in casibus non solùm possibile, sed etiam obvium: si enim homo sequeretur partem tutiorem, certus esset se non peccare: Ergò nequaquam illi liceret sequi partem minus tutam, nisi surgere posset ad certitudinem non peccandi; quia qui relinquit certum, & peccandi periculo sponte se exponit, hoc ipso est vituperabilis. Et sanè ipsa paritas à statu personæ desumpta hoc ipsum confirmat: si enim haberemus præ manibus duo media, quorum alterum certò & infallibiliter, alterum verò non nisi probabiliter gratiam inferret, stultus esset, ac vituperio dignus, qui primo medio omisso, alterum arriperet; quod verum esset, quamvis primum sine majori incommodo temporali obtineri non posset quàm secundum. Ergò idem pariter dicendum est de justificatione actionis. Ergò tantum abest, ut hæc paritas faveat Celladeo, ut ipsum redarguat; quia probat nemini licitum esse sequi partem minus tutam, nisi mens consurgat ad certitudinem non peccandi. At ille negat talem certitudinem haberi posse, quando homo sequitur partem minus tutam. Ergo paritas hæc probat universaliter illicitum esse sequi partem minus tutam, saltem quando operamur ex electione medii per consultationem propositi, ut in casu præsenti. At argumentum non urget nos, quia dicimus intellectum consurgere ad formandum certum conscientiæ dictamen, etiam quando sequitur opinionem minus tutam.

Celladeus proprio argumento opprimitur.

55. Hinc sequitur, defectum certitudinis de justificatione personæ non reddere illam vituperabilem, quia nemo habet potestatem perveniendi ad talem certitudinem; è contra verò defectum certitudinis de justificatione operationis, quam quis, præmissa consultatione, sponte eligit ut medium ad finem, reddere illam vituperabilem, quia unusquisque potest illam habere. Unde iterum apparet argumentum hoc graviter premere Celladeum, cùm nos ne quidem tangat; adeò verum est, eum propriis argumentis opprimi.

S. Thomas explicatur.

56. Quod attinet ad S. Thomam, dico eum loqui de cognitionibus directis, quia sæpè impossibile est, ut per illas ultra probabilitatem ad certitudinem pertingamus. At si sermo sit de dictaminibus reflexis, certum est, quod illa sæpissimè sint certa, quando cognitiones directæ, aut dubiæ sunt, aut solùm probabiles. Neque hoc ignotum fuit divo Thomæ, ut patet ex allatis exemplis. Præterea ex dictis constat S. Thomam favere illis, qui dicunt ultimum conscientiæ dictamen esse debere certum, ut operatio sit honesta.

Modus operandi quoad se Celladeo non notus, sed ipsum.

57. Jam quod modus operandi commensuretur modo essendi, intento Celladei non favet, sed nobis; quia sicut ipsum esse supernaturale latet, ita & operatio supernaturalis latet nos, neque enim unquam scimus, an actum supernaturalem eliciamus. Ergò si modus operandi commensuretur modo essendi, sicut esse nostrum naturale certò innotescit, ita & omnis modus operandi naturalis certò innotescere debet, ac proinde modus operandi per principia reflexa, in aliquibus saltem, debet esse nobis certus. Itaque principia reflexa non sunt, nec debuerunt esse minùs evidentia, quàm directa. At nos recurrimus ad principia reflexa lumine naturæ nota. Itaque licet certitudo de operatione supernaturali excederet modum essendi supernaturalem, ac ideo talis certitudo non datur; non tamen certitudo de prædicatis naturalibus actuum nostrorum excedit modum essendi naturalem, sed illi per omnia commensuratur.

An & quando careamus certitudine reddit operationem vituperabilem.

58. Demùm fateor, quòd sicut non sumus vituperabiles, eò quòd non habeamus certitudinem de statu nostro; ita pariter non sumus vituperabiles, eò quòd careamus certitudine honestatis in iis operationibus, de quibus certitudinem talem habere non possumus, quia de illis tantùm paritas procedit. Jam multæ sunt ejusmodi operationes, de quibus talem certitudinem habere non possumus, ut dictum est. At si sermo sit de iis, in quibus certi esse possumus, argumentum nobis favet. Certè favet quàm maximè in illis, quæ non nisi ex electione post præviam ac maturam consultationem eliguntur ut media ad finem. At talia sunt opinionum electiones. Ergò in illarum electione vituperabilis est, qui viam certam relinquit & incertæ se committit, nisi aliunde per principia reflexa certificetur se non peccare talem viam ineundo.

Ingens disparitas inter incertitudinem status, & incertitudinem operationis.

59. Demùm ea est disparitas inter incertitudinem de justificatione personæ, ac incertitudinem de justificatione operationis, quòd prima multum nos stimulet ad sollicitudinem in via virtutis, ut sic maximam tandem probabilitatem de illius adeptione habeamus. Interim certi sumus, nos non ideo Deum de novo offendere, quòd in hac incertitudine remaneamus, quæ omnia, simul sumpta, materiam magnæ consolationis nobis præbent. At quando post consultationem præviam, opinionem aliquam eligeremus, animus semper torqueretur remorsu, ne fortè Deum offenderemus, nec ullum superesset remedium conscientiam quietandi, nisi per principia reflexa certificaremur de non peccato. At timor de novo peccato est malum ingens & maximè inquietativum, ut patet. Itaque ingens disparitas est inter incertitudinem de statu gratiæ, & incertitudinem de honestate operationis: illa non nocet, sed multa secum fert commoda; hæc nocet quàm maximè, quia aliquando saltem fert secum novum peccatum, semper autem affert sollicitudinem, ne Deum toties quoties de novo graviter offendamus. Unde argumentum ab illa ad istam

nullius

nullius est momenti, cùm in ordine ad præsens intentum ingens inter utramque sit diversitas.

Objectio 7. 60. Objectio septima. Opinio probabilis rarò fallit. Ergò periculum Deum offendendi, quod talis opinio secum fert, non est proximum, sed remotum. Porrò non tenemur cavere pericula remota; nec sumus vituperabiles, quia non cavemus pericula remota malorum rarò contingentium. Sic generale periculum, ne tegula cadat, non obligat ad specialem curam. Et sanè qui propter pericula ejusmodi abstineret ab operatione, indisciplinati esset ingenii, & stultissimis scrupulis se frustra vexaret. Ita Celladeus §. 5.

Non tenemur vitare pericula remota.

Argumentum Celladei probat nostram, improbat illius opinionem.

Respondeo, Celladeum hîc optimè loqui, quia per omnia cum communi sententia loquitur; eodem enim argumento nos utimur ad probandum, imo ad demonstrandum, quod usus opinionis probabilis sit licitus. Verùm jam Celladeus affert argumentum reflexum, quod est prorsus efficax pro stabilienda nostra assertione, & ex altera parte non est minus potens ad ipsius doctrinam evertendam. Siquidem vel non probat intentum, vel principali illius asserto expressè repugnat. Peto enim, an sit evidens, vel solùm probabile, *quod non teneamur vitare pericula remota?* si dicat principium illud esse evidens (sicut revera est) eo ipso admittit syllogismum reflexum, quo certificamur, quod non peccemus, dum sequimur probabilia. At hoc præcipuo ejus intento expressè repugnat, quia aliud *in hac quæst.* non contendit, quàm conscientiam non posse certificari per principia reflexa, quando per directa ad certitudinem non pertingit. Si verò dicat, principium illud esse incertum, & solùm probabile, non satisfacit argumento, nec ostendit, quod homo cum tali incertitudine operans non malè operetur, quia argumentum æquè urget responsionem reflexam, ac urgebat assertionem directam. Quamvis enim homo sciat hoc periculum esse remotum, adhuc meritò timet, ne fortè hîc & nunc peccet, quia non constat eos non peccare, qui periculo etiam remotissimo se exponunt. Ergò vi hujus responsionis reflexæ non tollitur metus in directa rerum incertitudine fundatus, sed idem prorsus perseverat. Ergò vel non solvit argumentum; vel si solvat, apertè sibi contradicit.

Objectio 8. 61. Objectio octava. Operans ex opinione probabili non dicit: *volo hoc facere, licet fortè sit contra legem Dei*, quia opinans aliquid ita esse, in sensu composito suæ opinionis, non potest dicere *fortè non est ita*: Itaque solùm dicit: *Credo hoc esse honestum, nontamen repugnat, possibile est me falli.* At non est peccatum operari non obstante hac possibilitate. Certè qui nollet per urbem incedere, quia possibile est tegulam cadere, non solùm non esset laudabilis, sed vituperabilis, & insociabilis. Idem dicendum est de usu opinionum. Ita Celladeus §. 5. qui putat se hac ratione satisfacere argumento illi, quòd operans ex opinione habeat formidinem & remorsum ne fortè actus sit contra legem Dei, ideoque peccet, nisi surgat ad habendam certitudinem reflexam, quia habet hunc affectum, *Volo hoc facere, licet sit fortè contra legem Dei*, qui malus est, & vituperabilis.

Solutio. Respondeo, argumentum non solvi, quia quoad præsens intentum idem est dicere, *hoc est ita, scio tamen possibile esse, ut aliter se res habeat, quam mihi videtur, quodque nonnunquam in eisdem circumstantiis aliter contingat*, ac dicere, *credo rem ita se habere, quamvis fortasse fallar, & res aliter se habeat, quàm ego judicem*: quia quamvis una ex locutionibus exprimat potentiam, & alia actum, tamen actus expressus nullam arguit potentiam præter eam quæ exprimitur, & expressio potentiæ apertè infert necessitatem actûs expressi, eo modo, quo exprimitur. Certè non minus malè affectus esset, qui diceret. *Volo hoc facere, quia credo illud placere Deo, quamvis sciam, quod, hoc meo judicio non obstante, contingere possit ut Deum offendam*, quàm qui diceret. *Volo hoc facere, quia credo illud placere Deo, quamvis fortasse præter meam opinionem illi displiceat.* Ratio est, quia una expressio necessariò infert aliam. Ergò expressiones illæ quoad præsens intentum non discrepant. Itaque Celladeus & insufficienter probat sententiam suam, & contrariis argumentis non satisfacit.

Dicere fortassis est aliter, & dicere, potest esse aliter, sunt locutiones moraliter æquivalentes.

Objectio 9. 62. Objectio nona. Sæpè non sumus certi, utrum in resistendo gravibus tentationibus, debitè ac sine peccato resistamus. Ergò non habetur conscientia certa, quoties homo non peccat. Eadem est ratio de aliis. Ita Celladeus §. 5.

Respondeo concedendo totum, quoad resistentiam tentationum. Inprimis enim probi sæpè dubitant, an venialem saltem negligentiam habuerint. Deindè nonnunquam ipsi probi, transactâ tentatione, dubitant, an mortaliter peccaverint, nec ne; unde evidenter sequitur eos, post tentationem transactam certos non esse de suo non pecato, & in hoc sensu certum est, quòd non permaneat certitudo conscientiæ de non peccato, quoties homo non peccat. Hinc autem non infertur, quod in ipso instanti operationis homo non fuerit certus se tunc non peccare, si verè non peccavit, qua de re videri possunt dicta *quæst. 13. de conse. prob.* Cæterùm admisso, quòd in istiusmodi rebus nemo certitudinem habeat, ne quidem in ipso operationis instanti, id tamen non admittitur in casu operationis ex electione, quando post præviam consultationem conscientiam formamus; in talibus enim circumstantiis, sicut homo certus est de probabilitate & prudentia judicii directi circa honestatem operationis, ita mox per principia reflexa cuique obvia necessariò consurgit ad formandum judicium certum & evidens, quòd taliter operando non peccet. Hoc autem pro præsenti intento, ac pro veritate assertionum positarum abundè sufficit, quidquid sit, an certi simus de non peccato, quando certò non scimus qualitatem actûs directi, quo objectum creditur esse honestum, aut quando animo turbato ex violentia tentationis seriam deliberationem & electionem doctrinæ certò probabilis non præmittimus.

An & quomodo sit certus de non peccato, qui tentationem superat.

QUÆ-

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-PRIMA.

An prudentia reperiatur in probabilibus ?

Opinio Celladei declaratur.

1. CELLADENUS *lib. 3. quæst. 3.* fusè agit de prudentia, ut ostendat illam in probabilibus reperiri. Porrò ita rem definit, ut omnem assensum probabilem verum ad prudentiam pertinere contendat, sed omnem falsum à prudentia repellat. Hic enim ratione magnum se vulnus benignæ sententiæ intulisse autumat, quia putat se sufficienter probare, quòd nostræ sententiæ Auctores non possint amplius ad consuetum Asylum prudentiæ recurrere, & dicere, omnem opinionem probabilem esse judicium prudens, & consequenter ad conscientiam regulandam sufficere. Præterea ex hoc ipso, quod nullus assensus falsus ad prudentiam pertineat, infert, nullum actum ab errore, etiam invincibili, ortum esse bonum, quia repugnat actum esse bonum, qui à prudentia non regulatur. Verùm hunc Celladei errorem *quæst. 3.* fusè rejecimus. Quare in hac quæstione de illa materia amplius non agam, sed ad prudentiam, prudentiæque proprietates me restringam, ut sic errores Celladei hac de re redarguam, atque ipsa fundamenta, quibus grande illud paradoxum fulcitur, convellam. Sit ergò.

ASSERTIO PRIMA.

Si præsè ac in stricta vocum significatione ab Aristotele usurpata loquamur, nullus assensus probabilis, etsi verus, est proprius actus prudentiæ, seu actus à prudentia strictè dicta elicitus.

Nullus assensus probabilis est actus à prudentia propriè dicta elicitus.

2. PROBATUR. Aristoteles *6. Ethic.* ex professo agit de virtutibus intellectûs, omnesque ad quinque classes reducit, nempe ad *artem, scientiam, prudentiam, sapientiam, & intellectum.* Virtutem porrò intellectûs tam speculativi quàm practici definit esse habitum, quo intellectus verum enunciat. Qua locutione absque dubio intelligit habitum, qui nunquam fallit, sed necessariò, & semper verum dicit, quia *cap. 3.* expresè excludit opinionem à ratione virtutis intellectualis; *quia*, inquit, *existimatione & opinione fieri potest, ut mentiamur*, id est, fallamur. Unde sic arguo. Omnis prudentia strictè dicta est virtus intellectûs. Sed nulla opinio est virtus intellectûs. Ergò nulla opinio est prudentia. Ergò nullus assensus probabilis, etsi verus, est actus prudentiæ, seu actus à prudentia strictè dicta elicitus, quia fieri potest, ut per quemvis actum opinativum decipiamur, quantum est ex vi illius, quod repugnat prudentiæ, prout illa sumitur ab Aristotele in propria ac stricta significatione.

Celladenus Aristoteli contradicit.

3. Fallitur ergò Celladenus, & Aristoteli, quem tamen sequi prætendit, apertè adversatur, dum §. 5. contendit, prudentiam propriè dictam reperiri in propositionibus merè probabilibus, quando sunt veræ, non autem quando sunt falsæ. Quid enim ? nónne idem dici potest eodem jure de opinione ? At Aristoteles expresè asserit, opinionem non esse virtutem intellectûs, & consequenter non esse prudentiam, quia per opinionem falli possumus, etsi hîc & nunc per illam dicamus verum. Ergò idem sentit de omni opinione probabili, quia omnis opinio probabilis nititur motivo fallibili.

Omnis actus boni prudentiæ habituali.

4. Præterea sermo potissimè procedit de prudentia habituali. Ergò ex mente Aristotelis, nullus habitus prudentiæ fallere nos potest. At omnis habitus ab actibus probabilibus, etiam veris, acquisitus fallere potest, quia sæpè reperit suum motivum in falsis, non minùs quàm in veris. Sic judex, qui sine deceptione viginti vicibus reos judicavit, acquirit habitum, quo juxta legum præscripta judicat. Hic habitus non minus concurrit ad sequens judicium, quando teres falsa deponunt, quàm si vera deposuissent, quia æquè in utroque casu invenit totum suum objectum, seu motivum formale, ut patet. Ergò nullus habitus actibus probabilibus acquisitus est prudentia.

Instantia contra Celladen.

5. Rursus prudentia de rebus contingentibus, ex mente Celladei, non distinguitur à probabilitate circa eadem. Sed probabilitas deficere potest, & aliquando deficit, alioquin non esset probabilitas, sed infallibilis certitudo. Ergò in sententia ipsius prudentia à veritate deficit, quia eadem prædicata rebus indistinctis necessariò conveniunt. At consequens est absurdum, & contra omnes, illudque Celladeus ipse absurdum esse agnoscit. Ergò nulla probabilitas est prudentia strictè dicta

Replicit.

6. Dices. Non repugnat quod probabilitas fallat aliquando, prudentia nunquam, quia prudentia perficit partem defectibilem intellectûs, ut minus deficiat. Ergò quando intellectus deficit, non deficit per virtutem, sed per seipsum deficit. Sic contingit, habentem habitum intensum temperantiæ aliquando graviter deficere contra temperantiam. Verùm defectus ille non à temperantia, sed aliunde procedit. Idem valet de intellectu, qui quoties rectè & verè dictat, per prudentiam dictat, quoties falsum dicit, non per prudentiam, sed aliunde. Similiter fides divina est virtus intellectûs, & infallibilis, quia nititur motivo infallibili. Nihilominus, quia revelatio Dei, & sensus ac declaratio Ecclesiæ potest indebitè applicari, contingere potest, ut rusticus credat personas divinas esse quatuor. In hoc casu non exercet actum fidei, nec credit per fidem, quæ est virtus intellectûs, sed per errorem. Ille quidem putat, se elicere actum fidei, sed errat. Quod ergò contingit in fide propter applicationem, hoc contingit in prudentia propter objectum. Fallitur prudens, sed non per prudentiam. Putat se prudenter operari, sed fallitur,

fallitur, quia non habet veram, sed apparentem prudentiam. Ita Celladeus §. 5.

Celladei contradictio.

Respondeo. Repugnat probabilitatem aliquando fallere, & prudentiam nunquam, si prudentia à probabilitate non distinguatur, ut ex mente Celladei in multis non distinguitur. Nec obstat, quòd prudentia perficiat intellectum, ut minùs deficiat; hoc enim etiam convenit probabilitati, quæ efficit, ut intellectus minùs erret, quàm si absque probabilitate temerè judicaret. Ergò si, hoc non obstante, probabilitas fallat aliquando, neque id obstabit, quo minus prudentia aliquando fallat, si concedatur esse habitus, qualem Celladeus fingit. Jam quòd defectus non tribuatur virtuti, sed intellectui, simpliciter loquendo verum est; sed quòd defectus non tribuatur prudentiæ ac virtuti, si virtus prudentiæ non distinguatur à probabilitate ut vult Celladeus, est falsissimum, quia defectus tribuitur probabilitati, ejusque defectibilitati, ut patet. In his ergò Celladeus contradictoria docuit, sibique contradixit.

Exempla Celladei non faciunt ad rem.

7. Porrò exempla non sunt ad rem. Quando habitualiter temperans excedit per actum intemperantiæ, excessus ille tribui non potest virtuti, quæ directè stimulat ad oppositum, sed alteri causæ non solùm distinctæ, sed etiam quodammodo contrariæ. At omnia contrario modo se habent in casu nostro, quia intellectus ex propria inclinatione habitûs fallitur. Ergò error tribuitur ipsi habitui, & consequenter prudentiæ Celladeanæ, quæ à tali habitu non distinguitur. Falsum etiam est, quòd dicit, intellectum toties per prudentiam enunciare, quoties verum dicit, quia multa judicia temerè concepta, & prorsus improbabilia, sunt vera, quæ tamen ad prudentiam non pertinent; alioquin imprudentia ad prudentiam, ut proprius actus pertineret. Præterea hoc admisso, omnis opinio vera esset prudentia, quod apertè repugnat Aristoteli, qui omnem opinionem à virtute intellectuali removet, ut ostensum est.

Alius error Celladei.

Habitus opinativus à veris actibus acquisitus propriè concurrere potest ad actus falsos.

8. Similiter exemplum fidei existimatæ non est ad rem, quia nec habitus fidei, nec lumen gratiæ ad actum falsum concurrunt. At aliter se res habet in casu nostro, ut patet. Præterea in casu nostro nullus est defectus ex parte applicationis, sed solùm ex parte principii, in quo prudentia, à Celladeo conficta, residere dicitur. Exemplo sit Judex reum damnans, qui sic discurrit. *Quod à tribus testibus, contra quos nulla apparet exceptio hic & nunc juratur tanquam à se visum, est verum & pro vero admitti debet. Sed hic & nunc crimen Petri juratur visum à tribus testibus, contra quos nulla apparet exceptio. Ergò crimen Petri est verum, & pro vero haberi debet.* Hîc nullus est defectus ex parte minoris applicantis, utpote, quæ est evidenter vera, sed tota defectibilitas oritur à majori, quæ credibilis est, sed contingenter vera. Ponamus jam Judicem per viginti vices non fuisse deceptum, sed ex frequentatis actibus veris habitum acquisivisse. Hic habitus per Celladeum est prudentia. Atqui hic habitus directè facilitat, & concurrit ad assentiendum pro alia opportunitate, quando iidem testes in simili causa simile testimonium ferunt. In hoc enim casu major & conclusio deficiunt ob solum defectum majoris, quæ tamen hîc & nunc directè procedit ab habitu acquisito, qui supponitur indentificari cum prudentia. Et sanè habitus ille eodem prorsus modo reperit suum motivum formale applicatum in hoc casu, sicut in prioribus, quando judex non errabat.

Celladeus admittit virtutem & vitium ejusdem potentiæ non magis differre quàm ovum ab ovo.

9. Atque hinc iterum sic arguo. Celladeus ex suis principiis & assertis tenetur admittere, habitum aliquem esse propriè & strictè prudentiam, quæ aliquando fallit, & directè ex vi sua disponit, & inclinat ad actum falsum, illumque tanquam actum sub propria sua vi contentum producit. Quod falsum est, & ab ipsomet habetur absurdissimum. Rursus tenetur dicere, duos actus intellectûs prorsus similes, in simillimis circumstantiis ab eisdem principiis eodem modo elicitos, atque in eodem motivo formali fundatos, soloque numero distinctos, ita comparari ad invicem, ut unus ad prudentiam, alius ad imprudentiam spectet. At hoc & per se absonum est, & ex eo cognoscitur esse absurdum, quòd per hunc dicendi modum actus prudentiæ confunditur cum actu imprudentiæ, virtusque & vitium ejusdem potentiæ sub una eademque specie comprehendantur, nec magis differant inter se, quàm ovum ab ovo simillimo.

ASSERTIO SECUNDA.

Omne judicium certò probabile, quod enunciat de honesto & inhonesto, semper annexum habere potest judicium prudens, quod est tale, & à prudentia strictè dicta elicitur, juxta mentem Aristotelis in strictissimo verborum sensu.

Omne judicium practicè probabile annexum habere potest judicium à prudentia strictè dicta elicitum.

10. PROBATUR. Inprimis ex *quæst. 3.* constat, operationem, ab errore invincibili directam, esse bonam. Hinc sequitur, in actionibus humanis honestatem formalem sæpè separari ab honestate materiali, quia actus, quo objectum eligitur, bonus est & honestus, licet objectum in quod actus ille fertur, secundùm se sit materialiter malum, legique repugnet. Hinc sic arguo. Impossibile est quod detur ullus actus honestus in voluntate, qui non reguletur, aut saltem qui regulari non possit à prudentia strictè dicta, quippe quæ strictè sumpta est recta ratio agibilium, sicut ars est recta ratio factibilium. Idem expresè traditur à S. Augustino *lib. de utilit. credendi cap. 12.* ubi hæc habet. *Omne factum, si rectè factum non est, peccatum est. Nec rectè factum esse ullo modo potest, quòd non à recta ratione proficiscitur. Porrò recta ratio est ipsa virtus. Cui autem hominum virtus, nisi sapientis animo præsto est? Solus igitur sapiens non peccat, &c.* Hunc textum supra ponderavi *quæst. 3. num. 22.* ex quo constat, nullum actum bonum elici, qui à recta ratione, à virtute intellectûs, & à sapientia, vel prudentia strictè dicta juxta S. Augustinum non dirigitur, quod omninò coincidit cum eo, quod dixi *quæst. 13. de conse. prob.* scilicet ultimum conscientiæ dictamen semper esse certum & evidens, quoties homo benè operatur. Ad præsentem autem assertionem sufficit, si tale judicium haberi possit. Atqui certo certius haberi potest, quia cùm actus, qui elicitur in his circustantiis, sit bonus, independenter ab eo, quod objectum materiale sit honestum; utique hoc certò & evidenter per prudentiam strictè dictam cognosci potest. Talis autem cognitio, utpote certa & evidens, atque operationis honestæ regulativa, ad prudentiam strictè dictam haud dubiè pertinet.

S. August.

Prudentia in quo determinetur ab arte.

11. Nec obstat, prudentiam strictè dictam infallibiliter ac necessariò verum enunciare, quia hoc locum habet etiam quando intellectus invincibiliter

vincibiliter errat circa rerum honestatem. Nam prudentia in hoc ab arte differt, quòd ars opus ipsum externum, ejusque rectitudinem principaliter ac directè respiciat, ideoque repugnet, artem locum habere, ubi intellectus proponendo opus externum à vero discedit. At prudentia directè & per se enunciat de honestate operationis internæ, quæ fertur in opus externum, ideoque verum dicit, etiam quando intellectus invincibiliter errat circa opus externum, quia error ille non impedit honestatem electionis, à falsa illa cognitione directæ. Audiatur S. Thomas *1. 2. quæst. 57. art. 5. ad 1. Bonum artis, inquit, consideratur non in ipso artifice, sed magis in ipso artificiato: cùm ars sit ratio recta factibilium: factio enim in exteriorem materiam transiens non est perfectio facientis, sed facti, sicut motus est actus mobilis. Ars autem circa factibilia est, sed prudentiæ bonum attenditur in ipso agente, cujus perfectio est ipsum agere, est enim prudentia recta ratio agibilium.* Ecce bonum prudentiæ attenditur in ipso operante, cujus perfectio est ipsum agere, seu operari, ac velle hominis. Ergò prudentia est ratio enuncians de ipsa hominis operatione, seu electione ac volitione. Unde prudens est, qui enuntiando de illa non errat, sed certò verum dicit, quamvis contingat illum errare, prout enuntiat de objecto materiali, ad quod actio terminatur. Similia prorsus tradit Aristoteles *6. Ethic. cap. 5.* ubi sic definit prudentiam strictè dictam. *Est habitus cum ratione vera conjunctus ad agendum idoneus, & in iis occupatus, quæ homini bona sunt & mala, seu*, ut ut alii legunt, *est habitus vera cum ratione activus circa ea, quæ bona & mala homini sunt*, intelligitur autem *homini*, in quantum est homo, adeo ut prudentia sit habitus cum vera ratione versans circa ea, quæ sunt bona aut mala relatè ad ultimum finem hominis, quia ea sola sunt bona & mala homini, prout est homo, quippe quæ sola reddunt hominem simpliciter bonum vel malum, benè vel malè operantem, ut patet.

Prudentia principaliter enunciat de operatione hominis.

12. Hinc ergò habemus, quod prudentia principaliter ac directè enunciet de honestate & inhonestate nostrarum operationum, quia illæ solæ formaliter & directè constituunt nos benè vel malè operantes. Ergò quoties operatio est honesta, toties datur locus prudentiæ, quamvis intellectus erret circa objectum materiale, quia talis error impertinenter se habet ad hoc, ut operatio sit vel non sit honesta, ut patet. Ergò non impedit, quominus intellectus eliciat dictamen prudentiæ simpliciter dictæ, utpote quæ prorsus necessaria est homini ad benè vivendum & operandum, ut ex professo probat S. Thomas *1. 2. quæst. 57. art. 5.*

In probabilibus certitudo prudentiæ sumitur à principiis reflexis.

13. Quod si quæras, unde oriatur hæc infallibilis certitudo prudentiæ, quando intellectus solùm probabiliter discurrit de objectis, in quæ ferimur? Respondeo, certitudinem hanc & evidentiam derivari à principiis syndereseos reflexis certis ac evidentibus, ut constat ex dictis *quæst. superiore*, atque ex *quæst. 13. aliisque locis de consc. prob.* ubi explicavimus quæ & qualia sint. Quare sufficit, si hoc loco duobus exemplis, uno de mala, altero de bona operatione nos certificante, rem declaremus. Judicet aliquis peccatum esse levare festucam. Hoc judicium falsum est, ut patet; tamen stante hoc judicio, intellectus format judicium reflexum certum & evidens, quo dicit, *levare festucam stante hoc judicio est peccatum.* Unde evidenter infert. *Ergò non debes levare festucam stante hoc judicio, alioquin peccabis.* Ecce malum falsò affirmatum per judicium directum, evidenter & verè affirmatur per judicium reflexum. Similiter Judex deceptus, & falsò credens Petrum esse reum, certus est se honestè facere cum condemnando, format enim hunc discursum. *Judex licitè condemnat eum, quem ex legali & plena probatione criminis absolutè existimat reum: sed ego sum judex, & ex legali & plena probatione credo Petrum esse reum. Ergò licitè eum condemno.* Hi discursus reflexi sunt certi & evidentes, sunt autem propriissimi actus prudentiæ, quæ, ut dictum est, est recta ac vera ratio agibilium. Similis discursus reflexus certus & evidens formari potest, quoties intellectus elicit judicium certò probabile de honestate vel inhonestate operis, ut *constat ex quæst. superiore*, & ex locis citatis *ex tract. de consc. prob.* Ergò omne judicium certò probabile de honesto & inhonesto semper habere potest annexum judicium certum & evidens, à prudentia strictè dicta elicitum, quod erat probandum.

In probabilibus prudentia non enunciat de objecto judicium, sed de operationis honestate inhonestate.

14. Hinc sequitur, prudentiam strictè dictam, quando versatur circa res incertas, in eo potissimè sitam esse, quòd enunciet de honestate & inhonestate formali operationis humanæ, circa quam ex certo ac evidenti lumine reflexo infallibiliter verum dicit. E contrà non est prudentiæ strictè dictæ in rebus incertis judicare de materiali honestate & inhonestate operis secundùm se spectati, quia circa hoc errare possumus, & aliquando erramus, etiam quando honestè operamur, & certi sumus de formali operationis honestate, ut constat ex dictis. Cæterùm in hoc ipso casu, quando formalis honestas operationis separatur ab honestate objecti materialis secundum se accepti (idem valet de inhonestate formali ac materiali honestate operationis) non deest omnis honestas ex parte objecti, tunc enim objectum illud, quod secundùm se materialiter sumptum est malum & contra legem, si consideretur in ordine ad peculiares circumstantias, quibus subest hîc & nunc, verè est licitum, quia prout illis afficitur, verè permittitur, aut etiam à Deo præcipitur per accidens, suamque à dicta Dei voluntate atque à circumstantiis illis peculiaribus honestatem accipit. Vide *quæst. 28. de consc. prob. num. 58.*

Prudentia tamen saepe enunciat de aliquo objecto absolutè.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Prudentia propria nunquam erat materialiter aut invincibiliter.

15 OBJICIES. Nulla ex quinque virtutibus intellectualibus errare potest, ne quidem materialiter, aut invincibiliter; quia de ratione virtutis intellectualis est, ut non possit errare, ut vidimus ex Philosopho *6. Ethic.* Ergò repugnat, prudentiam materialiter aut invincibiliter errare.

Confirmatur. Nullum opus est ex arte, in quo artifex materialiter & invincibiliter errat. Ergò nullum opus procedit à prudentia, in quo proponendo intellectus errat. Ergò quæ materialiter mala sunt, nec prudenter, nec ex prudentia fiunt. Ita Celladeus § 2.

Respondeo concedendo totum, si loquamur de prudentia strictè dicta; actus enim à tali prudentia elicitus nunquam errat in nostra, Philosophi, ac S. Thomæ sententia, sed semper verum enunciat de objecto, in quod fertur. At in sententia Celladei oppositum sequitur, ut vidimus.

Omnes non mali sunt.

16. Ad confirmationem, concesso antecedente, negatur consequentia utraque. Disparitas est,

rialis impedit bonum artis, cujus malum non minuitur vel augetur per errorem, aut per bonam vel malam fidem artificis.

est, quia bonum artis non consideratur in artificio, sed solùm in artefacto. Hinc repugnat bonum artis haberi, si in ipso opere materiali erretur. Et sanè error in artefacto non variatur, nec augetur, nec minuitur, quomodocumque artifex erret, sive vincibiliter, sive invincibiliter, sive ex industria à regulis artis declinet, ut patet. At bonum prudentiæ attenditur in ipso operante, quia prudentia primariò enunciat de ipsa operatione hominis, quæ maximam varietatem subit, pro diversa dispositione intellectûs rem proponentis. Si enim res proponatur ut mala, voluntas gravius peccat ponendo rem illam, quàm si intellectus, errore deceptus, rem illam ut bonam proposuisset. Rursus voluntas peccat ponendo rem illam, si ex errore vincibili proponatur ut bona. At si invincibiliter credatur bona, voluntas à toto excusatur, & honestè operatur. Ratio est, quia objecta non immediatè afficiunt voluntatem, sed solùm ut proponuntur voluntati. Ergò si invincibiliter proponantur ut bona, voluntas non fertur nisi in bonum, ideoque actus ille non solùm non imputatur ad culpam, sed è contra laudem meretur, quia homò fecit quod potuit & scivit; quod laudabile est, quamvis propter insuperabilem difficultatem inveniendi veritatem à vero abeeret. Itaque multa materialiter mala sæpè per accidens prudenter & à prudentia fiunt, quia prudentia secum patitur errorem circa objectum materiale, quamvis ars cum tali errore conjungi non possit. Cæterùm actus erroneus nunquam elicitur à prudentia, sed solùm dat occasionem, ut prudentia, novis principiis reflexis adjuta, consideret objectum, circa quod intellectus errabat, in ordine ad novas circumstantias, atque ita tandem certò enunciet, objectum illud in talibus circumstantiis esse permissum, præceptum, aut vetitum.

Error operantis variat aut etiam impedit malum quod prudentia vitat.

Incongrua Celladei argumentatio.

17. Quæ cùm certa sint omnibusque notissima, mirum est, Celladeum à paritate erroris in materia artis argumentum feciſse ad errorem in materia prudentiæ, cùm certum sit errores istos diversissimè se habere in ordine ad finem artis ac prudentiæ. Error enim in artifice nulla ratione tollit aut imminuit malum quod ars intendit amoliri. At error invincibilis absolutè tollit omne malum, quod prudentia cavere intendit. Eadem autem ratio probat, errorem invincibilem non impedire bonum à prudentia intentum, quia talis error fundat actum bonum, & patitur secum principia reflexa, per quæ de honestate operationis certificamur.

ASSERTIO TERTIA.

Multa judicia falsa, imò omnia judicia certò practicè probabilia de rebus ad mores spectantibus, sunt propria materia prudentiæ, strictè acceptæ juxta mentem Philosophi & S. Thomæ.

Judicia practicè probabilia sunt propria materia prudentiæ reflexæ.

18. PROBATUR primò. Illa judicia incerta sunt propria materia prudentiæ strictè sumptæ, in quæ reflectens intellectus, si principiis synderesis reflexis adjuvetur, ex illorum qualitate certò cognita evidenter inferre potest, operationem talem esse licitam &c. Hujusmodi enim illatio certa & evidens est recta & vera ratio agibilium, ideoque propriissimè ad prudentiam pertinet. Sed multa judicia falsa, & omnia judicia certò practicè probabilia talia sunt, ut constat non solùm *ex dict. 2. & quæstione superiore*, sed etiam *ex toto tract. de consc. prob.* Ergò omnia ejusmodi judicia sunt propria materia prudentiæ strictè sumptæ.

S. Thomas Celladeo contrarius.

19. Probatur secundò. S. Thomas. *1. 2. quæst. 57. art. 5. ad 3.* hæc habet. *Verum intellectûs practici aliter accipitur, quàm verum intellectûs speculativi, ut dicitur 6. Ethicorum; nam verum intellectûs speculativi accipitur per conformitatem intellectûs ad rem. Et quia intellectus non potest infallibiliter conformari in rebus contingentibus, sed solùm in necessariis: ideo nullus habitus speculativus contingentium est intellectualis virtus, sed solùm est circa necessaria. Verum autem intellectûs practici accipitur per conformitatem ad appetitum rectum, quæ quidem conformitas in necessariis locum non habet, quæ voluntate humana non fiunt, sed solùm in contingentibus, quæ possunt à nobis fieri, sive sint agibilia interiora, sive factibilia exteriora; & ideo circa sola contingentia ponitur virtus intellectus practici, circa factibilia quidem ars, circa agibilia verò prudentia.* Hìc S. Thomas primo aspectu sibi contradicentia tradere videtur, scilicet, nullam de rebus contingentibus dari virtutem intellectualem speculativam, eò quòd intellectus se illis certò & infallibiliter conformare nequeat. Et tamen expressè ait, prudentiam (quæ est virtus intellectualis, & quidem, ut in eodem articulo latè probat, homini maximè necessaria) circa contingentia versari, & consequenter certò & infallibiliter in illa ferri. Verùm ipsemet S. Doctor hæc facilè conciliat, quia verum prudentiæ non sumitur à conformitate intellectûs cum re contingenti, de qua enunciat, sed solùm à conformitate rei & operationis cum appetitu recto. Unde quoties objectum aliquod, aut judicium intellectûs, vel operatio est conformis appetitui recto, toties locus datur prudentiæ, quæ verum suum habet, & de illo infallibiliter enunciare potest, quòd objectum sit licitum, quòd operatio sit honesta, quódque judicium illud sit prudens, quamvis sit fallibile, & à propria prudentiæ virtute non eliciatur. Hæc S. Thomæ Doctrina verissima est, sed in omnibus Celladeo contrariatur, ut patet.

Verum quod prudentia affirmat, est conformitas objecti cum appetitu recto.

Aristoteles prius id ipsum docuit.

20. Doctrinam hanc sumpsit S. Thomas ex Aristotele *6. Ethicorum cap. 2.* ubi ratio prudentiæ dicitur consentanea appetitui recto, seu ratio confessè se habens ad appetitum rectum, ut Celladeus ipse fatetur hìc §. 2. Ergò ex mente Aristotelis & S. Thomæ prudentia non enunciat de rebus contingentibus, quod ita vel non ita se habeant secundum se, sed solùm quòd sint vel non sint conformia appetitui recto. Ubi hæc rectitudo reperitur, ibi reperitur objectum prudentiæ, sive res ipsa, de qua agitur, sit vel non sit secundùm se, qualis ab intellectu proponitur. Hoc posito, sic arguo.

Judicium falsum, & operatio, quam proponit, sæpè sunt conformia appetitui recto.

21. Multa judicia logicè falsa sunt conformia appetitui recto. Ergò sunt materia prudentiæ, seu continent veritatem, quam prudentia strictè dicta affirmat. Tenet consequentia. Probatur antecedens. Judicium, quo quis putat, *hunc hominem esse suum patrem, eoque titulo obedientiam animo filiali esse illi præstandam*, est conforme appetitui parentibus obtemperandi, quippe qui inclinat nos ad honorem & obedientiam illis præstandum, qui communi fama ita creduntur parentes, ut nulla de oppositio ratio probabilis appareat. De hoc nemo dubitaverit, nisi qui certissima in dubium revocet. Quid enim certiùs, quàm nos ab appetitu obediendi parentibus stimulari ad

obediendum parentibus sic existimatis ? At appetitus obediendi parentibus rectus est, cùm sit conformis legi naturali à Deo latæ. Ergò judicium, quo quis putat *hunc hominem esse suum patrem, eoque titulo obedientiam animo filiali esse illi præstandam*, est conforme appetitui recto. Ergò est materia, seu veritas objectiva, quam prudentia strictè sumpta respicit & affirmat. At hoc judicium sæpè est falsum. Idem valet in plurimis aliis casibus, ut patet. Ergò multa judicia falsa sunt propria materia prudentiæ strictè sumptæ. Idem valet de omni judicio certò practicè probabili, cùm eadem de omnibus ejusmodi judiciis sit ratio.

Judicium probabile, ejusq; objectum conforme est recto appetitui finis.

22. Probatur tertiò. Appetitus, quo finem intendimus, Deoque in omnibus, juxta ipsius voluntatem à nobis diligenter investigatam ac intellectam, obtemperare intendimus, est appetitus rectus antecedens, cum quo ex mente Aristotelis & S. Thomæ alia comparanda sunt, ut prudentia in illis suum objectum inveniat. Hoc posito sic. Appetitus iste postulat, hominem in rebus incertis facere, quod in se est, ut veritatem inveniat, & non operetur, nisi juxta eam rationabiliter ac diligenter inventam. Ergò omne judicium certò probabile, utpote optimum, ad quod in rebus incertis pertingere possumus, item omne judicium invincibiliter erroneum, atque objecta per talia judicia proposita verè sunt, & reflexè agnoscuntur esse conformia recto appetitui finis, quia non aliter satisfacere possumus isti appetitui, quàm ponendo objecta per judicia istiusmodi repræsentata, cùm ad meliora & certiora nequeamus pervenire. Et sanè omnia ista ex vi talis intentionis, seu appetitus imperari possunt, & frequenter debent, quamvis præter expectationem contingat judicium imperatum esse falsum. Sic judex, falsis testibus deceptus, non potest huic appetitui satisfacere, nisi ferat sententiam materialiter & invincibiliter erroneam, ut patet. Ergò omnia ista non solùm non discordant, sed expressè concordant cum appetitu recto finis, à quo tota series actionum moralium suam directam originem & causalitatem desumit.

Judicium probabile conforme est appetitui recto, à quo imperatur.

23. Probatur quartò. Nullum judicium obscurum elici potest, nisi dependenter ab imperio voluntatis, ut omnes fatentur. Jam ex judiciis obscuris, alia sunt temeraria, & absque debita diligentia eliciuntur, alia sunt certò probabilia, ac rationabilia, quæ non nisi post debitam diligentiam ex motivo absolutè & comparativè magno seu verè probabili imperantur. Hinc sic arguo. Imperium, à quo judicium probabile dependet, rectum est & honestum, quia non temerè, sed rationabiliter imperat illud judicium, utpote quod supponitur esse probabile ac rationabile, & non elici, nisi post diligentiam debitam. Econtrà imperium, à quo judicium temerarium dependet, non est rectum, sed pravum, ac reprehensione dignum, alioquin actus imperatus vitio verti non posset. Ecce omne judicium certò probabile conforme est appetitui recto antecedenti, nempe imperio voluntatis, à quo dependet. Ergò omne ejusmodi judicium est prudens, non quia elicitur à prudentia, sed quatenus regulatur & imperatur ab appetitu recto, sub hac enim consideratione est propria materia prudentiæ strictè dictæ.

Omne judicium certò probabile est actus imperatus prudentiæ.

24. Probatur quintò. Omne judicium certò probabile, de quo proximè locutus sum, propriè regulatur & imperatur à prudentia strictè dicta. Ergo est propria materia prudentiæ, & rectè vocatur judicium prudens, non quia elicitur, sed quia à prudentia imperatur. Tenet consequentia. Probatur antecedens. Imperium, à quo ejusmodi judicium probabile dependet, est rectum & honestum, ut vidimus. Ergò regulatur à judicio recto & prudenti, quia repugnat volitio recta, quæ à judicio recto non reguletur. Jam hoc judicium non potest esse obscurum & inevidens, alioquin opus esset alio imperio ad illud eliciendum. Ergò opus etiam esset alio judicio prævio regulante, & sic in infinitum. Ergò sistendum est in imperio voluntatis, quod à judicio evidenti regulatur. Hoc judicium evidens est ratio recta per conformitatem cum objecto, & est actus à prudentia elicitus, quia proximè dirigit honestum voluntatis imperium. Porrò evidens hoc judicium, à quo dictum imperium regulatur, necessariò proponit honestatem, seu honestam eligibilitatem judicii à voluntate imperandi, & dictat, quod illud judicium rectè seu conformiter ad rectum appetitum finis præconcepti imperetur, alioquin impertinenter se haberet ad tribuendam certam & indubitatam rectitudinem ac honestatem in imperium, quod regulat. Ecce omne judicium certò probabile est, & meritò vocatur judicium prudens, quia est proprium objectum, de quo prudentia certa & evidens enunciat, quòd rationabiliter eliciatur, quódque ejus elicitio sit conformis recto appetitui finis. Hac ratione omne istiusmodi judicium à prudentia strictè dicta imperatur, ac proinde verè & propriè est judicium prudens, ortumque habet à prudentia strictè dicta, non ut actus elicitus, sed solùm ut actus imperatus, qui per directam & ordinatam causalitatem ab actu prudentiæ certo & evidenti derivatur. De hoc argumento latè egi *quæst. 12. de consc. prob. num. 14.* ubi plura huc spectantia invenies.

ASSERTIO QUARTA.

Si loquamur in latiori, sed communi & usitata vocum significatione, omne judicium certò probabile, maximè si versetur circa materiam morum, verè est & meritò vocatur judicium prudens, & propriissimè dicitur prudenter elici.

Omne judicium probabile in lata & communi significatione terminorum est prudens, & strictè loquendo prudenter elicitur.

25. PROBATUR primò. Omne judicium, quod post diligentem veritatis indagationem, & post omnia hinc inde allata ab homine materiæ illius capace & perito debitè perpensa, citra omnem indebitam animi propensionem, ob motiva tam absolutè quàm comparativè magna elicitur, est & meritò vocatur rationabile, & prudens, maximè si versetur circa mores, qui sunt propria materia prudentiæ strictè dictæ. Sed omne judicium certò probabile est ejusmodi, quia nititur motivo verè magno, quod meretur assensum, & non elicitur nisi à perito materiæ post debitam diligentiam adhibitam, ut ex definitione opinionis probabilis, & necessariò ad eam requisitis certò constat. Ergò omne judicium certò probabile verè est, & meritò vocatur prudens, maximè si circa mores versetur. Argumentum videtur constare ex per se notis, si loquamur in latiori, sed communi vocum significatione. Cæterùm si quæ sit difficultas, ea est in majore, quæ ex eo probatur, quòd omnes periti, qui materias, in quibus sunt versati, dicto modo examinant, ac determinant, verè sunt & haben-

habentur sapientes ac prudentes in arte sua, quibus proinde omnes imperiti meritò fidem præstant. Ergò judicium, quod hoc modo eliciunt, verè est, & meritò præsumitur rationabile, sapiens ac peritum. Ergò est & meritò dicitur prudens, quia sapientia & peritia confunduntur cum prudentia latè dicta, prout nimirum prudentia stultitiæ ac temeritati opponitur, in quo sensu communissimè accipitur, maximè si restringatur ad materiam morum, nec de hoc videtur esse posse dubium.

Nullum judicium probabile est temerarium.

26. Probatur secundò. Nullum ejusmodi judicium temerè elicitur, quia circumstantiæ illi adjunctæ manifestè excludunt omne id, à quo temeritas procedere potest. Ergò omne ejusmodi judicium absque temeritate, & consequenter rationabiliter, sapienter ac prudenter elicitur. Rursus, peritus de aliqua re consultus manifestè implet munus suum, si modo in assertione expresso quæstionem resolvat. Nemo enim nisi stultè aliud ab eo exigere potest. Ergò manifestum est, tale judicium esse rationabile, peritum, sapiens, ac prudens; nisi enim tale judicium eliceret, non impleret munus suum. Confirmatur. Omnes, qui veritatem & rectitudinem cupiunt, pro resolvendis suis dubiis tales quærunt, quia præsumunt, ac sciunt, eos nil nisi rationabile, peritum, ac prudens dicturos, si dicto modo quæstionem resolvant. Ergò tale judicium est rationabile ac prudens. Præterea sic arguo. Si tale judicium per accidens à vero aberret, perspicuum est, errorem illum esse inimputabilem, ac per debitam diligentiam prorsus insuperabilem ac inevitabilem. At omne judicium ejusmodi, quod post dictam diligentiam evadit invincibiliter erroneum, moraliter loquendo habetur pro vero, censeturque prudens ac sapiens, respectu habito ad statum ignorantiæ humanæ, atque ad conatum, qui pro veritate invenienda ab hominibus potest & debet adhiberi.

Aliæ rationes pro assertione.

Expedit hominibus elicere judicia probabilia, & secundùm illa operari.

27. Probatur tertiò. Omne judicium in assertione expressum est tale, ut expediat illud elici, eò quòd nitatur motivo, quod assensum meretur, qui enim talibus ob timorem erroris non assentiretur, vitæ civili ac humanæ societati ineptus esset, turpiusque erraret, quàm si talibus fidem daret. Ergò omne ejusmodi judicium est rationabile, peritum, ac sapiens, alioquin non expediret illud elici, ut patet. At omne judicium rationabile, quod expedit elici, si de agibilibus & moribus enunciet, est & vocatur prudens in latiori significatione, quia rationi consonum est, hominique expediens, atque circa propriam prudentiæ materiam versatur. Datis enim his, nil deest, quominus tale judicium prudens dicatur, & ad prudentiam in latiori significatione reducatur. Et sanè ex nullo alio capite sapientes ac prudentes cognoscimus, aut homines esse prudentes ac sapientes reputamus, quàm quia scimus aut præsumimus eos de rebus istiusmodi rationabiliter juxta dicta discurrere. Dicere enim cum Celladeo eos tantùm esse sapientes, si non errent, absurdum est, & contra communem omnium existimationem, quia est ponere definitionem prudentium ac sapientium, ad quos consilii causa debemus accedere, per quam scire non possumus, quinam sint, qui non sint prudentes. Ex his concluditur, necessarium esse, ut illi sint & dicantur prudentes, saltem quoad nos, & in latiori sed usitata significatione, qui de rebus agibilibus rationabiliter ac probabiliter judicant, juxta dicta in assertione.

Judex prudenter judicat, etiam quando à rebus deceptus erratin suo judicio.

28. Probatur quartò exemplis manifestis. Judex prudenter judicat & pronuntiat, illum esse reum, cujus crimen legitimè convictum est. Et quidem absque dubio implet munus suum taliter judicando, etiam quando per falsos testes decipitur. Ergò judex ita judicans prudenter judicat, etiam quando in suo judicio errat. Idem valet de Judice judicante juxta præscripta legum, in rebus minoris momenti, pro quibus tam efficax probatio non requiritur, quàm ubi agitur de vita hominis. Inde autem eâdem de causa fit progressus ad omne judicium in assertione expressum, quia eadem de omnibus est ratio: judex enim in civilibus non habet majus fundamentum, quàm quod exprimitur in assertione. Similiter qui ex errore, ob famam communissimam, credunt tales esse suos parentes, prudenter id credunt, quia non nisi stultè ac imprudenter circa hoc hæsitarent, sed & omnes communiter supponunt ac dicunt, tales homines prudenter judicare; idque verum habent, quamvis fortassis illi decipiantur, & errent. Demùm S. Augustinus *lib. de utilit. credendi*, totus est in ostendendo, homines laudabiliter ac utiliter aliis credere, quamvis fidem illis dando nonnunquam decipiantur. Ergò ex mente Augustini & communi omnium consensu multa judicia falsa verè sunt & dicuntur prudentia, quamvis sint falsa. Idem autem valet de omni judicio probabili, quod in assertione expressum est, quia eadem ratio æquè procedit de omnibus.

Judicium probabile prudenter elicitur.

29. Jam si talia judicia juxta latiorem, sed communem vocum acceptionem dicantur & sint prudentia, absque dubio propriissimè ac strictissimè dicuntur prudenter elici, ac imperari; quia per directam causalitatem descendunt à prudentia strictè dicta, ut ostensum est. Præterea perspicuum est talia judicia imperari ab appetitu honesto & laudabili, quod fertur in illa tanquam utilia, imò & necessaria pro vita humana debitè instituenda. At omnia, quæ à tali imperio ortum habent, in omni rigore, ac propriissimè loquendo prudenter eliciuntur, ut patet.

Ratio probabilis ponit id, quod revera convenit naturæ rationabili.

30. Probatur quintò. Ratio proponens illud, quòd revera convenit naturæ humanæ, est ratio recta & prudens, tum quia proponit bonum, ad quod tendere congruum est, tum quia est recta ratio agibilium, ut patet. Sed omnis ratio probabilis de rebus moralibus, qualem exposuimus in assertione, etsi falsa, proponit illud, quod reipsa naturæ humanæ conveniens est. Ergò omnis ejusmodi ratio, etsi falsa, est ratio recta ac prudens. Minor, in qua sola est difficultas, admittitur à Celladeo hìc *lib. 3. quæst. 1. 3.* ubi hæc habet. *Sapienter quippe Vasquez. 1. 2. disp 58. cap. 2. dicit: sed quia humana sapientia non potest omnia sine errore assequi, & absque ulla culpa aliquando apprehenditur ut bonum, quod malum reipsa est: ideo illud in re debet dici naturæ humanæ convenire, aut disconveniens esse, quod per rationem probabilem & diligentem proponitur, sive in re ita sit, sive non. Rectè igitur S. Thomas in hoc articulo dixit, rationem esse regulam humanorum actuum. Hæc rectè Vasquez, si quando erratur, error est invincibilis.* Hactenus Celladeus, qui ex mente Vasquii admittit minorem esse verissimam, in quo tamen sibi contradicit, quia jam prudentia, & ratio recta, aliquando inveniuntur in judicio falso, & honestas invenitur in opere, quod ratio falsa regulat, quia quod verè est naturæ humanæ consentaneum, haud dubiè est honestum, & operationem honestam fundat. At hæc duo sunt potissima, in quæ Celladeus toto opere invehitur. Hoc argumen-

Vasquez nobiscum est.

Celladei contradictio.

tum ad hominem urget Celladeum, sed etiam absolutè concludit intentum, quia ratio Vasquii, & fundamenta benignæ sententiæ evincunt veritatem minoris, quidquid sit de contradictione Celladei. Ergò minor est vera. Conclusio autem legitimè deducitur.

Prudens est, qui probabiliter judicat.

31. Ex dictis duo inferuntur. Primùm est, eos in sensu latiori ac communiter usitato esse prudentes, qui in rebus obscuris, maximè si ad mores pertineant, probabiliter judicant. Illi enim absque dubio sunt prudentes, qui judicia prudentia eliciunt, prudentemque de rebus propositis sententiam ferunt. At omnia judicia certò probabilia de rebus moralibus sunt prudentia, juxta dicta. Ergò qui talia judicia eliciunt, sunt prudentes.

Motivum probabile rectè dicitur id, quod fundat judicium prudens.

32. Secundò infertur, eos, qui definiunt motivum probabile per hoc, quod fundet judicium prudens, aut quod à prudentibus meritò probatur, aut quod illi assensus prudenter præbeatur, verum dicunt, & perspicuè ac determinatè loquuntur, nec per umbram in circulum vitiosum incidunt. Hoc expressè probatum est *quæst. 24.* sed id ipsum ex hîc dictis clariùs percipitur, quia omnia & singula ad prudentiam tam strictè quàm latè sumptam spectantia explicata ac determinata sunt, absque eo quod idem per idem explicetur, ut patet. Ergò motivum probabile rectè ac perspicuè per dictas expressiones exponitur.

Magnum datur discrimen inter actus, quos prudentes nominamus.

33. Demùm quamvis hæc omnia vera sint, multùm tamen interest inter judicia elicita à prudentia, & hæc, quæ non à prudentia, sed ab opinione eliciuntur. Illa enim essentialiter sunt actus prudentes, quia sunt proprii effectus illius virtutis intellectualis, quam prudentiam nominamus, ac proindè certò & infallibiter verum dicunt, quatenus enunciant opus aliquod, quod per opinionem proponitur, esse conforme appetitui recto, & à Deo permissum, &c. At judicia opinativa, de quibus hîc loquimur, non sunt actus eliciti prudentiæ, quæ est virtus intellectualis, sed solùm actus imperati ab illa. Sunt etiam proxima materia illius, quatenus fundant discursum reflexum certum & evidentem, quo delicita operatione certificamur &c. Atque hinc actus isti probabiles verè sunt prudentes, & ad prudentiam pertinere dicuntur, quia scilicet sunt actus à prudentia imperati, & postquam imperati sunt, sunt materia & objectum proprium alterius discursûs à prudentia eliciti, ac proindè meritò vocantur prudentes, quia objectum frequenter eandem denominationem habet cum actu & habitu, à quibus consideratur, sunt enim correlativa, & ratione correlationis eandem denominationem subeunt. Sic non solùm habitus & actus fidei, sed etiam objectum creditum vocatur fides, juxta illud ex symbolo S. Athanasii. *Hæc est fides Catholica* &c. Idem locum habet in scientiis, & nominatim in prudentia.

Replica in contrarium.

34. Dices. Omnes sapientes tam Philosophi quàm Theologi aliter loquuntur de prudentia, aliter de conscientia. Conscientiam dividunt in rectam & erroneam; nec tamen similem divisionem prudentiæ hactenus proposuerunt, ut alia dicatur prudentia recta, alia erronea; nam error non est membrum prudentiæ, sed est ipsa imprudentia. Ergò perperam dictum est, multa judicia falsa esse, & meritò vocari prudentia. Ita Celladeus §. 2.

Actus prudens in latiori significatione di-

Respondeo sapientes aliter loqui de prudentia strictè dicta actibusque ab illa elicitis, aliter de conscientia aut opinione; quia illa semper est certa & evidens, non autem istæ. At si loquamur de prudentia minùs strictè sumpta, aut de actibus à prudentia strictè sumpta imperatis, vel de propria prudentiæ reflexæ materia, certum est, sapientes, tam Theologos quàm Philosophos, eodem modo loqui de judicio certo practicè probabili, quo loquuntur de dictamine conscientiæ incerto, sed vincibiliter non errante; quia omnes palam fatentur, multa judicia summè probabilia, quæ sunt dictamina conscientiæ, esse invincibiliter erronea. Omnes autem ejusmodi judicia prudentia & prudenter elicita vocare consueverunt, ut videre est in exemplis allatis. Quem loquendi modum retinent de judiciis elicitis, quamvis postea constiterit, errorem interveniisse. Præterea Auctores benignæ sententiæ (ipso Celladeo fatente, & de eo conquerente) in eo se fundant, quòd qui sequitur judicium probabile, sequatur dictamen prudens ac prudenter elicitum, ideoque non peccet, quamvis illum errare contingat. Et sanè omnes Patroni benignæ sententiæ aut expressè per terminos explicitos, aut implicitè per terminos æquivalentes ita loquuntur & sentiunt. Ergò omnes sentiunt ejusmodi judicia esse prudentia. Ergò tantùm abest ut distinctio judicii prudentis in verum & falsum sit nova & inaudita, ut certum sit, illam esse communem, & si sermo sit de opinione probabiliori, à nemine præter Celladeum in dubium vocatam. Itaque distinctio hæc, in sensu à nobis explicato intellecta, legitima est, communique Auctorum omnium consensui, ac veritati ipsi consentanea.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

35. OBJECTIO prima. Appetitus rectus antecedens, cui opus, seu judicium conformari debet, ut sit prudens, est intentio finis nostri, seu voluntas nos rectè ordinans ad finem nostrum verum. Ergò appetitus iste alius non est, quàm charitas, seu dilectio Dei saltem inchoata, quia sola charitas, perfecta aut inchoata, est virtus ordinans nos circa ultimum finem nostrum. At charitas est appetitus amplectendi bona, & vitandi mala, non quæ quomodocumque apparent, sed quæ reipsa sunt talia; quia eò collimat, ut exequatur quæ Deus verè jussit, & vitet quæ Deus reipsa prohibuit. Ratio est perspicua, quia si appetitus ille solùm obligaret ad ea facienda & vitanda, quæ apparent præcepta & vetita, non obligaret ad diligentiam pro veritate invenienda, quia sine ulla diligentia, alia ut præcepta, alia ut vetita sponte apparent. At haud dubiè obligat ad diligentiam, ut sciamus quæ sit voluntas Dei bona & bene-placens, & in hoc studet & vigilat omnis, qui tali appetitu urgetur. Ergò appetitus ille vult reipsa bona, & odit quæ reipsa sunt mala. Ergò dictamen proponens ut bonum, quod reipsa malum est, necessariò discordat materialiter ab appetitu recto. Ergò non est prudens, nec ad prudentiam spectat. Ita Celladeus hîc §. 2.

An ille charitas sit appetitus, cui opus conformari debet, ut sit bonestum.

Respondeo quodvis opus esse rectum ac prudens, modò conforme sit ulli appetitui recto à ratione vera immediatè regulato, sive appetitus ille respiciat finem prorsus ultimum, aut finem non ultimum, vel etiam medium quodvis honestum, quia non est potior ratio de uno quàm de alio, ut per se patet. Præterea eo ipso, quòd opus sit conforme appetitui recto, per hoc præcisè est rectum ac prudens; unde Aristoteles &

Non sola Charitas quæ ultimo regulatus antecedens sufficit ut dum honestum.

S. Tho-

S. Thomas non sunt usi nisi generica expressione conformitatis cum appetitu recto. Ergò hæc generica expressio continet essentiam operis prudentis. At hæc generica expressio æquè convenit omni appetitui recto, ut patet. Ergò omnis appetitus rectus hoc habet, ut quidquid illi conformatur, sit prudens.

Charitas per accidens postulat opus malum invincibiliter creditum bonum, à nobis poni.

36. Sed ut insufficientia argumentorum à Celladeo allatorum magis pateat, do ipsi, quod petit; nempe appetitum rectum antecedentem, de quo loquimur, esse intentionem finis ultimi veri ac debiti, imò esse charitatem aut inchoatam, aut etiam, si velit, omninò perfectam, quia sola charitas, saltem inchoata, est virtus ordinans nos circa verum finem nostrum. Hoc posito, fateor, charitatem esse appetitum amplectendi bona omnia verè præcepta, & vitandi mala omnia verè prohibita, quæ aut certò sunt talia, aut per humanam diligentiam indagari possunt, & sufficienter cognosci; quia haud dubiè charitas obligat omnes ad diligentiam ejusmodi, & ad ea exequenda, quæ per talem diligentiam sufficienter deteguntur, ideoque per se loquendo disponit ad ea, quæ prætendit objectio. Sed difficultas est, an per accidens aliquando disponat, & dirigat ad alia? Ego haud dubiè affirmo; quia ob imbecillitatem & ignorantiam nostram sæpè contingit, ut post debitam diligentiam invincibiliter erremus circa ista, & aliqua proponantur ut præcepta, quæ revera sunt vetita. Jam in hoc casu evidens est, charitatem, utpote, sicut Celladeus ex S. Thoma rectè observat, virtutem architectonicam, postulare, ut talia fiant, quia juxta conditionem humanam, illa post diligentiam debitam invincibiliter proponuntur ut præcepta. Et sanè cùm intentio finis & charitas debeat architectonicè disponere de omnibus actionibus nostris, atque imperare omnes actus, non solùm quibus ad diligentiam adhibendam tenemur, sed etiam ad ea, quæ post diligentiam adhibitam invincibiliter proponuntur; evidens est talem appetitum, positâ diligentiâ, stimulare hominem probos, cosque dirigere ad faciendum opus, quod invincibiliter creditur præceptum & bonum, etsi reipsa sit malum & vetitum secundùm se. Si talis esset humana conditio, ut per diligentiam certò scire possemus omnia, tam jussa quàm à Deo prohibita, tunc quidem omnis error circa jussa & prohibita, & consequenter omne opus ab errore ejusmodi profectum repugnaret appetitui recto, seu charitati; quia charitas impelleret nos ad veritatem ipsam indagandam, nec unquam quiesceret donec ipsa veritas inveniretur. At contrario modo jam se res habet; ea enim est jam conditio nostra, ut nequaquam possimus omnia ista certò cognoscere, sed in multis necessariò erremus, ac proinde virtutis architectonicæ est, pro isto etiam casu deliberare, & ad deliberata perficienda stimulare. At clarum est, quod virtus illa aliud determinare ac ad aliud pro tali casu stimulare non possit, quàm ut ea amplectamur & fugiamus, quæ post debitam deliberationem præcepta esse aut prohibita concluserimus; si enim ad aliud stimularet, utique aut ad impossibile, aut ad peccatum stimularet. Ad impossibile quidem, si ad veram aut certam talium cognitionem urgeret, aut obligaret; ad peccatum verò, si stante errore, quem vitare non possumus, ad opus errori contrarium obligaret, quia haud dubiè peccatum est contra conscientiam invincibiliter constitutam operari. Ergò certum est, opera à tali errore proposita, & executioni mandata, esse conformia charitati, seu appetitui recto. Hinc etiam sequitur quod opus tale hîc & nunc, ne materialiter quidem repugnet appetitui recto, quia materia hujus operis non sumitur secundùm se præcisè, sed prout subsistat errori invincibili, in quo sensu nullo modo contrariatur, sed absolutè & simpliciter congruit appetitui recto. Cæterùm etsi concederetur, quod opus illud secundùm se acceptum, in aliquo sensu materialiter repugnaret charitati, evidens tamen est, quod hîc & nunc formaliter ac directè illius inclinationi, exigentiæ, ac præscripto conveniat. Hoc autem & reipsa & ex mente Aristotelis ac S. Thomæ ad honestatem sufficit, & est ipsum verum, de quo prudentia strictè dicta enunciat.

Opus sic positum non solùm formaliter, sed etiam materialiter conformatur charitati.

Objectio 2.

37. Ob. 2. Quando pater in venatione occidit filium, quem putat esse feram, voluntas occidendi filium, solùm per accidens & ex ignorantia conjungi potest cum amore filii. Ergò voluntas occidendi filium simpliciter discordat ab amore filii; quia amor filii non est amor solùm filii existimati, sed amor filii reipsa talis. At eadem est ratio de appetitu recto, qui non nisi per accidens, scilicet ex errore & ignorantia invincibili, conjungi potest cum opere materialiter pravo. Unde appetitus ille rectus est voluntas saltem virtualis, &, si reflectatur, formalis & expressa exequendi omnia, quæ Deus reipsa jussit. Ita Celladeus loco citato.

Nititur paritate incongrua.

Respondeo paritatem hanc & incongruam esse, &, si quid valeat, nobis favere. Est incongrua, quia loquitur de filio existimato fera. At voluntas occidendi feram existimatam indifferenter se habet ad amorem & odium filii, quia æquè cum utroque cohæret. Ergò illa voluntas impertinens est ad amorem filii, quia amor filii talem occisionem non dirigit. At nos loquimur de lege Dei invincibiliter, sed erroneè existimata; & quæritur, an illam observare intuitu voluntatis divinæ sit conforme appetitui recto? Ad hoc autem determinandum paritas instituenda erat inter amorem paternum, & hominem erroneè sed invincibiliter creditum filium. At si hoc modo instituatur comparatio, argumentum benè procedit, sed evidenter favet nobis; quia evidens est, voluntatem benè faciendi homini, invincibiliter existimato filio, esse conformem amori paterno, cùm amor paternus ad hoc obliget, & quicumque talem voluntatem omittit, dignus est vituperio, tanquam homo, qui à debito filiorum amore deflectit. Unde idem à pari valet in casu nostro, quia qui invincibiliter existimat, Deum aliquid præcepisse, tenetur utique illud exequi, idque ex impulsu charitatis, cujus propensioni se conformat, quando illud exequitur, sicut ejusdem propensioni contrariaretur, si illud facere detrectaret.

Amor filii stimulat ad benè faciendum filio tantùm existimato.

Exemplum à Celladeo adductum, maximè contra illum facit.

38. Et sanè exemplum patris & filii ex omnibus maximè contrariatur Celladeo, quia vix est pater, qui certò novit filium, & pauciores filii certò norunt suos patres. Ergò lex pietatis non aliter potest dirigere patrem ad amandum verum filium, quàm exigendo ut amet eum, quem tantâ apparentiâ & verisimilitudine credit esse suum. Jam licet amor extranei cogniti pro extraneo non sit conformis amori parentis, tamen amor extranei sumpti non merè materialiter, sed prout subest tantæ probabilitati quod non sit extraneus, quantam parentes communiter habent; talis, inquam, amor est conformis appetitui amandi filios, aut nullus amor filiorum est talis, quia vix ullus de suo amore aliud scit, quàm quod

sit de filio, quem cum tanto fundamento reputat esse suum. Porrò quia talis amor essentialiter supponit talem persuasionem; ideo talis amor essentialiter conformis est appetitui amandi filios. At objectum ipsum, seu persona amata ex se indifferens est, ut appareat vel non appareat filius. Ergò ex se non est conforme aut dissonum amori patris, cui tamen est prorsus conforme, si sumatur prout subsistat dicto errori invincibili.

Propositiones Celladei æquivocæ.

39. Hinc habemus, quod propositiones Celladei nullam vim habeant, nisi æquivocè accipiantur. Sic illa propositio: *voluntas occidendi filium simpliciter dissonat ab amore filii*: vera est in sensu formali, si accipiatur pro voluntate occidendi eum, de quo quis dubitat; aut novit, quod sit filius; quia talis voluntas essentialiter repugnat cum amore paterno erga filium. At falsa est, si accipiatur pro voluntate occidendi eum, qui invincibiliter putatur fera, cùm realiter sit filius; nam illa voluntas non contrariatur amori paterno; certum enim est, amorem paternum conjungibilem esse cum tali volitione, quippe quæ essentialiter fundatur in judicio dictante rem visam esse feram, cum exclusione omnis dubii omnisque suspicionis de nocumento filii; ideoque nil habet ratione cujus repugnet cum amore patris erga filium. Hinc sequitur, idem à potiori dicendum esse de appetitu recto, qui repugnat quidem cum volitione, aut explicitè eligente malum, aut illud volente errore vincibili; nullatenus tamen repugnat cum volitione faciendi id, quod invincibiliter creditur esse bonum aut præceptum, etsi revera sit malum & vetitum.

40. Rursus hæc alia propositio: *Appetitus rectus est voluntas saltem virtualis, & si reflectatur, expressa & formalis exequendi omnia quæ Deus reipsa jussit:* non est absolutè vera, ut jacet, quia sensus est, quod sit voluntas exequendi omnia, quæ Deus reipsa præcepit. At voluntas absolutè & efficaciter hoc intendens est imprudens in statu præsenti, qui fertur in impossibile; cùm absolutè necesse sit, nos in multis errare, modò accipiendo vetitum pro præcepto, modò præceptum pro vetito, &c. Ergò stultus esset, qui absolutè vellet illa omnia & sola exequi, quæ & qualiter Deus directè præcepit; quia vellet absolutè quod absolutè non potest exequi. Ergò appetitus rectus non est talis volitio. Itaque propositio illa non debet accipi absolutè ut jacet, & ut à Celladeo accipitur, sed exponi debet tanquam conditionata, ut sensus sit, appetitus rectus est voluntas exequendi omnia, quæ Deus reipsa jussit, ubi certò constat quæ Deus requirit, in aliis autem, quantum fieri potest debitam diligentiam adhibendo. At volitioni sic conditionatæ non opponitur error invincibilis, aut opus à tali errore regulatum, ut patet; immò in multis illi conformis est. Ergò error invincibilis, & opus ex tali errore profectum non contrariantur appetitui recto, sed in multis illi conformantur. Exemplum sume à filio appetente patri obedire. Appetitus filii stultus esset, si absolutè nollet obedire nisi patri vero, quia vellet quod non potest exequi. Faciat enim quod vult, necessariò errabit in judicio de patre, & consequenter tenebitur ad obediendum non patri. Ergò prudens filius non habet appetitum absolutum, qualem ponit Celladeus, sed solùm conditionatum, qualem posuimus

Adde, Deum, ex suppositione erroris invincibilis, per accidens velle hîc & nunc oppositum ejus, quod per se intendisset, si talis error non interveniisset. Ergò non potest non esse conforme charitati & appetitui recto velle illi conformari, & ponere opus illud, quamvis materialiter malum.

Objectio 3.

41. Ob. 3. Actus affirmantes & negantes idem sub diversis conceptibus, sunt solùm compossibiles per accidens & ex ignorantia, quia, ablatâ ignorantiâ, intellectus necessariò desistit ab alterutra enunciatione. Interim hæc ignorantia non tollit contradictionem & oppositionem istorum judiciorum. Ergò similiter discurrendum erit de actibus voluntatis. Ponamus aliquem expressè velle exequi quæ Deus reipsa jussit, & in ejus auxilio fixum sperare, se agnituruum semper quæ reipsa jusserit. Hoc posito, si invincibiliter erret in aliquo, electio rei, circa quam errat, erit quidem conjungibilis cum universali illa voluntate ipsius; at solùm per accidens & ex ignorantia, ut dictum est de actibus intellectûs. Cæterùm judicium, dictans rem reipsa contrariam legi Dei esse præceptam, apertè discordaret à voluntate illa. Ergò compossibilitas solùm per accidens & ex ignorantia probat repugnantiam & disconformitatem per se, & secundùm se. Ergò nullum dictamen erroneum est consentaneum appetitui recto; sed sicut errat materialiter circa res, ita errat materialiter circa appetitum rectum. Ergò dictamen erroneum nunquam dictat conformia appetitui recto. Ita Celladeus loco citato.

Proœmii subjectio non suppo nens.

Respondeo inprimis argumentum procedere de subjecto non supponente, quia Celladeus supponit, volitionem, quam exprimit, esse appetitum rectum, etsi tendat absolutè ad ea omnia reipsa perficienda, quæ Deus reipsa jussit. At talis appetitus non est rectus, sed temerarius, præsumptuosus, ac stultus, ut constat ex dictis. Ergò licet nullum dictamen erroneum esset conforme tali appetitui, (quod tamen verum non est, quia adhuc benè cohærerent, cum formaliter non discreparent, licet ex parte objecti esset materialis repugnantia; in hac autem quæstione magis attendendum est ad formalem convenientiam, quam ad materialem discrepantiam, quia formalis concordia potissimè locum habet in actibus humanis, qui ex sua natura sunt voluntarii. Ergò actus ille esset simpliciter conformis appetitui dicto, quia formaliter cum illo concordaret) non sequitur nullum errorem esse conformem appetitui recto, imò ex dictis sequitur oppositum, quia omnis appetitus rectus universalis est virtualiter, & si reflectatur, est formaliter conditionatus, ut ostensum est; & consequenter conformis est errori invincibili, ac operi à tali errore regulato. Præterea Deus de facto ex suppositione erroris invincibilis actu præcipit hoc, & vetat illud, quod præscindendo ab errore è contrario fuisset præceptum aut vetitum. Ergò si actus ille, de quo Celladeus loquitur, vult omnia, quæ Deus de facto exigit à nobis, vult etiam opus ex errore invincibili profectum.

Actuum lectûs, affirmantes & negantes idem sub diversis conceptibus, esse per se & ex sua essentia conjungibiles.

42. Respondeo secundò. Actus intellectûs, affirmantes & negantes idem sub diversis conceptibus, esse per se & ex sua essentia conjungibiles. Ratio est, quia unus nullum prædicatum habet, ratione cujus possit alterum excludere ab intellectu, ut patet. Itaque falsum est, quod solùm per accidens, & ex suppositione quodammodo casuali se patiantur. In eo est æquivocatio Celladei, quòd non possint cohærere nisi ex ignorantia, cùm ignorantiâ ablatâ alter eorum actuum tollatur; hoc autem aliud non probat, quàm igno-

ignorantiam esse prædicatum inseparabile ab altero illorum actuum, quod est verissimum. Itaque sicut ignorantia non est accidentalis, sed essentialis actui falso, ita si ignorantia sit causa, quod actus falsus superaddi possit actui vero, illa conjungibilitas non accidentaliter, sed per se connectitur cum actu illo. Uno verbo, ignorantia essentialiter requiritur, ut talis actus existat, ideoque ablatâ ignorantiâ necessariò tollitur illius existentia. At si semel existat, ex sua essentia conjungi potest cum altero. Ergò conjungibilitas istorum actuum est per se, non per accidens; ea enim per accidens se habent, quæ rebus ipsis positis adhuc indifferenter se habent ad prædicatum, quod dicitur accidentale. At nil tale evenit in casu nostro, ut patet. Ergò conjungibilitas ista non est accidentalis, sed per se & essentialis istis actibus. Jam quòd ignorantia non tollat contradictionem materialem & objectivam, non est ad rem, quia loquimur de contrarietate aut contradictione formali, ratione cujus unus actus excludit alium. At ignorantia ista impedit istam contrarietatem, & reddit actus illos simul producibiles, aut conjungibiles, quod solùm intendimus.

43. Hinc sic argumentor contra Celladeum. Eâdem ratione discurrendum est de actibus voluntatis, ac de actibus intellectûs, cùm ita se habeant actus voluntatis terminati ad objecta contraria sub diversa ratione, sicut actus intellectûs. At actus intellectûs ad talia terminati non solùm sunt compossibiles, sed etiam ita sunt connexi, ut ex sua natura unus cum altero cohæreat. Ergò idem valet de actibus voluntatis, aut de generali intentione voluntatis respectu errorum & operum per errores repræsentatorum, de quibus nunc loquimur.

Actus spei à Celladeo propositus non est spes, sed præsumptio.

44. Hæc quidem ita se habent, & ad intentum sufficiunt; verùm singula inspiciamus. Inprimis, qui absolutè intenderet ea, quæ Celladeus exprimit, imprudenter faceret, ut dictum est; similiter & qui talem spem eliceret, qualem proponit in argumento. Unusquisque quidem prudenter sperare potest, se in rebus necessariis necessitate medii non erraturum; at si quis absolutè speraret, atque expectaret à Deo, se nunquam nec in jure, nec in facto erraturum, vanissimè speraret; quia expectaret, quæ Deus non promisit, ideoque speraret ea, pro quibus inducendis nulla esset bona dispositio in causis; quod est in vanum sperare. Ergò neuter ex istis appetitibus esset rectus. Pone collectionem omnium fidelium eo modo firmiter sperare, omnes ita agnituros suos veros parentes, veros fratres, & consanguineos, ut nemo circa hoc aut aliud ejusmodi, ut circa impedimenta matrimonii contrahendi sit erraturus. Nónne inanis foret spes ejusmodi, per quam moraliter impossibilia sperarentur? Quid stultius tali spe firmâ, cujus objectum à nemine nisi temerè expectari potest ut aliquando ponendum? Et tamen Celladeus aliud exemplum non habet, in quo specimen ponat appetitûs, cum quo nec error nec opus ab errore directum conjungi possit.

Charitas nullam habet repugnantiam cum errore invincibili, aut cum opere à tali errore proposito.

45. Falsa est etiam illa propositio: *Compossibilitas solùm per accidens & ex ignorantia probat repugnantiam & disconformitatem per se.* Falsa est, inquam, quia evidens est, compossibilitatem accidentalem duorum nullam ex suo conceptu repugnantiam aut contrarietatem inter illa involvere. Sic per accidens est, quod homo iter faciat sine fatigatione, quia id non contingit nisi ex suppositione; quod utatur navi vel curru &c. Nihilominus iter facere sine fatigatione per se non repugnat homini, nec naturali illius inclinationi contrariatur. Ratio est, quia quoties accidens ipsum, ex cujus præsentia aliud alicui adjungitur, non est violentum subjecto, aut contrarium illi; cui superadditur, toties quod tali accidenti naturale est, nullam subjecto violentiam aut cum priori forma, contrarietatem habere potest: hac de causa cùm ipsa suppositio; scilicet vehi navicula, non sit contrarium aut violentum homini; neque iter agere sine fatigatione, est ipsi contrarium, aut violentum, quia hoc ipsum naturaliter consequitur ad ipsam suppositionem. Idem prorsus locum habet in casu nostro. Ignorantia invincibilis est suppositio, dependenter à qua error & opus ab errore profectum conjungi potest cum appetitu recto, seu cum charitate. At ignorantia ista nullam habet contrarietatem cum charitate, seu cum appetitu recto, alioquin justi talem ignorantiam non paterentur, Deus enim non facit miracula ut affligat justos; quod certè faceret, si gratia ex sua natura repugnaret cum tali ignorantia, quia contra exigentiam gratiæ & charitatis privaret eos scientiâ ipsis debitâ. Ergò neque error necessariò sequens talem ignorantiam, neque opus ab errore directum ullam habet contrarietatem aut repugnantiam cum appetitu recto, seu cum charitate.

Fundamentum Celladei doctrinam ipsius evertit.

46. Neque falsa tantùm est dicta propositio, sed etiam intento ac doctrinæ Celladei prorsus contraria; sic enim arguo. Quòd per se & intrinsecè contrariatur appetitui recto, haud dubiè peccaminosum est; sed error invincibilis, & opus ab eo regulatum intrinsecè & per se contrariatur appetitui recto. Ergò per se & intrinsecè sunt peccaminosa. Major & ex se patet, & ex eo confirmatur, quia plus est repugnare & contrariari appetitui recto, quàm illi non conformari, sed quodammodo ad illum indifferenter se habere. At hoc secundum infert, actum indifferenter se habentem ad appetitum rectum non esse bonum: ergò primum, nempe intrinseca contrarietas & repugnantia cum appetitu recto, apertè arguit malitiam & peccatum. Præterea appetitus rectus, de quo loquimur, est intentio finis debiti. At quod contrariatur & repugnat intentioni efficaci finis debiti, & ab illo nos avertit, est malum & peccaminosum. Ergò quod contrariatur appetitui recto malum est & peccaminosum. Itaque major est vera, minor est ipsa Celladei doctrina, quam omni conatu insinuare contendit. Consequentia autem & evidenter falsa est, & prorsus contraria toti intento Celladei, qui asserit voluntatem à conscientia invincibiliter erronea regulatam, non esse malam & peccaminosam, & in hoc tanquam in primario quodam fundamento totam discursûs sui machinam erexit. Adeò sibi in omnibus contrariatur hic Auctor, ut ubi maximè vult aliquid ad intentum pertinens probare, illud aliter haud faciat, quàm recurrendo ad principia non solùm falsa, sed primario ipsius asserto ac intento prorsus repugnantia.

Quòd contrariatur appetitui recto est peccaminosum.

Conformitas cum appetitu recto, etsi per accidens existat, sufficit ad prudentiam.

47. Præterea toto eo admisso, quod Celladeus dicit, adhuc contrarium ejus, quod probare intendit, legitimè deducitur. Esto enim, tale opus per se loquendo contrarietur appetitui recto, attamen saltem hîc & nunc, per accidens, & ex suppositione ignorantiæ invincibilis illi conformatur. At hoc tam ad intentum nostrum, quàm

quàm ad Celladeum revincendum sufficit ; quia omne, quod conforme est appetitui recto, prudens est & honestum, undecumque tandem proveniat illa conformitas, sive per se, sive per accidens, quia quoties adest constitutivum, toties adest constitutum, etsi forma constituens merè per accidens, immò & contra exigentiam adjungatur subjecto. Sic aqua est calida, quamvis per accidens, imò & violenter calorem recipiat. At error invincibilis, & actio ab eo regulata hîc & nunc, saltem per accidens, & ex suppositione ignorantiæ, est conformis appetitui recto. Ergò utrumque hîc & nunc est prudens, & reflexè per prudentiam certò & infallibiliter affirmari potest.

Æquivocatio Celladei detegitur.

48. Demùm fundamentalis æquivocatio Celladei in eo vertitur, quòd non distinxerit inter opus secundùm se consideratum, & illud idem ut substans errori invincibili & persuasioni probabili, quòd sit licitum, aut etiam præceptum. In primo sensu opus malum nunquam est conforme appetitui recto, quia malum est, nec habet unde honestatem accipiat, aut fundet actum à prudentia elicitum, quo conscientia certò dirigatur ad licitè operandum. Immò, quod plus est, admitti potest, quod tale opus materialiter contrarietur appetitui recto, quia in hoc sensu est materialiter malum. At in secundo sensu res aliter se habet, quia jam objectum illud non sumitur secundùm se, sed prout apparet, & probabiliter ac invincibiliter creditur bonum. At in tali acceptione opus illud hîc & nunc verè à Deo permissum est, aut etiam præceptum, ideoque dici potest & est simpliciter honestum, & fundat actum reflexum à prudentia elicitum, quo certificatur conscientia, quod illud exequendo non peccet, sed benè operetur, quidquid sit an per accidens erret vel non erret in judicio probabili directo, quo invincibiliter existimat opus illud esse honestum, aut etiam præceptum.

Objectio 4.

49. Ob. 4. Electio mali, quod creditur bonum, est involuntaria secundùm quid eligenti, quiâ ignorantia antecedens semper causat involuntarium. Præterea qui diligit Deum, tristatur quoties scit se materialiter fecisse contra legem, & nollet id fecisse. Ergò talis electio est contra aliquam voluntatem antecedentem, sicut projectio mercium in tempestate, quia inde nascitur tristitia. Hæc autem voluntas antecedens est ipse rectus appetitus finis. Ergò dictamen dicens malum bonum non est conforme appetitui recto, sicut non est conforme rebus, sed materialiter ab eo discordat Ita Celladeus §. 2.

Non probat intentum.

Respondeo argumentum solùm probare, omnem malitiam, omnemque peccati rationem esse involuntariam eligenti malum, invincibiliter existimatum bonum. In hoc autem sensu malitia illa est simpliciter & absolutè involuntaria, nullo autem modo, ne quidem secundùm quid, est voluntaria, quia ignorantia antecedens tollit omne voluntarium, ut notum est ex ipsa voluntarii definitione, & ab omnibus traditur *1. 2.* ubi de voluntario tractatur. Cæterùm in casu præsenti, factum ipsum & ratio boni, sub qua invincibiliter proponitur, sunt simpliciter voluntaria. Et quidem ratio boni, quæ proponitur, nullam admittit rationem involuntarii secundùm quid, quia ipsa & sine errore cognoscitur, & propter se amatur, licet error in eo contingat, quòd bonitas amata tali objecto convenire credatur, atque ut illi juncta ametur. Jam quod ipsum factum, ob ignorantiam qualitatis ipsius, sit aut non sit involuntarium secundùm quid, nil refert ad præsens institutum, quia etsi dicatur involuntarium secundùm quid, haud dubiè tamen est simpliciter voluntarium. Ergò simpliciter est conforme appetitui recto, à quo nimirum non solùm error ipse hîc & nunc provenit, sed etiam, stante errore, opus ipsum imperatur. Ergò simpliciter est prudens, & propria prudentiæ materia, sicut dictum est. At illud in unoquoque, quod simpliciter est tale, prævalet illi, quod solùm est tale secundùm quid. Ergò licet tam error, quàm opus ipsum sit involuntarium secundùm quid, & secundùm quid materialiter repugnet recto appetitui finis, non inde sequitur, quòd non sit prudens, sed oppositum legitimè deducitur, quia simpliciter conformatur tali appetitui. Hoc autem haud dubiè sufficit, ut quid sit & dicatur prudens, seu propria prudentiæ materia.

Voluntas boni creati mali effectus, pliciter mala.

50. Idipsum clarè conspicitur in exemplo prorsus opposito. Qui bonum, quod invincibiliter creditur malum, eligit, turpiter operatur, quia malitia est illi simpliciter voluntaria, licet non operetur rem malam sed bonam, cujus bonitas materialiter & secundùm quid est illi involuntaria, quamvis non formaliter & in ratione bonitatis. Ergò similiter qui facit malum, invincibiliter creditum bonum, benè ac laudabiliter operatur, quia hic æquè afficitur ad bonum ac ille ad malum, & bonum tam voluntarium est huic, quàm malum illi. Similiter voluntas boni crediti mali non magis contrariatur appetitui recto finis, quàm voluntas mali crediti boni eidem conformetur. Ergò ista voluntas bona est & prudens, sicut illa est mala & stulta.

Paritas Celadei non probat intentum.

51. Adde paritatem de projiciente merces nec esse ad rem, nec intentum probare. Non est ad rem, quia projiciens merces novit malum, quod imminet; sed quia videt illud esse incompossibile cum bono majori, contemnit bonum illud minus, ne majus amittat, unde malum illud est voluntarium simpliciter, & solùm involuntarium secundùm quid; idque non ex ignorantia, sed ex amore majoris boni incompossibilis, quia illa incompossibilitas ipsi aliquo modo displicet; nollet enim eam adesse, si posset. At casus noster procedit de involuntario ex perfecta mali ignorantia, quæ causat involuntarium simpliciter. Ergò paritas non est ad rem, quia arguit ab involuntario simpliciter ad involuntarium secundùm quid, quòd à ratione prorsus alienum est. Præterea arguit ab involuntario cum scientia mali ad involuntarium fundatum in perfecta mali ignorantia; quæ argumentatio haud dubiè nil valet, ob diversum motum animi, diversumque modum tendendi in uno ac in altero casu. Atque hinc etiam sequitur, paritatem illam non probare intentum; affertur enim ad probandum quòd electio mali crediti boni tristitiam causet, & sit involuntaria secundùm quid, quia projectio mercium, quæ secundùm quid est involuntaria, non absque aliqua tristitia atque animi acerbitate exercetur. At hoc non sequitur ex paritate; ideo enim projectio mercium tristitiam parit, quia cognoscitur ut malum præsens & inevitabile. At in casu nostro nulla est apprehensio mali, sed firma persuasio boni, ideoque nil est quod tristitiam pariat. Ergò paritas illa inepta est ad intentum probandum.

Nemo tristatur de operatione abeunte.

52. Præterea falsum est, quod probare intendit. Nemo enim rationabiliter tristatur ob actionem suam, eò quòd fecerit malum, si constiterit, illud

vincibili regula ob contrarietatem cum recto appetitu finis.

illud invincibiliter creditum fuisse bonum; nulla enim ob talem actionem dolendi, sed magna potiùs datur causa gaudendi. Nulla dolendi, quia nil culpæ inest tali actioni, nec ulla ob eam pœna infligi potest. Ergò non est cur doleat de actione illa. Est autem cur gaudeat. Inprimis sic operando implevit obligationem, qua urgebatur, quam certè violasset, nisi ita operatus fuisset, quando error rem proponebat ut præceptam. Secundò ostendit bonam suam voluntatem erga Deum, cui obedivit in iis, quæ ab ipso præcepta esse scire potuit. Tertiò ex hoc affectu atque operatione bonum habitum ad Deo obsequendum aut induxit, aut auxit. Est ergò cur lætetur, se ita operatum fuisse in illis circumstantiis, si solùm ad affectum charitatis, & appetitum finis respiciamus, nec umbra apparentiæ est, cur relatè ad istos affectus ob operationem nostram tristemur. At nos loquimur in præsenti de eo solùm, quod ex comparatione ad habitum charitatis & debitum finis appetitum provenit.

Cur tristamur de opere malo invincibiliter credito bono?

53. Quod facit æquivocationem est, quia, detecta veritate, sæpè tristamur ob alias causas. Frequenter timemus, ignorantiam non fuisse prorsus invincibilem; inde autem ampla tristitiæ causa provenit. Aliquando invenimus nos nobis, aut amicis, vel saltem proximis grave damnum temporale intulisse, unde tristamur de opere relatè ad istos fines, quia opus positum contrariatur particularibus istis affectibus; sed affectui charitatis, aut recto appetitui finis actio illa nullatenus contrariatur, sed ab illis ortum habuit, ut ostensum est. Præterea omnis error est malum intellectûs, ex illo autem errore contracto videmus, spem nostram de non errando fuisse delusam; si niliter experimur, & quasi tangimus debilitatem intellectûs nostri, meritoque timemus, ne iterum decipiamur. Hæc autem omnia, aut præsentia aut imminentia, sunt materia tristitiæ. De his ergò similibusque dolemus, sed in ordine ad appetitum finis & finem charitatis de ipsa operatione nostra non dolemus. Quis non videt absurdissimum esse, quod anima filii obedientissimi statim post mortem corporis sui tristanda sit ob perfectam obedientiam patri invincibiliter existimato præstitam? Nimis manifestum est, malum materiale, ex parte operis præcisè consideratum, nullam causam tristitiæ præbere relatè ad finem ultimum, & rectum ejus appetitum, quidquid sit de aliis considerationibus in ordine ad particulares affectus, nobis inexistentes. Demùm postquam error detectus est, & homines sciunt illud, quod antea fecerunt, esse malum, & secundùm se Deo displicere, semper in posterum illud aversantur, quia circumstantiis mutatis non amplius repræsentatur ut antea repræsentabatur. Sunt enim ita affecti, ut rem illam amplius facturi non sint, ideoque rem illam secundùm se consideratam aversantur, sed actionem suam prius positam nec culpant, nec de ejus positione ulla ratione tristantur relatè ad rectum finis ultimi appetitum.

Objectio 5.

Officium prudentis quodnam sit?

54. Ob. 5. Proprium est prudentis, *posse rectè consultare de iis, quæ ipsi bona sunt atque utilia, non ex parte, sed quæ ad benè vivendum in universum*, ut expresè tradit Aristoteles *6. Ethic. cap. 5.* Qui ergò universaliter de his omnibus rectè consultat, est homo simpliciter prudens; qui autem de iis universim non rectè consultat, non est simpliciter prudens, sed ad summum secundùm quid, in quantum scilicet, de aliquibus saltem rectè consultare potest. Hoc ipsum Aristoteles probat exemplo prudentiarum particularium hoc modo. *Cui rei argumentum illud est, quod eos, qui circa aliquid consultant, prudentes appellamus, cùm ad finem aliquem bonum de iis, quorum non est ars, rectè ratiocinantur. Quare in universum quoque is erit prudens, qui est consultatorius.* Hisce de natura prudentiæ, tam generalis & simpliciter dictæ, quàm particularis & secundùm quid, stabilitis, sic arguitur.

Prudentia particularis non versatur nisi circa bonum & malum reale.

55. Prudentia particularis non versatur circa bona & mala existimata solùm talia, sed circa bona & mala reipsa talia. Certè non esset prudens dux, qui malè aciem ad pugnam instrueret, quamvis ob errorem inculpabilem, illa ipsi videretur optimè instructa. Idem videre est in aliis omnibus prudentiis particularibus. Ergò idem valet in prudentia simpliciter dicta, & in universum. Ergò prudentia locum non habet quando intellectus errat circa bonum & malum; ideoque proprium illius objectum non est bonum & malum solùm existimatum, sed bonum & malum reipsa tale.

Bonum prudentiæ particularis non fit tale per nostram existimationem.

56. Confirmatur. Quæ sunt bona & mala in ordine ad finem prudentiæ militaris, aut alterius prudentiæ particularis, talia sunt per se, nec talia fiunt, aut ullatenus alterantur per nostram existimationem. Et hæc quidem præsupponuntur ut bona & mala per se, ac invariabilia in ordine ad fines illos particulares. Ergò similiter in ordine ad finem simpliciter, aliqua sunt objecta per se mala, alia bona per se. Primi generis sunt mendacium, furtum, homicidium, usura &c. Secundi generis sunt, charitas, pax, longanimitas, justitia, misericordia &c. Hæc objecta non magis transmutari possunt ab existimatione nostra, quàm objecta prudentiæ particularis. Nec mirum, quia actus specificantur ab objectis, non è contra; ideò enim voluntas mentiendi est mala, quia mendacium est malum, & non è contra. Ergò prudentiæ est rectè dictare de bonis & malis simpliciter, non de bonis & malis tantùm existimatis. Et hoc ipsum Philosophus apertè indicat, dum dicit, prudentem dici, *qui rectè consultat de iis, quæ sibi ipsi bona sunt*, non de iis quæ existimantur; de his enim quivis potest rectè consultare.

Qualis esset homo, qui in omnibus erraret?

57. Confirmatur secundò. Si quis enutriretur in sylvis, & universim ita erraret, ut omnia mala diceret bona, & omnia bona crederet mala, hic non esset prudens, licet omnia exequeretur prout judicat, sed esset stolidus & pejor ferâ. Ergò omnes errores, etiam invincibiles, non reddunt omnia bona mala, & omnia mala bona. Ergò nec unus error bonum unum reddit malum, aut malum bonum, alioquin duo errores duo mala redderent bona, & omnes omnia. Ergò prudentia non est nisi de bono & malo revera tali. Ita Celladeus §. 3.

Prudentia particularis imitatur artem magis, quàm prudentiam simpliciter.

58. Respondeo, omnia ex Aristotele allata esse verissima, sed ex iis ad intentum nil prorsus inferri. Et sanè inprimis Celladeus ipse disparitatem apertam admittere tenetur, & diserte admittit tam inter prudentiam particularem & prudentiam strictè dictam, quàm inter utriusque opus; quia adeptio finis, aut remotio impedimenti contrariantis fini prudentiæ particularis totaliter dependet ab ipso opere materialiter sumpto, sicut supra dictum est de opere & fine artis. Unde existimatio erronea, qua Dux putat se aciem benè instruere, cùm eam malè instruit, non magis conducit ad impediendam victoriam inimici, quàm si Dux conscius erroris sciens & volens

Objectio Celladei repugnat ipsius doctrinæ.

volens militem malè ordinaret. Atque hinc est, quòd artes omnes, & prudentiæ particulares, quæ in hoc imitantur artes, non versentur nisi circa bona & mala realiter talia, quia nulla alia consideratio juvat ad finem artis obtinendum, aut ad malum fini artis oppositum impediendum. At omnia contrario modo se habent in materia prudentiæ simpliciter dictæ, quæ solùm enunciat de honestate & inhonestate nostrorum actuum: certum enim est, quod ignorantia & error invincibilis excuset à peccato, & sic tollat omnem contrarietatem operis mali cum adeptione finis. Ergò certum est, errorem & ignorantiam aliter se habere in ordine ad finem prudentiæ simpliciter dictæ, quàm in ordine ad finem artis, aut prudentiæ particularis. Ergò licet artes & prudentiæ particulares non versentur nisi circa bona & mala reipsa talia, non sequitur prudentiam simpliciter dictam non versari circa bonum & malum non reipsa, sed solùm in existimatione tale.

Prudentia quando versatur circa bonum existimatum, nunquam errat.

59. Cæterùm si præsè loquamur, prudentia præsè dicta locùm non habet, quando intellectus errat circa bonum & malum, quia prudentia præsè dicta est virtus intellectûs; impossibile autem est, ut intellectus per virtutem suam falsum dicat, ut ex dictis constat. Ergò prudentia strictè dicta nec aberrat, nec à vero aberrare potest. Itaque in hoc Celladeus æquivocare videtur, quòd confundat objectum, in quod prudentia tendit, cum actu ab illa elicito. Objectum prudentiæ in casu erroris invincibilis non est res ipsa secundùm se & circumstantias illi naturaliter connexas, sed est res illa ut substans judicio, quo post diligentiam debitam res illa creditur honesta, aut etiam præcepta. Jam quando res illa directè considerata per judicium erroneum creditur honesta, nemo dicit, judicium illud esse actum à prudentia strictè dicta elicitum, quia actus ille est falsus, & dicit illud bonum esse, quod ex natura sua est malum, & postulat prohiberi pro omni circumstantia, pro qua propria illius natura & essentia innotescit. Itaque actus prudentiæ in hoc casu subsequitur dictum judicium, atque iterum considerat illud idem objectum secundùm alias circumstantias, nempe prout post debitam diligentiam adhibitam substat judicio rationabili directè dictanti, illud esse permissum vel præceptum. Jam res illa, ut substans huic judicio, reflexè affirmatur à prudentia, quæ dicit illud malum non esse, nec ad culpàm imputari posse. Imo quando res proponitur ut obligatoria, dicit illam absque peccato omitti non posse. Quæ omnia verissima sunt etiam ex mente Celladei. Præterea verum etiam est, quod res illa in illis circumstantiis sit bona, & Deo absolutè placeat hîc & nunc, ut *quæst. 3.* probatum est. Itaque quando intellectus directè errat circa bonum & malum, datur locus prudentiæ reflexæ, quæ nunquam errat circa suum objectum. Ergò proprium objectum prudentiæ, adæquatè sumptum, semper est bonum & malum reipsa tale, & non merè existimatum, licet intellectus in prævio discursu, in quem prudentia tanquam in objectum suum partiale reflectit, à vero aberret.

Disparitas inter prudentiam simpliciter & prudentiam particularem.

60. Ad primam confirmationem, esto: bona & mala in ordine ad finem prudentiæ particularis, omniumque artium sint talia per se materialiter sumpta, nec ulli variationi obnoxia ob nostram existimationem; sed evidens est rem aliter se habere in ordine ad finem prudentiæ propriè dictæ, quia certum est, bona evadere mala, si existimentur mala; qui enim, sive vincibiliter, sive invincibiliter, crederet misericordiam esse peccatum, peccaret utique, si eleemosynam largiretur, illamque largiendo fini adipiscendo verum & reale impedimentum apponeret; at nil simile evenit in prudentiis particularibus & artibus, quia qui benè aciem instrueret, utique poneret medium verè illativum victoriæ, etsi ipse putaret, atque etiam intenderet, illam aciei instructionem esse sui exercitûs destructivam. Stat ergò bona & mala esse variabilia in ordine ad finem prudentiæ strictè dictæ, illamque varietatem à diuersa illorum repræsentatione desumi; etsi concedamus quod bona & mala relatè ad finem artis & prudentiæ particularis sint invariabilia, & nullam à nostra persuasione mutationem accipiant. Cæterùm universaliter loquendo falsum est, quod malum creditum bonum nullo modo conducat ad finem prudentiæ particularis, oppositum enim est certissimum; si enim tam dux exercitûs, quàm milites omnia ad victoriam reportandam optimè instructa existiment, ex hac ipsa persuasione plurimùm animantur ad generosè pugnandum, & validè resistendum inimicis, à quibus facilè fugerent, si scirent se ad resistendum esse malè dispositos. Ex hac porro acri pugna & generosa militum resistentia non rarò reportatur victoria, licet acies ipsa insciter ordinata fuerit. Tantum ergò abest ut bona & mala in materia prudentiæ propriæ dictæ sint inalterabilia, ut etiam in materiis prudentiarum particularium magnam alterationem ex varietate persuasionis nostræ subeant.

Error à materia prudentiæ remotior circa bonum & malum quam talis prudentia.

61. Hactenus dicta intelligenda sunt de rebus bonis & malis materialiter sumptis, de illis enim hac solùm ratione acceptis verum est, quòd in ordine ad finem prudentiæ variationem subeant, quando erroneè creduntur bona vel mala. Cæterùm multa sunt bona & mala, quæ invariabiliter sunt talia in ordine ad ultimum finem hominis. Sic invariabiliter malum est operari contra conscientiam, Deo certò jubenti non obtemperare. Similiter invariabiliter bonum est, Dei offensam vitare, in dubiis Dei voluntatem investigare &c. Hæc enim, & alia ejusmodi clarè exprimunt rationem formalem objectivam, nempè voluntatem Dei vetantem aut præcipientem, à qua moralitas in actus humanos derivatur. Tam clarè enim proponuntur ut bona vel mala, ut nemo, cui proponuntur, de earum veritate, nisi per summam temeritatem & animi perversitatem dubitare possit, aut illa ignorare. Jam quod ad objecta à Celladeo proposita attinet, illa etiam aut omnia, aut pleraque sunt ejusmodi, saltem respectu plerorumque, quia rarissimè proponi possunt, quin statim voluntas Dei vetans illa mala & præcipiens ac approbans illa bona, simul sufficienter proponatur. Et hæc est unica ratio, ob quam illa objecta rarò transmutari possint per actus nostros. Cæterùm mirum est, Celladeum dicere potuisse, hæc objecta non magis transmutabilia esse à dispositione nostra, quàm objecta artis & prudentiæ particularis, cùm loquatur in sensu composito erroris & ignorantiæ invincibilis, qua stante, certum est etiam apud ipsum, mala non esse moraliter mala, nec ullum operanti detrimentum afferre, quia ignorantia talis excusat à toto. Ergò dum hoc dicit, ubi suæque sententiæ, immò & apertæ veritati contradicit.

Celladei contradictio.

62. Nec felicior est Celladeus in probando, quòd talia objecta sint invariabiliter talia, exeò quòd voluntas mentiendi ideo sit mala, quia menda-

riali secundùm se considerato.

mendacium est malum, & non è contra, & quia actus specificantur ab objectis & non è contra. Reflectat parum ad hominem ex errore invincibili credentem se ad salvandam vitam proximi mentiri debere, & argumenti nullitatem videbit. Certè volitio mentiendi in tali casu non est mala, & tamen mendacium ipsum non potest non secum ferre scipsum, totamque physicam malitiam, quam habet. Ergò si hic actus specificaretur à malitia intrinseca ac prorsus inseparabili hujus objecti, utique necesse foret, actum illum esse malum, alioquin actus ille separaretur à suo specificativo ac differentia essentiali, quod est prorsus impossibile. Certum ergò est, quod voluntas mentiendi non ideo sit mala, quia mendacium est reipsa malum, & secundùm se naturæ rationali dissonum.

Specificantur ab objecto ut repræsentato, maximè ab objecto formali.

63. Itaque actus intellectûs & voluntatis specificantur quidem ab objectis, non secundùm se acceptis, sed ut repræsentatis. Sic actus evadit affirmativus, si termini repræsententur ut connexi, quamvis reipsa sibi sint contrarii. Præterea unicum, vel certè potissimum specificativum desumitur ab objecto formali, in quod actus tendit ratione ipsius, & propter quod quodammodo extenditur ad aliud. Hæc certa sunt ex Philosophia ac Theologia omnium. Et sanè doctrina hæc potissimè locum habet in voluntate, quæ, utpote potentia cæca, non fertur in objectum nisi prout illi proponitur. Unde si mendacium illi proponatur ut bonum, non potest idem actus specie prodire, qui prodit quando repræsentatur ut malum. Quod maximè verum est, quando diversa illa repræsentatio est invincibilis. Ratio est, quia actus voluntatis specificantur ab objecto formali, prout proponitur voluntati. At quando mendacium invincibiliter proponitur ut bonum & præceptum, objectum formale voluntatis est aliud, & aliter proponitur, quàm quando repræsentatur ut malum. In priori enim casu objectum formale est voluntas Dei obligans ad mentiendum, cui voluntas adhæret, & vi illius ad mendacium amandum extenditur. In secundo verò casu objectum formale est commodum aliquod, imperio Dei mendacium vetantis oppositum, cui commodo voluntas, ut inhæreat, sponte à Dei imperio se avertit. Ergò necesse est, ut in istis casibus prodeant actus voluntatis specie diversi. Hæc clara sunt, & tamen doctrinæ huic tam certæ, tam claræ, tam indubitanter ab omnibus admissæ, totus Celladei contextus, universumque ejus intentum penitùs adversatur.

Discursus Celladei doctrinis certis & obviis contrariatur.

Æquivocatio Celladei.

64. Latet etiam æquivocatio in illa Celladei propositione. Prudentiæ *est rectè judicare de bonis & malis simpliciter, & non solùm de bonis & malis existimatis, atque idipsum Philosophus indicat, dum ait, prudentem dici, qui rectè consultat de iis, quæ ipsi bona sunt, non de iis quæ existimantur, quia de his quivis potest rectè consultare.* Si enim sermo sit de actibus à prudentia elicitis, propositio est vera, quia illud objectum, adæquatè sumptum, de quo prudentia enunciat, non apparenter tantùm, sed verissimè bonum est aut malum; si autem loquamur de actibus præviis, quos prudentia reflexa præsupponit, ut propriam suam materiam, falsum est, quod ad prudentiam pertineat efficere, ut intellectus in illis non erret; cùm enim objectum sit incertum, prudentiæ est cautè procedere, sed errorem omnem impedire in hominis potestate non est, ut patet. Prudentia ergò directa dictat de bonis & malis simpliciter, ubi bonum & malum certò cognosci potest. At ubi veritas invincibiliter latet, & certò cognosci nequit, non est prudentiæ de talibus objectis judicare ut sunt in se, sed opus est prudentiâ reflexâ, quæ novam consultationem instituit, atque de illis ut existimatis enunciat; de illis enim sic acceptis verissimè dictat, quòd sint conformia appetitui recto, & consequenter honesta.

Rectè consultare de bonis existimatis est difficile.

65. Falsum etiam est, quod dicit, quemvis posse *rectè consultare de bonis & malis existimatis*, cùm oppositum sit manifestum. Plurimi enim discursus reflexi, in se valdè difficiles, præmitti debent, ut sciamus quid in tali casu ob conscientiam formatam liceat. Nominatim qualitas judicii directi, ejusque certa probabilitas sciri debet, ut postea per principia reflexa, tandem veniamus ad certum dictamen de honestate operationis. At quis non videt, hæc esse non minùs difficilia, quàm dictamina prudentiæ directæ, quando illa certò & evidenter enunciat de objectis secundùm se. Ecce quoad hoc non est disparitas inter consultationem de rebus in se & de rebus existimatis, immò potior difficultas reperitur in consultatione de rebus existimatis, quia antequam veniamus ad consultationem reflexam, præmitti debet consultatio de rebus ipsis. Post eam autem consultationem conclusam, adhuc opus est nova consultatione de qualitate prioris discursus, & sic demùm, eâ etiam peractâ, intellectus, recurrendo ad principia syndæresis reflexa, per prudentiam reflexam format dictamen certum de honestate operationis.

Absurda Celladei suppositio.

66. Ad secundam confirmationem dico, suppositionem, ex qua procedit, esse naturaliter impossibilem, quia multa sunt adeo patenter bona, alia tam evidenter mala, ut nemo sui compos possit de illis dubitare, & multò minùs eadem invincibiliter ignorare. Ergò argumentum procedit de subjecto non supponente: sed esto, admittatur suppositio, exilla admissa, nil eorum, quæ Celladeus infert, sed opposita omnia deducuntur. Inprimis talis homo esset prudens, & prudentissimus, si in omnibus suæ conscientiæ se conformaret, quamvis enim in judiciis directis erraret, & consequenter prudentia illos non eliceret, adhuc tamen prudens esset, quia in judiciis reflexis verum certò diceret, quia per ea ferretur in suam operationem, atque in objecta existimata, tanquam in res appetitui recto conformes. In hoc autem certò proponendo ratio prudentiæ consistit.

Qui in omnibus invincibiliter erraret, benè faceret, si suam conscientiam sequeretur.

67. Præterea homo in illa suppositione tam benè se gereret in omnibus, ut melius se gerere non posset. Idem in omnibus omne peccatum & peccati umbram vitaret. Ergò haud dubiè benè faceret, & laudem singularem mereretur, qualem certè meretur, qui cùm possit peccare & ad peccatum stimuletur, à peccato tamen abstinet, ne Deum offendat, facitque quantum scit & potest, ut illi placeat. Nónne ratio dictat, Deum, qui cor intuetur, in tali homine multum sibi complaciturum? Ergò talis homo non esset stolidus & pejor ferâ, quia qui peccatum liberè vitat, facitque quantum potest, ut Deo fideliter serviat, non est stolidus & pejor ferâ, sed est simpliciter prudens & valdè laudabilis, Talis esset iste. Unde è contrariò sic arguo. Error invincibilis de omnibus bonis & malis secundùm se acceptis, si daretur, omnia

mala redderet bona, & omnia bona similiter mala. Ergò error invincibilis de uno vel pluribus, qui de facto datur, mutat illa, & bona reddit mala, & mala bona. Ergò prudentia, quæ ad omne bonum opus præsupponitur, sæpè versatur circa bonum & malum merè existimatum, seu repræsentatum per cognitiones directas erroneas.

Idem probatur ex sacra scriptura.

68. Confirmatur ex verbis Christi *Matthæi 7. 19. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur*, id est, omnis homo, libero utens arbitrio, damnabitur, nisi bonum operatus fuerit. At certum est hominem, de quo objectio procedit, non esse damnandum, quia in nullo peccaret. Ergò homo ille bonum faceret. Ergò voluntas conformis rationi invincibiliter erranti est bona. Idem autem docetur ab August. *lib. de utilit. credendi cap. 12.* ut non semel vidimus in superioribus. Ergò Celladeus in omni apice suæ illationis fallitur, veritatique ipsi, ac S. Augustino repugnat.

Voluntas conformis errori invincibili recta est, nec rectificatione indiget.

69. Ratio à priori est, quia tunc homo bonus est, quando habet intellectum & voluntatem benè dispositam in ordine ad finem ultimum. Hoc posito, quod negari nequit, sic arguo. Intellectus hominis in casu allato esset quidem malè dispositus in ordine ad verum ipsum directè repræsentatum, nec aliam rectitudinem logicam haberet circa objecta, quàm reflexam; per eam enim verissimè enunciaret de objectis existimatis. Sed voluntas illius optimè disposita esset in ordine ad omnem honestatem, cùm omne bonum repræsentatum amaret, & omne malum repræsentatum odio haberet. Et sanè ita esset disposita voluntas, ut aliis habitibus ac dispositionibus non indigeret, quia si intellectus rectificaretur, nullâ aliâ rectificatione opus esset pro voluntate; illa enim statim magnâ facilitate amplecteretur ea, quæ antea repudiabat, quia jam proponerentur ut bona, quæ antea credebantur esse mala. E contrariò expeditissimè respueret, quæ antea amabat, quia jam sciret illa esse mala, quæ prius bona esse credebat. Ergò voluntas illa optimis habitibus esset instructa, nec ex parte sui rectificatione indigeret. Sic voluntas amantis suam vitam ex parte sui est sufficienter benè disposita ad respuendum cibum verè venenatum, quem ex errore avidè cupiebat tanquam sanitati proficuum. Detecto enim errore, absque difficultate, immò magna cum libertate & facilitate cibus ille respuitur, quia motivum, quod per se diligitur, illi amplius non applicatur. Ergò nulla rectitudo deest in tali voluntate, ut sanitati congrua eligat, sed totus defectus se tenet ex parte intellectûs, qui si rectificetur, omnia benè se habent.

Opus prius credendo, & voluntas de objecto credito, ut est honestum.

70. Jam cùm bonum & malum morale in solis actibus voluntatis consistat, eò quòd illi soli sint liberi & voluntarii, utique necesse est actum illum esse bonum qui à voluntate benè disposita procedit. At, in casu objectionis, omnes actus liberi talis hominis procederent à voluntate benè disposita, essentque proprii effectus talis dispositionis habitualis. Ergò essent actus boni; quia effectus imitatur causam proximam, à qua procedit, & in qua directè ac proximè continetur. Præterea tales actus procederent à prudentia reflexa. Ergò non possent non esse recti ac laudabiles. Certè nos non possemus non amare hominem taliter affectum erga nos, quamvis invincibiliter erraret circa res nobis gratas, faceretque ea, quæ aliquid nocumenti afferrent, modò omnem industriam ad nobis placendum adhibuisset. Cor enim sincerè amicum semper placet. Hoc multò magis locum habet in Deo, qui nil commodi aut incommodi à nostris operibus recipit, quique proinde non opus ipsum sed affectum & cor, quo opus fit, respicit.

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-SECUNDA.

Vtrùm possimus esse certiores quòd non peccemus, quàm quòd non ponamus opus reipsâ vetitum per legem?

1. NUNQUAM credidissem, Theologum universaliter asserere potuisse, homines in nullo unquam casu esse posse certiores, quòd formaliter ac imputabiliter non peccent, quàm quòd non ponant opus materialiter malum, seu aliqua Dei lege prohibitum, nisi vidissem Celladeum *lib. 3. quæst. 6.* omni nisu conari ad hoc Lectori persuadendum. Non, inquam, id unquam credidissem, quia oppositum adeo perspicuum est, ut omnibus naturæ lumine videatur esse notorium, nec quemquam latêre possit, qui vel mediocrem attentionem adhibuerit, ut mox ostendam, sit ergò.

ASSERTIO UNICA.

Sæpè contingit, homines majori firmitate credere, quòd imputabiliter non peccent, quàm credant, quod non peccent materialiter.

Homines sæpè certiores sunt se non peccare formaliter, quàm se non ponere opus materialiter.

2. PROBATUR manifestissimis exemplis. In primis conjux dubia de valore sui matrimonii, licitè reddere potest debitum conjugale, sed illud licitè exigere non potest, quia hoc expressè traditur in sacris canonibus *cap. inquisitioni de sentent. excom. & cap. Dominus de secundo nuptiis*, in quibus Pontifices id apertè declarant. Rursus omnes etiam Theologi id ipsum expressè tradunt; nec sum, qui putem Celladeum negaturum veritatem tam certam & contestatam. Hoc posito sic.

sic. Uxor dubia de valore matrimonii, instructa doctrinâ in citatis capitibus contentâ, atque communi Theologorum auctoritate confisa, certa est se non peccare reddendo debitum. At certa non est, quòd copula in se non sit materialiter mala & fornicaria; ac aliqua saltem lege universali prohibita; imò de hoc est dubia, nec potest dubium deponere, ut suppono, quia post omnem diligentiam adhibitam, res manet dubia. Ergò talis uxor certior est, se non peccare formaliter ac imputabiliter, quàm sit se non peccare materialiter, aut non ponere opus ulla lege, saltem universali, prohibitum. Rursus argumentum valet, etsi dicas persuasionem in citatis capitibus Auctorumque consensu fundatam non esse certam, sed solùm probabilem; quia saltem uxor probabilitatem habebit, quòd non peccet formaliter, reddendo debitum. At probabilitatem non habet quòd non peccet materialiter, imò ad talem probabilitatem nullâ industriâ pervenire potest. Ergò magis scit se non peccare formaliter, quàm sciat se non peccare & errare materialiter.

Alind exemplum probans id ipsum.

3. Rursus Judex, qui post omnem diligentiam præmissam invenit reum legitimè convictum, certus est se non peccare illum condemnando, maximè si nulla reperiri potuit ratio probabiliter reum excusans. Atqui non est certus, se tunc non condemnare innocentem, quia benè novit, testes aliquando esse corruptos & falsum dicere, etiam quando homo legitimè convincitur esse reus. Ergò certior est, se non peccare formaliter, quàm non condemnare innocentem, seu non peccare materialiter. Major est evidens lumine naturæ; nec evidens tantùm est judici, sed etiam evidens illi est, quòd hi & nunc non possit aliter vitare peccatum formale, quàm condemnando hominem taliter convictum, etsi sic operando exponat se alicui saltem periculo occidendi innocentem, & committendi peccatum materiale. Minor est evidens non solùm ex natura rei, inspectâ fallibilitate ac malitiâ hominum, sed etiam per ipsam experientiam tam certò innotescit, ut impossibile sit hominem rerum peritum habere dubium de opposito. Consequentia legitimè deducitur, totamque Celladei machinam evertit.

Alia exempla pro confirmatione ejusdem t. 1.

4. Similia exempla quamplurima sunt obvia. Filii certiores sunt se non peccare formaliter exhibendo obedientiam parentibus existimatis, eamque aliis omnibus negando, quàm quòd non errent in illo suo judicio & materialiter peccent; quia benè sciunt se non peccare coram Deo, quamvis præter spem & opinionem decipiantur; evidens enim est illorum ignorantiam & errorem, si errent, esse invincibilem. Idem omnes tradunt de Religioso subdito, qui in incertis obedire debet: certiùs enim cognoscit se non peccare obediendo, quàm sciat superiorem suum materialiter justum præcipere. Idem dico de possessore bonæ fidei, cujus conditio in dubio ac pari causâ est melior quàm conditio non possidentis. Hic enim in omnium ferè sententiâ licitè retinet rem possessam, adeo ut sit quodammodò moraliter certus, se per hoc non peccare. At tantam probabilitatem non habet, quòd alienum non possideat, cùm de hoc dubitetur, & causa utriusque partis quoad jus prætensum ponatur esse par. Alia innumera exempla sunt obvia, de quibus in antecedentibus facta est, & in sequentibus mentio fiet.

Ratio à priori idipsum probans.

5. Probatur secundò à priori ex principiis certis ab ipso etiam Celladeo admissis. Quoties certificamur ea omnia adesse, quæ, si sint, certò excusant à peccato, toties certificamur, actionem excusari, & ad peccatum imputari non posse. Ergò quoties certificamur, nos esse in ignorantia invincibili legis vetantis actionem, quam ponimus, quamque certò invincibiliter credimus esse honestam, toties certificamur, nos non peccare formaliter illam ponendo, quia certificamur, quòd adsit causa certò excusans illam à peccato per se imputabili. Atqui sæpè certificamur, quòd veritas invincibiliter lateat, quódque si erremus, invincibiliter erremus circa rem, quam post omnem diligentiam adhibitam non possumus absque temeritate non reputare veram & honestam, ut videre est in judice condemnante innocentem legitimè convictum, & aliis ejusmodi casibus; certus enim est, veritatem, si erret, invincibiliter ipsum latère, seque citra temeritatem non posse reputare hominem illum non esse reum & honestè condemnabilem. Ergò in tali casu Judex certificatur quòd non peccet formaliter; non tamen certificatur quòd non peccet materialiter, cùm de hoc haberi non possit certitudo, ut patet; immò quod dolendum est, nimis frequenter contingit homines innoxios hac ratione condemnari.

Probantium ipsum pro bans.

Aliud exemplum efficacissimum.

6. Argumentum hoc evidentissimum locum habet in eo, qui post diligentiam adhibitam restituit inventum illi, qui omnia signa requisita affert, ut res credatur esse ipsius; maximè si diu expectavit, & publicè multis in locis tam in concionibus quàm in foris declaraverit, se tale inventum habere, & cupere illud Domino reddere. Jam si nemo præter illum unum accedat, aut signa dare possit, certus est se non peccare dando illi rem; & tamen certus non est, quòd rem vero Domino restituat, aut de illa juxta veri Domini voluntatem disponat. Ergò certior est se non peccare formaliter, quàm certus sit, se non peccare materialiter; quæ adeo manifesta sunt, ut mirum sit, quemquam de illis dubitare potuisse.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

7. OBJICIES primò. Conscientia est quidem proxima humanorum actuum regula, sed solùm secundaria & subordinata, in quantum scilicet proponit legem seu voluntatem Dei, quæ est prima regula moralitatis. Itaque in tantum conscientia obligat vel deobligat, in quantum dictat, Deum jubere vel non jubere. Si dictet Deum jubere, erit regula obligans; si verò dictet Deum permittere, erit regula deobligans, nisi vincibiliter erret, & teneamur eam deponere. Ergò in tantum quis scire potest, se in aliquo suo actu non peccare, in quantum scit, & sicut scit actum illum non esse reipsâ contra legem Dei. Ergò in tantum scire potest, se non incurrere malitiam formalem, in quantum scit se non incurrere malitiam materialem; seu verè non operari contra legem Dei. Ita Celladeus *quæst. 6. §. 1.*

Principia Celladei repugnant ejus doctrinæ.

Respondeo inprimis, contrarium apertè sequi ex iis, quæ Celladeus admittit in argumento; admittit enim, quòd conscientia dictans contractum non esse à Deo præceptum sit regula verè deobligans, nisi sit vincibiliter erronea, & eam deponere teneamur. At sæpè scimus nos invincibiliter errare, si erremus, simulque scimus nos non obligari ad judicium illud deponendum.

Ergò tunc reflexè certò scimus conscientiam verè deobligare. Ergò certò scimus, nos non peccare formaliter, quando non certificamur quod non peccemus materialiter. Ergò principia à Celladeo admissa repugnant intento objectionis.

Major certitudo reflexa an exigatur?

8. Porro ut vim responsionis meliùs intelligas, sic arguo. Possum reflexè esse certior, quòd non peccaverim formaliter in operatione præterita, quàm eram directè, quod non peccarem materialiter, dum conscientia dictabat me non peccare. Ratio est evidens, quia postea certificari possum ex divina revelatione, aut etiam aliundè, quòd aut non erraverim in judicio directo, aut certè quòd invincibiliter erraverim, & consequenter quòd non peccaverim formaliter, sed excusatus fuerim; tametsi conscientia directè formata non solùm non certificabat me, quòd non peccarem materialiter, sed etiam falsò dictabat, me non peccare. Ergò similiter possum reflexè certificari me non peccare, dum sequor conscientiam directam non certam, quia fieri potest, ut vel non errem, vel saltem invincibiliter errem. Deus autem revelare potest veritatem hanc, aut ego etiam eam aliunde scire possum, quia nil est, quod magis excludit hanc reflexam certitudinem pro instanti operationis, quàm pro tempore præterito, ut patet. Ergò ex consideratione reflexa fieri potest, ut certior sim, me non peccare formaliter sequendo conscientiam directè constitutam, quàm quòd conscientia directa non erret, & quòd non peccem ne quidem materialiter.

Argumentum solvitur directè.

9. Respondeo secundò, legem Dei dupliciter considerari posse, primò prout est à parte rei independenter ab eo, quòd mihi applicetur vel non applicetur; secundò prout mihi applicatur & respectu mei vim obligandi exerit. De hac duplici consideratione legis nemo dubitare potest; certum enim est unam separari posse ab altera, cùm lex existere possit, etsi mihi sufficienter non applicetur, eò quòd invincibiliter me lateat: hoc posito, distinguo primum consequens argumenti: In tantum quis scire potest se non peccare in aliquo suo actu, in quantum scit illum non esse reipsâ contra legem Dei sufficienter applicatam & arctantem, concedo: in quantum scit, illam non esse contra ullam omnino legem Dei, saltem latentem & non applicatam, nego primam consequentiam & omnia inde deducta; quia si sciam legem non esse sufficienter applicatam, sed invincibiliter latere, etsi fortè præter meam opinionem existat, utique scio etiam me in illo actu non peccare; nec tamen ideo certificor, actum meum non esse contra legem Dei invincibiliter latentem. At totum hoc sæpè scitur, ut dictum est. Ergò homo sæpè certior est de non peccato formali, quàm de non peccato materiali.

Respondeo tertiò, hactenus dicta locum habere respectu conscientiæ directè constitutæ; sed si loquamur de ultimo conscientiæ dictamine, quod homo format, quando sequitur opinionem certò probabilem, illud semper verissimè dictat, legem Dei permittentem, obligantem, aut prohibentem adesse, ideoque est regula verissima, quæ nunquam fallit.

Celladei contradictio.

10. Demùm observo Celladeum hìc apertè contradicere iis, quæ tradit in prologo *quæst. 9. Appendicis.* Ibi enim expresè negat, conscientiam etiam invincibiliter errantem, esse regulam operandi; hic verò expresè fatetur, *eam esse regulam nos ad nihil obligantem, si intimet contractum neque præceptum esse neque prohibitum. Hæc ita, nisi erret conscientia, & teneamur ad eam deponendam.* At non tenemur deponere conscientiam invincibiliter erroneam. Ergò illa est regula verè deobligans. Ergò Celladeus apertè sibi contradicit.

Objectio.

11. Ob. 2. Nemo sanæ mentis formare potest hujusmodi judicia in sua conscientia, *sive hic contractus sit, sive non sit malus, & à Deo prohibitus, ego illum faciendo non pecco. Etsi hic contractus sit contra legem Dei, ego tamen eum celebrando non peco. Licet nesciam an reipsâ operer contra legem Dei, scio tamen me non peccare.* At si possemus esse certi de non peccato, etsi nesciremus an ageremus contra legem Dei, conscientia formari posset modis dictis. Ergò talis certitudo haberi non potest.

Confirmatur: Quis non videt, nos teneri ad inspiciendum, & ad formandum dictamen conscientiæ, quòd opus à nobis ponendum non sit contra legem Dei? sanè qui hoc negaret, reipsâ diceret, *Regula mea non est lex Dei*; si enim est regula, teneris juxta illam operari, & inprimis de illa formare dictamen. Ergò non potes esse certior quod non pecces, quàm quod non agas contra legem. Ita Celladeus §. 1.

Remittitur alio etiam.

Respondeo inprimis, & peto à Celladeo, an ego in multis casibus non possim cum veritate de aliquo contractu dicere, *sive hic contractus reipsa sit, sive non sit contra legem Dei, Petrus illum celebrando non peccat.* Si neget, nullus est; quia evidens est, illud toties cum veritate affirmari, quoties Petrus invincibiliter ignorat legem, quâ contractus ille vetatur. Et Deus hoc dicit, quoties in ejusmodi casibus sequimur conscientiam invincibiliter ignorantem, aut errantem, ut patet. Si concedat, ut concedere debet, ipse tenetur suum argumentum solvere; quia non est cur illæ propositiones ab ipso operante cum veritate affirmari non possint, si easdem de tertio aliquo formare possimus; fieri enim potest, ut operans ipse sit in eisdem circumstantiis, quando hoc de se affirmat, ac est ille tertius, quando talis propositio de illo affirmatur ab aliis.

Respondetur simile.

12. Respondeo secundò directè, & dico, propositiones illas in sensu obvio, quem præ se ferunt, esse absurdas, nec ab ullo homine sanæ mentis formari posse; significant enim contemptum Dei, legisque divinæ, quia exprimunt, hominem in id solùm ferri, quod ipsi placet, nec curare, an illud sit vel non sit vetitum à Deo, sed se paratum esse suam voluntatem explere, etsi Deus actionem illam prohibeat. Hic autem est manifestus neglectus & contemptus Dei. Præterea sensus obvius istarum propositionum aut procedit de lege Dei patente seu applicatâ, aut certè æqualiter se habet ad legem patentem seu applicatam, & ad latentem seu non applicatam; in utroque autem sensu absurdæ sunt, quia manifestum Dei contemptum exprimunt, atque ideo ne quidem de tertia persona affirmari possunt cum veritate. At si sermo sit de lege Dei latente seu non applicatâ, propositiones illæ veræ sunt, ideoque cum veritate dicere possumus, *Non peco celebrando hunc contractum, quia post omnem diligentiam adhibitam invenio illum esse licitum, quamvis fortasse in hoc errem, & detur lex me latens, mihique non applicata, contra quam præter intentionem facio: sed quia certum est, quòd lex ista, si detur, invincibiliter lateat, certum quoque est, quod ejus*

In quo sensu vera sit, seu non, quamvis forte materialiter peccem.

transgressio ad peccatum mihi imputari non possit. Hoc modo Judex formatconscientiam, quando condemnat innocentem, reum convictum, & possessor bonæ fidei, quando retinet res possessas, maximè quando nullum habet fundamentum dubitandi, an illæ ad alium pertineant, quamvis certus non sit se in hoc non decipi, cùm sæpè hæredes adeant bona, quæ ad testatorem verè non pertinebant. Et tamen certus est, se non peccare formaliter. Idem valet in innumeris casibus ejusmodi, ut patet.

Solvitur confirmatio.

13. Eadem responsio evidenter solvit confirmationem. Tenemur enim semper ad inspiciendum, quantum humano modo possumus, an opus sit contra legem Dei; ideoque tenemur etiam formare dictamen, aut quòd opus non sit contra ullam Dei legem, eò quòd post debitam diligentiam credamus Deum illud non vetuisse, aut certè quòd opus illud in his saltem circumstantiis non sit vetitum, etsi fortassis in aliis prohibeatur. Priori modo formamus conscientiam, quando directè consideramus rem secundùm seipsam, quia tunc non est alia via debitè formandi conscientiam, ut patet. Secundo modo formamus conscientiam, quando adsunt circumstantiæ multum alterantes directam rei considerationem; tunc enim per principia reflexa formamus conscientiam, & dicimus rem in illis circumstantiis non esse prohibitam, etsi in aliis etiam certò prohibeatur. Hoc modo uxor, dubia de valore matrimonii, licitè reddit debitum conjugale, quod tamen ex vi dubii licitè exigere non potest; quia perseverantia talis dubii, maximè post debitam diligentiam adhibitam, & petitio debiti à consorte, sunt circumstantiæ honestantes redditionem debiti, ne fortè petens fraudetur jure suo; quamvis solum dubium non honestet spontaneam debiti petitionem. Cæterùm in hoc & in omni alio casu, prima conscientiæ formandæ regula est voluntas Dei, sed patens & applicata, non latens & non applicata. Quod si loquamur de lege patente & applicata, ultrò fatemur nos non esse certiores quòd non peccemus, quàm quòd non operemur contra talem legem; quod tamen apertè falsum est, si sermo sit de lege latente & non urgente, quia non sufficienter applicatur.

Qui certus est de non peccato, certus est se non transgredi legem parentem, sed nescit an faciat contra legem latentem.

Objectio 3.

14. Ob. 3 Materialis malitia transit in formalem, quando est voluntaria. Atqui malitia materialis est voluntaria in casu allato secundæ objectionis, quia prævidetur fortè secutura, & hoc non obstante amatur. Ergò in tali casu materialis malitia est inseparabilis à formali, & consequenter non possumus esse certiores de carentia malitiæ formalis, quàm de remotione malitiæ materialis. Ita Celladeus ibidem.

Responsio.

Quid requiratur ut malitia materialis sit voluntaria?

Respondeo majorem non habere locum, nisi sermo sit de materiali malitia, quæ aut actu cognoscitur esse talis, aut potuit ac debuit cognosci; in tali enim casu malitia illa materialis est voluntaria, & consequenter transit in formalem. At quando malitia materialis adeo insuperabiliter latet, ut nec possit nec debeat à nobis cognosci, tunc malitia illa materialis, quà talis, non est voluntaria, quia nec scitur, nec sciri potuit aut debuit; & consequenter non amatur sub ullo conceptu mali, sed solùm sub ratione boni. Itaque licet entitas illa secundùm alia prædicata nota sit & amata, & consequenter voluntaria, non tamen est voluntaria in ratione mali, adeoque illius prosecutio ad peccatum imputari non potest. Majori sic declaratâ, dico minorem esse falsissimam, si propositiones illæ explicentur secundùm distinctionem allatam in responsione ad secundum; sicut enim lex sæpè latet & non est applicata, etsi reipsa aliquando existat, ita pariter malitia materialis, quà malitia est, latet & non est applicata, quia malitia materialis, quà talis, est correlativum proprium legis prohibentis, nec habet aut habere potest veram rationem malitiæ, nisi prout refertur ad legem, quæ aut scitur, aut sciri potuit & debuit; hoc enim dempto, nullus est locus pro vera malitia morali, ut patet. Ergò malitia sub conceptu malitiæ, & lex pari passu latent & patent. Atqui nos loquimur pro casu, in quo tam lex quàm malitia invincibiliter latent. Ergò tunc nec malitia nec legis violatio est voluntaria, quia neutra scitur. Itaque consequentia est patenter nulla.

R plica.

15. At inquies, jam dictum est, quòd sæpè prævideamus malum, ac violationem alicujus legis fortè secuturam, quia vir sapiens non potest non illud prævidere. Et tamen illud volumus. Ergò malum & violatio sunt voluntaria, & consequenter malum formale non separatur à materiali.

Solutio.

Respondeo, nos quidem sæpè prævidere fieri posse, ut detur lex latens & non applicata, quando putamus rem, quam facimus, nulla lege esse prohibitam; verùm in eo casu etsi lex aliquo modo apprehendatur sub nomine legis, non tamen sufficienter applicatur, sed ita latet, ut vim nullam obligandi exerere possit, ideoque non est lex quoad nos, seu perinde se habet, ac si non existeret, quidquid sit an respectu aliquorum pateat, & vim suam exerat. Et quia hoc certò nobis innotescit, ideo certi sumus, nos non transgredi ullam legem nos obligantem, seu non peccare formaliter, etsi ignoremus, an subjectum illud aliquâ lege latente & non applicatâ prohibeatur. Porro lex non obligans propriè loquendo non violatur, quia omnis propria violatio supponit legem obligantem, ut patet. Itaque in tali casu nulla datur vera transgressio aut violatio legis. Cæterùm, malum non est ponere actionem, de qua non constat illam non esse prohitam lege latente, modò operans invincibiliter existimet, nullam dari ejusmodi legem, quia in tali casu ne quidè materialis legis violatio aut malimate ialis positio est imputabilis ac voluntaria; lex enim in tali casu per judicium conscientiæ nec proponitur, nec proponi debet voluntati tanquam res existens, sed tanquam non existens; ideoque voluntas non amat eam transgressionem, sed ex suppositione quòd non sit, amat bonitatem, quam intellectus proponit, & fertur in objectum quatenus proponitur non esse prohibitum, seu lege ullâ interdictum.

Prævidere periculum violationis materialis, an reddat violationè voluntariam?

Lex materialiter tantùm violata, non est lex nisi grammaticaliter dicta.

16. Præterea in his omnibus, lex, quæ dicitur material ter violari, relatè ad operantem est solùm lex grammaticaliter sumpta, cùm eum instar legis non arctet. Ideo nec malum, nec prohibitum est velle eligere objectum, quod fortè repugnat tali legi, maximè quando post omnem diligentiam adhibitam, nulla prorsus invenitur ratio ad existimandum, quòd ejusmodi lex existat; quia tunc notum est, quod nemo ob periculum faciendi contra legem taliter latentem obligetur ad abstinendum ab opere, quod ita invicibiliter credit esse bonum, ut non possit rationabiliter existimare illud esse malum. Quæ omnia à fortiori vera sunt, quando error invincibilis proponit objectum malum, non solùm ut bonum, sed etiam ut præceptum, ut quando maritus postulat

postulat debitum à conjuge, quæ ob impedimentum prorsus latens verè non est sua conjux; tunc enim redditio debiti invincibiliter proponitur ut præcepta, etsi fortè sit materialiter mala, & in tali casu certum est, conjugem reddentem debitum non peccare, quia nullâ ratione potest se substrahere ab onere reddendi debitum, nec tamen certa est, se materialem fornicationem non ponere. Neque illa reddendo debitum ullam legem violat aut contemnit, ut patet, sed solùm obedit legi præcipienti ut debitum reddat.

Operans ex errore invincibili nullam omnino legem transgreditur.

17. Demùm in casibus ejusmodi certum est, nullam dari legem prohibentem opus in talibus circumstantiis, etsi judicium directum, quo res creditur esse simpliciter bona, per accidens & præter intentionem operantis sit falsum. Unde qui se accingit ad operandum in talibus circumstantiis, certus est se non peccare, quia certus est se nullam legem violare, etsi non sit certus objectum à se positum, in aliis circumstantiis non esse prohibitum. Non enim peccat violando illam legem, quia non versatur in illis circumstantiis, ad quas solas lex illa extenditur; ideoque illam non contemnit, quippe quæ non aliter contemnitur, quàm quia in circumstantiis, pro quibus obligat, despicitur & violatur. Hæc omnia fusè prosecutus fum *in tract de consc. prob.* multis in locis, ideoque non est amplius illis inhærendum. Ex quibus iterum manifestè infertur, nos per principia reflexa sæpè certificari de non peccato in istis circumstantiis, tametsi non certicemur, objectum materiale, in quod ferimur, non esse vetitum in aliis saltem circumstantiis, id est, sæpè certi sumus de absentia peccati formalis, etsi certi non simus, nos materialiter malum non facere; quod ideo signanter dico, ut habeam occasionem respondendi argumento, quod Celladeus *in fine hujus quæst.* proponit contra certitudinem reflexam hoc modo.

Objectio 4.

18. Ob. 4. Veritas cognitionum reflexarum pendet à veritate directarum; veritas autem directarum pendet ab objecto, quippe quod est mensura actuum Ergò veritas reflexarum dependet ab objecto directarum; quia directæ non resolvuntur per reflexas, sed è contra reflexæ per directas. Ergò si directæ non sint veræ, neque reflexæ veræ erunt. Rem exemplo declaro. Si quis dicat, ego benè syllogizo, ut verum dicat, necesse est, syllogismum non per hanc reflexam cognitionem, sed aliunde ex suo objecto directo & regulis directis esse rectum; nisi enim directæ illæ regulæ essent rectæ, reflexæ illæ nil significarent. Idem valet in conscientia. Ergò nemo per reflexam considerationem potest esse certior quòd non peccet, quàm est per conscientiam directè constitutam. At per directam nemo est certior de remotione malitiæ formalis, quàm materialis. Ergò neque per reflexam. Ita Celladeus in fine §. 2.

Aliquæ cognitiones reflexæ sunt veræ, quâvis cognitiones directa non.

Respondeo. Veritas cognitionum reflexarum dependet quidem à veritate directarum, quando vel formaliter vel æquivalenter affirmant directas esse veras; quia tunc veritas directarum, aut aliquid essentialiter connexum cum veritate illarum, est objectum actuum reflexorum. At si cognitiones reflexæ non affirment veritatem directarum, sed alia prædicata cum illarum veritate non necessariò connexa, possunt esse veræ, licèt cognitiones directæ sint falsæ; quia objectum, quod enunciant, separari potest à veritate cognitionum directarum. Sic per actum reflexum verè affirmo, me habere judicium directum, quod post omnem diligentiam non nisi temerè suspendi potest; quodque proinde aut est absolutè verum, aut si sit erroneum, est invincibiliter tale. Ratio est, quia ista prædicata separari possunt à veritate judicii directi, ut evidens est in exemplo judicis condemnantis innocentem legitimè convictum, & aliis plurimis, quæ supra attulimus. At reflexæ cognitiones, quas nos adhibemus ad conscientiam ope principiorum syndereseos reflexorum formandam, affirmant aut dicta prædicta, aut alia, quæ à veritate directarum non dependent, ut patet, tum ex allatis exemplis, tum ex iis, quæ sparsim *hìc*, & fusius *in tract de consc. prob.* prosecuti sumus. Ergò veritas illarum æquè subsistit, quando cognitiones directæ sunt falsæ, ac quando sunt veræ. Hoc posito, exempla Celladei sunt prorsus incongrua, quia procedunt de cognitionibus reflexis, quæ affirmant directas esse veras, cùm nos citra controversiam loquamur de illis tantùm, quæ affirmant prædicata separabilia à veritate cognitionum directarum.

Aliquæ cognitiones reflexæ non sunt veræ.

Doctrina de hac conclusione.

19. Porrò simile argumentum *quæst. superiore* allatum & solutum fuit, ubi ostendimus diversitatem inter has reflexas in ordine ad formandam conscientiam, & alias quæ spectant ad artes & artium objecta. Si enim error sit in objecto materiali artis, illud semper eodem modo se habet, quomodocumque tandem ego judicem illud se aliter habere; quia nulla mea cognitio, sive vincibiliter sive invincibiliter erronea, impedire potest ullam partem defectûs in objecto, ac proinde nulla mea cognitio est circumstantia, per cujus accessionem malum illud physicum aut auferatur, aut minuatur. At aliter se res habent in conscientia; illa enim, quando est erronea, aut minuit, aut aufert malitiam ab objecto, circa quod versatur. Error enim, etiam vincibilis, nisi sit affectatus, minuit malitiam. Si autem error sit invincibilis, omnem prorsus malitiam moralem abstergit. Ergò errores conscientiæ sunt circumstantiæ adjacentes objecto, quæ modò minuunt, modò ab illis auferunt omnem malitiam moralem. Ergò si circumstantiæ istiusmodi reflexè cognoscantur, seu si objectum reflexè consideretur prout illis substat, cognitio reflexè dicens, objectum in talibus circumstantiis positum non esse malum, erit vera, quamvis cognita directa sit falsa. Imò si circumstantiæ illæ certò & infallibiliter cognoscantur (ut cognoscuntur sæpissimè) poterimus certò & infallibiliter scire, nos in tali casu non peccare formaliter, etsi cognitio directa sit falsa, & reipsâ contingat nos peccare materialiter. Ecce quàm invalidæ & nullæ sunt rationes, quibus Celladeus singularem hanc suam opinationem stabilire conatur.

QUÆ-

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-TERTIA.

Vtrùm rationabiliter & cum veritate dicantur leges non esse sufficienter promulgata, quando probabile est, rem controversam non esse prohibitam?

1. DE hac re fusè egi tum hîc *quæst. 2. à num. 45.* tum *in tract. de consc. prob. quæst. 23. à num. 14. usque ad 27.* ubi ostendi, nullam legem esse sufficienter promulgatam seu applicatam, ut obliget ad illud, quod probabiliter non comprehenditur sub lege. Porrò quia lex non satis promulgata non obligat, ab hoc dubio ex hac reflexa legum consideratione validissimum desumitur argumentum, quòd usus probabilium sit licitus, quódque ex hoc ipso capite scire possimus, nos non peccare formaliter, quando hæc scimus, an materialiter peccemus. Nec hoc Celladeum fugit, qui propterea *lib. 3. quæst. 8.* conatur ostendere, nullum ex hoc titulo aut benignæ sententiæ comprobandæ, aut suæ opinioni de inseparabilitate certitudinis peccati materialis à formali impugnandæ argumentum desumi posse. Hâc occasione argumentum quoddam Cardinalis Pallavicini examinat, & ut putat validè refellit; sed in omnibus à veritate aberrat, & alicubi eòusque deflectit, ut mirum sanè videatur, Theologum doctum & acutum in cogitationes adeò à veritate remotas incidere potuisse. Hæc ut constent, sit.

ASSERTIO UNICA.

Quoties post diligens veritatis examen gravissimi probique Auctores abeunt in contrarias sententias de existentia vel obligatione legis, toties lex illa non habet vim obligandi, nec obligat quemquam ex defectu sufficientis promulgationis.

Lex quævis ex defectu promulgationis non obligat, de qua probabile est, quod non existat.

2. PROBATUR. Certum est legem non sufficienter promulgatam non obligare. At constat pariter, talem legem non esse sufficienter promulgatam, quia post omnem diligentiam adhibitam, existentia aut obligatio legis manet ita incerta, ut apud omnes subditos probabile sit, legem aut non dari, aut ad tale objectum non extendi. At promulgatio est ceremonia subditis tam manifesta, ut plures saltem illorum prorsus certificet, & legem latam fuisse, & tali ceremoniâ indubiè fuisse manifestatam. Imò promulgatio ex sua natura est ceremonia adeò solemnis & manifesta, tamque liquidò divulgata & certa ejus notitia, ut magnam subditorum partem latère non possit, nisi ipsi culpabiliter ad ea, quæ fiunt, nolint attendere. At in casu nostro, nemo subditorum novit, quòd detur ejusmodi lex, aut quod unquam extiterit illa solemnis ceremonia; quia doctissimi quique ac maximè probi sciunt probabile esse, quod legislator nunquam talem legem ediderit. Ergò talis lex non est sufficienter promulgata & applicata. Ergò neminem obligat. Qui de hac re plura cupit, legat *quæst. 23. de consc. prob. à num. 14* atque repetat dictâ hîc *quæst. 2. à num. 45. usque ad num. 59.* in illis enim locis argumentum hoc fusè tractatum inveniet.

Propria opinio non inducit obligationem, quando peritis communiter tenenda posita eamque in praxim reducunt.

3. Probatur secundò ratione, qua Cardinalis Pallavicinus usus est, quamque Celladeus refert §. 1. Ratio sic se habet. Licitum cuique est non solùm sequi partem, quam quis post diligentem veritatis indaginem absolutè reputat veram, ut Cardinalis eo loco supponit, sed etiam licitum est mihi sequi partem minùs tutam, quam minùs probabilem ac speculativè falsam reputò; quia cùm videam plures peritos ac probos, non obstantibus meis rationibus, existimare, nullam dari ejusmodi obligationem, adeoque licitè operari contra meam opinionem, dum sectantur suam, quæ ipsis probabilior est & habetur absolutè vera, non est rationi consonum, nec expedit reipublicæ, ut ego ex mea peculiari opinione sim obligatus ad id, ad quod alii non tenentur. Lex enim debet esse communis, & ex æquo obligare omnes, quibus proponuntur eadem motiva obligationis, ut in republica sit uniformitas operandi. Ideo quando lex aliqua non est acceptata, quamvis culpabiliter, à majore parte reipublicæ, non obligat alios, quia ordinatur ad constituendam in moribus regulam communem.

Ratio allata nil continet retractatione dignum.

4. Rationem hanc à Cardinali retractatam fuisse testatur Celladeus, à quo etiam dicit sibi præscriptum fuisse, ut id alibi ediceret. An Cardinalis rationem hanc retractaverit nec ne, sollicitus non sum; quamvis enim in hac re Celladeo plenam fidem tribuam, existimo tamen nil eorum, quæ ego in argumento ponderavi, ab illo fuisse retractatum. Multa enim alia continentur in rationc Cardinalis, quæ apud ipsum videri possunt, quæque ego omisi, quia ad quæstionem præsentem necessaria non sunt, fortassis ergò aliqua ex illis retractavit, sed non est cur rationem ipsam, ut à nobis ex ipso breviter proposita est, retractaret, nil enim continet, quod Celladeus, aut quivis meritò carpat, maximè si intelligatur de lege humana, de qua potissimè loquitur Cardinalis, ut patet.

Si probabilitas sufficeret ad promulgationem legis, leges contrariæ essent simul promulgatæ.

5. Probatur tertiò à priori. Quoties est certò probabile legem non dari, toties datur certa probabilitas, quod Deus habeat voluntatem seu legem æternam, quâ permittit liberum usum talis rei. Ponamus exempli causâ utramque partem contradictionis esse æquè probabilem, & utramque ex æquo communiter defendi ac tradi à Theologis. In hoc casu, si loquamur respectu communitatis, certum videtur, legem prohibentem talem rem aut non existere, aut sufficienter promulgatam non esse: ratio est; quia tantùm affertur

pro lege æterna permittente, quantum pro lege æterna obligante. Ergò vel neutra, vel utraque est sufficienter promulgata huic communitati. At utraque non potest esse sufficienter illi promulgata, quia tunc utraque apud illam vigeret, quod est impossibile, cùm sibi contradicant, & effectus prorsus contradictorios inducant. Ergò neutra est sufficienter promulgata. Et sanè absurdum prorsus est existimare, quòd ex duobus indiciis æqualibus unum sufficiat ad promulgationem sui objecti contra aliud, & aliud non sufficiat ad promulgandum suum objectum contra prius. Cùm enim inter illa indicia detur perfecta æqualitas, impossibile est, quòd unum sit potentius alio. Ergò neutrum prævalet. Ergò neutrum sufficienter promulgat legem, quam indicat; quia promulgatio est indicium legis longè prævalens omni, quod affertur contra legem, ut patet. Ergò talia argumenta non sunt sufficiens promulgatio talis legis. Ergò rectissimè dicimus, legem in casu objectionis non esse sufficienter promulgatam.

Par probabilitas non sufficit ad promulgationem.

6. Argumentum hoc validius urget in sententia Celladei, quia per illum in casu motivorum æqualium pro lege & contra legem, motiva illa penitus se elidunt, & perinde se habent, ac si nullum esset motivum pro parte alterutra. At quando nullum est motivum indicans legem dari, nulla datur promulgatio talis legis. Ergò in casu paris utriusque probabilitatis non datur sufficiens legis promulgatio. Atque hæc est alia contradictio Celladei, qui ex una parte vult legem prohibentem in casu probabilitatis paris esse sufficienter promulgatam, & ex altera parte expressè asserit, motiva paria se penitus elidere, atque ita se habere, ac si nulla prorsus darentur pro ulla parte. Sed ubi nulla dantur motiva in communitate pro lege, certum est legem illam non esse sufficienter promulgatam communitati. Ergò tunc per Celladeum nulla datur promulgatio, quam tamen pro eodem casu omni nisu dari contendit. Ergò sibi contradicit.

Celladei contradictio.

In his casibus dirigimur per legem æternam reflexam.

Hinc infertur, quod in istiusmodi casibus nulla detur lex æterna directè & per se à Deo intenta, per quam dirigi possimus, cùm nulla ejusmodi lex sit sufficienter promulgata & intimata nobis. Itaque recurrendum est ad legem reflexam, & ad voluntatem Dei, quæ per accidens tantùm & ex suppositione nostræ ignorantiæ nos dirigit juxta dicta *quæst. 11 de conſc. prob.* illa enim sola est lex æterna hìc & nunc sufficienter nobis promulgata & intimata, ut patet.

In casu hoc lex verè existens non est sufficienter promulgata.

Nec dicas pro Celladeo, alterutram ex legibus directis in Deo existere, illam autem, quæ verè existit, esse promulgatam, non alteram, quæ non existit. Nam contrà; quia promulgatio, ut benè advertit Celladeus, est denominatio quoad nos. At in casu paris probabilitatis nihil est quoad nos pro una, quod non sit pro altera, quamvis plus sit pro una quoad Deum. Ergò in tali casu procul dubio omnis sufficiens legis promulgatio deest, saltem relatè ad exigendam obedientiam circa tale objectum, quidquid sit, an eadem Dei voluntas quoad obedientiam circa alia exigendam sit sufficienter promulgata, & intimata. Qui plura de hac re cupit, videat hìc *quæſt. 2. à num. 45. & quæſt. 23. de conſc. prob. à num. 14.* ibi enim valida pro rei istius confirmatione argumenta reperiet, quæ hìc non repetenda sed solùm inculcanda sunt. Plura etiam hìc spectantia in objectionibus ponderanda erunt.

Doctrina hæc prorsus conformis est S. Thomæ pluribus in locis. Inprimis *quæſt. 17. de Veritate art. 3. in corpore* expressè docet, præceptum superioris non obligare subditum, nisi sciatur. Ergò probabilitas non sufficit, saltem quando oppositum est probabile, quia in tali casu superioris præceptum non scitur. Sed juvat verba S. Doctoris proferre. *Ex imperio alicujus Regis vel Domini non ligatur aliquis nisi imperium attingat ipsum, cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante ſcientiâ illius præcepti. Et ideo ille qui non est capax notitiæ, præcepto non ligatur. Nec aliquis ignorans præceptum Dei ligatur ad præceptum faciendum, nisi quatenus tenetur ſcire præceptum. Si autem non tenetur ſcire, nec sciat, nullo modo præcepto ligatur.* Hinc sic arguo. In casu præsentis controversiæ nemo scire potest præceptum Dei, ergò nemo illud scire tenetur, cùm ad impossibile nemo teneatur. Probatur antecedens, quia post omnem diligentiam res ita manet incerta, ut probabile sit, Deum illam non præcepisse. Ergò nulla datur, nec ulla dari potest scientia præcepti. Ergò ex mente S. Thomæ nemo in tali casu ex præcepto ligatur, sed per hoc ipsum quòd scientia præcepti cognoscatur impossibilis, unusquisque legitimè inferre potest, se illo præcepto non ligari.

Similia habet S. Doctor *2. 2. quæſt. 1. art. 4. ad 2.* ubi disertè tradit, homines mysteriis fidei non assensuros, *nisi viderent ea esse credenda, vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Nec dubium, quin per visionem & evidentiam intelligat claram & evidentem rei perceptionem, cùm in corpore articuli visionem & scientiam opinioni ac fidei opponat. Hinc sic arguo. Ex mente S. Thomæ nemo tenetur credere ob probabilitatem, nisi habeat evidentiam credibilitatis de mysterio credendo. Ergò à fortiori excusandi sunt in re morali, qui solam probabilitatem inveniunt in parte oppositâ, dummodo scientia desit; quia si in iis, quæ sunt de fide, & sunt necessaria necessitate medii, non teneamur ea admittere, nisi demonstrentur esse evidenter credibilia, multò minus tenemur admittere legem ut veram ac obligatoriam & sufficienter promulgatam ac applicatam, quando est solùm probabile, quod existat, modò oppositum sit etiam probabile; quia talis lex verè non est sufficienter applicata ut vim legis exerat, sicut in simili constat de lege credendi revelata.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1. Inconstantia Celladei.

7. OBJICIES primò. Si ista reflexa vel defensio vel excusatio, à non promulgatione vel acceptatione legis desumpta, sufficeret ad excusandum à peccato, tam infideles quàm hæretici possent æquo jure se excusare, appellando ab omni disputatione directa ad reflexas, quas ipsi probabiles esse tuebuntur; cùm ipsi probabilitatem quoad nos habere possint de veritate suorum dogmatum. At sequela falsa est, ut patet. Ergò defensio per reflexam considerationem à non promulgatione legis desumpta nulla est. Probat sequelam sic. Si alicui Calvinistæ per argumenta credibilitatis fidei nostræ ostendas, solam Ecclesiam Catholicam esse veram, extra quam nulla salus, ille facilè se expedit, dicendo, veritatem ipsam non esse necessariam, sed probabilitatem sufficere etiam in materia religionis, sicut sufficit in materia morum. Dicet, nolle

nolle se de veritate ipsa disputare, sed indirectè ac reflexè rem determinare. Contendet, Doctores suos audivisse fundamenta nostra, nihil tamen fuisse motos, ac proinde legem, si qua est, acceptandæ religionis Catholicæ non fuisse satis promulgatam. Simili ratione Ethnici evadere possent obligationem credendi, quia cùm Dionysius, Paulo in Areopago prædicante, credidit, potuisset non credere, prætendendo legem non esse sufficienter promulgatam, aut acceptatam; quia videbat, majorem partem Areopagitarum, qui omnes erant viri doctrinâ præstantes, Pauli dictis fidem non dedisse. Jam lex, quæ plerosque non obligat, reliquos paucos residuos comprehendere nequit, quia lex est uniformis regula, ideo instituta, ut in republica operationes sint uniformes, maximè in materia religionis, cujus diversitas magnam turbationem causare solet. Præterea dicere poterat, lex proposita nova est ac difficilis, & quamvis quæ Paulus adducit fortia videantur, nihilominus possum practicè conscientiam meam deponere in opinione senatûs celeberrimi, qui majori ex parte dicta illius non approbat, sed rejicienda judicat. Si credidero, singularis habebor, judiciúque paradoxi notam incurram.

Alia similis ejusdem illatio.

Rursus conversio gentium hâc ratione redderetur impossibilis, quia omnis earum conversio ab uno aliquo vel à paucis plerumque incipit. At ille, vel illi pauci prætendere poterunt, legem non esse sufficienter promulgatam, quia à minima mundi parte audita est, & à paucis, quibus declarata fuit, admissa. Porrò lex à majori parte reipublicæ non acceptata, etiam culpabiliter, reliquos non obligat. Prætendent ergò, se quoque ad credendum non obligari, maximè si damnum illis ex admissione ac professione talis fidei immineat, ut tempore persecutionum imminere solet, quia durum est bonis omnibus spoliari, mortisque etiam periculum incurrere; expedire sibi, ut longè majori Patriæ parti se accommodent, ne proprio judicio ad tam dura se condemnent. Ita Celladeus §. 2.

Tertia illatio prioribus simillima.

8. Respondeo primò indirectè, & in conspectu omnium Ecclesiæ Doctorum à te peto, Celladeè, an existimes, non plus probabilitatis, & invincibilitatis tribuendum esse certò probabilibus Catholicorum opinionibus, si fortassis falsæ fuerint, quàm infidelitati ac hæresi tribuendum sit? si dicas plus probabilitatis ac invincibilitatis competere Catholicorum opinionibus, etiam quando præter opinionem errant, eo ipso concedis argumentum tuum procedere de subjecto non supponente, quia scis & fateris paritatem, quam urgeo, non subsistere. Si parem utrisque probabilitatem & invincibilitatem aut vincibilitatem tribuas, uti debes, ut argumentum valeat, evidentem falsitatem enuncias, eamque viris doctissimis sanctissimisque maximè injuriosam. Protectò si verum dicis, negare haud poteris, quin S. Thomas, aut S. Bonaventura non magis probabiliter & invincibiliter locutus sit, sed tam vincibiliter errârit, quàm errent infideles & hæretici, qui post fidem Catholicam illis sufficienter propositam, in sua perfidia perseverant. Hoc, inquam, negare non potes, quia certum est, alterutrum eorum in pluribus errasse, cùm in pluribus sibi apertè contradicant. Quis autem absque horrore potest hæc, non dico reipsâ asserere, ut tu teneris nisi tibi apertè contradicas, sed vel imaginari, ea à Lectore accipi posse, tanquam à se dicta.

Absurditas argumenti & paritas aperitur.

9. Sed age. Quid tibi venit in mentem, ut inter hos omnes ex æquo comparationem instituere? Nónne argumenta fidei Catholicæ, debitè proposita ac perpensa, summam mysteriorum credibilitatem evidenter ostendunt? Nónne evidenter etiam evincunt, nil illis comparandum aut allatum fuisse, aut afferri posse in contrarium, omnemque assensum de contrario, aut etiam voluntariam dubitationem de illorum veritate esse temerariam. Absque dubio argumenta pro fide Catholica sunt ejusmodi; alioquin nemo obligaretur ad eam amplectendam, illique tanquam à Deo revelatæ super omnia credendum. At è contrario, inter opiniones certò probabiles, de quibus Doctores Catholici communiter variant, nemo sanæ mentis dixerit, argumenta uni parti faventia ita excedere alia, ut si utraque debitè proposita & considerata fuerint, hæc illis ita præponderent, ut illa in horum comparatione nullius momenti sint, sed prorsus evanescant, nec sufficiant ad avertendam temeritatis notam; si quis aut illis inhæreat, aut etiam propter illa oppositum in dubium revocet. Præterea certum est, veritatem in istis casibus ita latêre, ut à conante & volente etiam per summam diligentiam cerni ac discerni non possit. Latet ergò invincibiliter, alioquin vel S. Thomas, vel S. Bonaventura in suis sententiis dicendis vincibiliter errasset, & consequenter graviter peccasset. Idem esset de omnibus gravissimis Doctoribus, qui in rebus ad fidem & mores spectantibus sibi contradicunt. Stat ergò, longè majorem probabilitatem & invincibilitatem convenire falsis sed controversis Catholicorum opinionibus, quàm hæresi aut infidelitati conveniat. Erras ergò, & evidenter erras, Celladee, dum hæc omnia proponis ut æqualia quoad hoc, quæ in hoc ipso quàm longissimè distant. Illegitima ergò & evidenter falsa est comparatio, in qua te fundas, ut rationem hîc propositam falsitatis arguas. Præterea eadem est etiam viris sanctissimis pariterque doctissimis summè injuriosa; quæ enim atrocior injuria contra tales viros excogitari potest, quàm dicere illos, si fortè erraverint, aut errent, non minùs vincibiliter errasse, quàm errent hæretici, & infideles, qui mysteriis fidei sufficienter propositis assentire renuunt. At hoc evidenter sequitur ex comparatione ista, quia contendis omnimodam paritatem subsistere. Ergò per te errores Doctorum Catholicorum sunt æquè vincibiles ac errores hæreticorum & infidelium. Ergò tu illis injuriosus es, qui tam atrocem illis notam inuris.

Paritas inter falsas Catholicorum opiniones & hæreses est absurdissima.

Est etiam viris sanctissimis doctissimisque injuriosa.

10. Resp. 2. directè, & inprimis dico, Celladeum apertè errare in duobus suppositis; supponit enim primò, hæreses esse probabiles quoad nos, etiam quando omnia motiva credibilitatis fidei Catholicæ afferuntur in contrarium, quo nil falsiùs, aut absurdiùs dici potest; motiva enim fidei Catholicæ sunt certa, & certam fidem faciunt; nil autem potest esse vel quoad nos probabile, cujus contrarium certum est, aut pro cujus contrario argumenta ad certam fidem fundandam sufficiunt, ut fusè ostensum est *in tract de opin prob. quæst. 2. & quatuor sequentibus*, & sæpiùs in istis etiam quæstionibus ex ipsa natura ac definitione probabilitatis probatum.

Celladeus duo falsa proponit.

11. Rursus supponit nos docere, quòd cuique pro arbitratu liceat appellare ab omni disputatione directa ad reflexam, & sic de ipsa veritate rei nil curare; verùm nos è contrario & dicimus, & apertè profitemur, omnes teneri ad veritatem ipsam

Catholici in utrumque probabilibus licitè recurrunt ad considera-

tionem reflexam. ipsam diligenter investigandam, nec locum esse considerationi reflexæ ad licitè formandam conscientiam, nisi quando veritas directa aut certò haberi non possit, aut certè non possit haberi cum tanto excessu verisimilitudinis, ut oppositum non sit probabile. Nec hoc tantùm verbis profitemur, sed idipsum ex modo arguendi evidenter demonstramus; ipsa enim principia reflexa, quibus utimur, adeo indispensabiliter supponunt veritatem directam per diligentiam debitam haberi non posse, ut nisi hoc præsupponatur, illa ad conscientiam formandam nulli usui esse possint. Hæc omnia tam apertè constant ex exemplis hactenus allatis, ut de illis nullum dubium esse

Prima Celladei illatio explodituv. possit. Quæ cùm certissimè ita sint, palmariter errat Celladeus, dum dicit, Calvinistam facilè posse se expedire ab argumentis fidei Catholicæ veritatem directè comprobantibus, dicendo probabilitatem sufficere in materia religionis, sicut sufficit in materia morum; proinde nolle se de ipsa veritate disserere, sed reflexè tantùm rem determinare. Palmariter, inquam, errat, quia nemo hac ratione excusare se valet, cùm apud omnes certum sit, nullam probabilitatem sufficere in materia morum ac religionis, quando veritas ipsa sciri potest, cùm omnes ad eam diligenter investigandam teneantur, nec citra culpam abillius indagatione eximere se possint, quando aut mysteria fidei & motiva credibilitatis, aut morum doctrinæ sufficienter proponuntur. Itaque Calvinista sic procedens culpabilis esset, quia sciens & volens oculos veritati clauderet, illamque contra suam obligationem audire ac considerare contemneret. Præterea appellaret ad probabilitatem, quæ haberi non posset; cùm probabilitas, de qua disserimus, fundetur in carentia certitudinis etiam moralis de opposito, & præsupponat veritatem ipsam per diligentiam debitam certò sciri non potuisse. Non ergò nisi merè prætendere potest, legem acceptandæ fidei Catholicæ non esse sufficienter promulgatam, cùm certum sit, eam etiam ipsi sufficienter promulgatam esse; nisi enim sponte oculos claudat, veritatem legis latæ sibique applicatæ non potest non cernere. Quòd si æquo jure prætendere posset, talem legem non esse magis promulgatam, quàm sit lex de confessione circumstantiarum solùm notabiliter aggravantium malitiam in eadem specie, ut contendit Celladeus, tunc lex

Admissa à Celladeo probant ea vera esse in ipsius sententia quæ contra nos objicit ut absurda. acceptandæ fidei ex defectu debitæ promulgationis non magis obligaret, quàm lex confitendi dictas circumstantias nunc nos obligat. At lex ista ex defectu promulgationis & sufficientis applicationis nos non obligat. Ergò si verum dicat Celladeus, neque lex acceptandæ fidei hæreticos obligat. Ecce iterum quàm miserè in propria argumenta impingit; nam quæ ob subjectum non supponens frustra contra nos objectat, eadem in propriis ipsius principiis efficaciter convincunt, absurda in argumentis contenta ex ipsius sententia legitimè deduci, quæ nullatenus sequuntur ex illa, quam impugnat, sed opposita omnia ex illa clarè deducuntur.

Effugium Celladeo occluditur. 12. Quòd si Celladeus, veritate convictus dicat, directa quidem Catholicorum dogmata incomparabiliter magis excedere directas hæreticorum doctrinas, quàm una opinio probabilis excedat aliam probabilem; parem tamen esse omnium conditionem quoad considerationem reflexam: si, inquam, ita dicat, contra est primò, quia jam fatetur, directos Catholicorum errores circa res ejusmodi esse invincibiles, quod nobis satis est, & ipsum contradictionis arguit. Nobis quidem satis est, quia lex illa non est sufficienter promulgata, seu applicata, cujus existentia insuperabiliter ignoratur: ergò qui tali errore directo decepti operantur, non peccant, sed excusantur. Præterea ex hac ipsa insuperabili veritatis ignorantia, apertè sequitur, locum dari reflexis discursibus à nobis propositis, quia illi in hac ipsa ignorantia fundantur, sicut etiam non promulgatio legis, de qua nunc agimus, in eâdem fundatur, ut patet. Ipsum verò contradictionis arguit, quia admissâ diversitate inter principia directa, necesse est, ut eadem admittatur inter reflexa, quia principia reflexa fundantur in directis, nec locus est illis, nisi ubi veritas per principia directa nequit haberi. Præterea nonne aperta contradictio est, principia directa inæqualiter uni ac alteri parti favere, & tamen principia reflexa, quæ in directis fundantur, & ab earum qualitate suam vim & efficaciam desumunt, utrique parti favêre æqualiter? hoc in casu particulari perspicuum est, quia in materia confitendi circumstantias solùm notabiliter aggravantes, lex obligans ad ullam determinatam partem tenendam non est sufficienter promulgata, & applicata, quia rei illius certitudo adhuc insuperabiliter latet. Unde hæc insuperabilis ignorantia veritatis dat locum discursui reflexo, quòd non obligemur ad eas confitendas. At in casu hæretici negantis Christum in Eucharistia v. g. aliter se res habet, lex enim obligans ad credendum non latet, sed est sufficienter applicata ac promulgata. Ergò non datur locus argumento ac principio illi reflexo, quo Catholicus in materia confitendi tales circumstantias utitur. Ergò evidens est, principia reflexa non posse æqualiter se habere, quando directa inæqualiter se habent. Ergò Celladeus nec per directas nec per reflexas considerationes suum argumentum defendere potest.

Explicatur secunda latio. 13. Eadem ratio ostendit, infideles non posse seipsos per principia reflexa defendere, quia cùm lex Dei directè sufficienter illis intimetur, non est locus pro principiis reflexis, ut patet. Jam etsi hæc responsio abundè sufficiat, lubet tamen exactiùs discutere quæ Celladeus congerit, notabilesque ejus defectus notare.

Dionysius non potuit prætendere legem obligantem ad fidem non fuisse illi sufficienter intimatam. 14. Primis certum est, Dionysium rationabiliter non potuisse prætendere, legem à Paulo propositam non fuisse ipsi sufficienter promulgatam, quia auribus suis audivit præconem, qui eam nomine Dei intimabat: Deus autem, qui supremus creaturarum legislator est, omnes immediatè obligat ad credendum dictis ipsius, quoties sufficienter constat præconem à Deo missum esse, atque ea, quæ ipsi commissa sunt, enarrare. Jam vel sufficienter innotuit, vel non sufficienter innotuit Dionysio, quòd Paulus esset talis, & taliter se gereret. Si secundum, nondum tenebatur credere, quia *qui citò credit levis est corde*; si primum, indubiè tenebatur, nec ab hac obligatione eximi potest, eò quòd alii assentire nolint, aut etiam contradicendo reclament, quia Deo sufficienter ostendenti se velle aliquid, obtemperandum est, omnique creaturæ contrarium volenti aut jubenti resistendum. Jam haud dubiè dictæ qualitates Pauli sufficienter intimatæ erant Dionysio, vel quia jam tum ipsi notorium erat, Paulum Jesu Christi Apostolum ea prædicare, quæ Christus ipse docuerat, plurimisque ac patentibus miraculis confirmaverat, aut etiam Paulum ipsum suam legationem miraculis confir-

confirmasse; vel quia quamvis externa Pauli propositio nondum esset sufficiens ad fidem promerendam, Deus ipse externæ propositionis defectum internâ ac extraordinariâ illuminatione supplebat. Jam quodcumque horum dicatur, certum est, Dionysium obligatum fuisse ad credendum, legemque, quâ ad dandam fidem obligabatur, fuisse sufficienter ipsi intimatam seu promulgatam, cui proinde absque peccato obedientiam negare non poterat.

Aliorum non acceptatio fidei, Dionysium non excusabat.

15. Nec obstat, quod videret plurimos ex Areopagitis Pauli dictis fidem non dare, non enim ideo prætendere poterat, se illâ lege non obligari, eò quòd non esset acceptata à majore parte, & lex, quæ plerosque non obligat, reliquos paucos non arctat, quia est uniformis regula æquè afficiens omnes: non, inquam, poterat hoc prætendere, quia vel videbat omnes ad eam acceptandam fuisse obligatos, vel certè animadvertebat, Deum sibi singulariter suâ voluntatem manifestasse. At in neutro casu ipse liberabatur ab obligatione credendi. Non in primo, quia alii non credendo seu non acceptando legem peccabant, & ipse peccati etiam reus fuisset, si non credidisset idque verum & indubitatum est, quando superior absolutè jubet, suamque voluntatem intimat; tunc enim peccant subditi, qui legem non acceptant, quamvis postquam, ipso tacente, diu continuârunt in sua obstinatione, peculiaris homo, qui ab initio obtemperavit, & ex se paratus est obedire, non teneatur postea singularis esse, & solus legem humanam servare, reliquis eam non servantibus. Non in secundo casu, quia cùm diversa esset ratio de ipso & aliis, satis sciebat, Deum à se fidem exigere, quidquid esset, an eam ab aliis adhuc immediatè exigeret.

Lex non acceptata plus valet ad obligandū, quàm lex non promulgata.

16. Atque hinc apparet, Celladeum in argumenti propositione dupliciter errare: errat primò, quia æquiparat legem non acceptatam cum lege non promulgata, quasi neutra ex æquo ullam obligationem induceret, quod tamen falsum est; quia lex promulgata ab initio saltem obligat, ut acceptetur; & qui illam non acceptat, sed facit contra eam, peccat. At lex non promulgata omninò non obligat, quia non est sufficienter applicata. Quod si dicat, se non tradere eam æquiparationem ex propria sententia, sed eam ex doctrina Cardinalis Pallavicini aliorumque referre, atque ex illa probare sententiam illorum esse rejiciendam, adhuc errat, quia aut mentem illorum non intelligit, aut certè eam ita exponit, ut illam communi doctrinæ, illorumque opinioni contrariam repræsentet; nemo enim absolutè docet, non plus virium esse in lege non acceptata, quàm in lege non promulgata, sed multas limitationes adhibent, quando dicunt legem non acceptatam non obligare. Inprimis enim loquuntur de lege humana, non de divina; divina enim lex indispensabiliter obligat omnes, quibus est sufficienter promulgata, unde licet plerique, imò omnes nollent acceptare legem non furandi, adhuc furando peccarent, quia supremus legislator absolutè vult obligare suos subditos, nec suam obligationem ab eorum acceptatione dependere. Prorsus enim absurdum esset, si supremus legislator à subditorum voluntate aut acceptatione dependeret. Itaque sive subditi acceptent, sive non acceptent legem divinam, peccant, si faciunt quod illa prohibet, quia transgrediuntur legem supremi legislatoris illis sufficienter promulgatam.

Lex divina obligat ut acceptetur, & obligat quamvis non acceptetur.

17. Quod si loquamur de lege humana, de qua sola loquuntur Auctores, qui dicunt, legem non acceptatam non obligare, adhuc multas limitationes apponunt, ut propositio illa sit vera. Inprimis dicunt, illos peccare, qui legem non acceptant, modò non adsit sufficiens causa illam non acceptandi, quæ si adsit, ex epiikia excusantur. Ratio est, quia legislator humanus, non videt omnia, quæ intervenire possunt, ideoque sæpè ignorat circumstantias intercurrentes, quæ suadent legem non esse acceptandam, quas si sciviſſet, noluisset subditos ad legem acceptandam obligare. Rursus legislator humanus, saltem civilis, sæpè potestatem habet à republica, unde facilè præsumitur quod non habeat potestatem obligandi subditos quando omnes reclamant, & dicunt se legem nolle acceptare, eò quòd illam existiment non esse opportunam. Ratio est, quia respublica non censetur talem potestatem Principibus temporalibus tribuisse. De legislatoribus autem Ecclesiasticis, saltem supremis, qui non ab hominibus, sed à Deo immediatè jurisdictionem recipiunt, alia est ratio; verùm illi plerumque ex quadam æquitate censentur tam benignè uti sua potestate, ut nolint absolutè obligare subditos in illis circumstantiis, in quibus deest potestas Principibus temporalibus. Itaque si ab initio omnes subditi reclamarent legi Ecclesiasticæ, eò quòd sincerè & sine passione existimarent, illam non expedire &c. in eo casu legislator Ecclesiasticus censetur nolle obligare subditos ita reluctantes. Cæterùm si supremus legislator Ecclesiasticus legem ferat, quæ habet conditiones veræ legis, & absolutè velit suos subditos obligare, atque hanc suam mentem apertè declaret, haud dubiè lex tenet saltem ab initio, & qui illam non acceptant, sed transgrediuntur, peccant. Cæterùm in hoc etiam casu, etsi ab initio peccent, qui eam non acceptant, tamen si diu manserint in illa inobedientia, & Princeps dissimulet, eò quòd nec pœnas exæquatur, nec legem reiteret &c. censetur non amplius velle obligare subditos, atque ita lex illa desinit esse lex, quia tacitè revocatur à Principe. Similiter si lex ab initio promulgetur, & pauci aliqui illi obtemperent, eò quòd sincerè cupiant legibus obedire, reliqui tamen omnes legem illam contemnant, nec in usum deducant, in eo casu post tempus aliquod (quod quantum esse debet à Theologis & Jurisperitis assignari solet) pauci illi non amplius tenentur illis legibus, quia eò ipso legislator censetur vel legem abrogare, vel certè cum illis dispensare, ne duorum vel trium proborum hominum obedientia ludibrio vertatur ac vituperio, à quo omnes maximè abhorrent. Atque adeo legislator humanus cum tanto onere subditos obligare non intendit. Nihilominus si lex justa esset, & legislator insisteret, legisque executionem exigeret, peccarent, qui sine causa illam non acceptarent, illique non obedirent, quia legitimo legislatori resisterent, & legibus ab eo latis non obtemperarent.

An & quomodo lex humana obligationem induat, ut acceptetur.

Potestas civilis minor est, quam Ecclesiastica in ordine ad obligandum, ut lex acceptetur.

Quomodo lex ab initio obligans definat per non acceptationem.

18. Et hæc quidem locum habent, non solùm quando non acceptatio legis coincidit cum non promulgatione illius per provincias, quod sæpè contingit; quoties scilicet illi in Provinciis, ad quos spectat leges promulgare, illas non promulgant; sed etiam quando post promulgationem & aliqualem observationem omnes fermè per desuetudinem ab illa observanda cessant; quia sicut leges humanæ hac ratione paulatim cessant, ita eâdem ratione peculiaris homo, legum obser-

Doctrina allata locum habet in omni lege humana.

obſervandarum cupidus, ab illarum obligatione liberatur, quoties omnes longa conſuetudine ita ceſsârunt ab illius obſervatione, ut eam non amplius ut legem obligantem reſpiciant.

Non acceptatio in lege divina, ſi ſubordinetur non promulgationi aliquo modo excuſat ab obligatione.

19. Quod ſi ſermo ſit de materia ad legem divinam ſpectante, non acceptatio talis legis nullam habet vim, niſi quando illa non acceptatio fundatur præcisè in non promulgatione ejuſdem, quod toties evenit, quoties probi doctique homines poſt diligentem veritatis indagationem inveniunt rationabile fundamentum ad exiſtimandum, tale objectum à divina lege non eſſe præceptum; tunc enim rationabiliter renuunt legi inſufficienter apparenti tanquam legi verè obligatoriæ ſe ſubdere. Hoc autem eſt legem talem non acceptari. Verùm hæc non acceptatio præſupponit non promulgationem, ideoque in tali materia non acceptatio & non promulgatio non ſunt duo tituli diſparati, ſed penitus ſubordinati. Errat proinde Celladeus, dum titulos iſtos proponit, ac ſi eſſent duo tituli prorſus diverſi, cùm in materia legis divinæ neceſſariò connectantur, & unus alteri ſubordinetur.

Tota Celladei objectio ex terminorum æquivocatione & falsâ ſuppoſitione procedit.

20. Qui doctrinam hucuſque traditam, quæ apud Theologos eſt prorſus indubitata, benè intellexerit, & inter non acceptationem legis divinæ & humanæ ritè diſtinxerit, atque animadverterit, quando non acceptatio legis ſubordinatur, quando non ſubordinatur ejuſdem promulgationi, atque tunc demùm Celladei objectionem relegerit, videbit, quòd nil difficultatis contineat, ſed quod ex terminorum, qui in diverſis circumſtantiis diverſa ſignificant, æquivocatione procedat; confundit enim doctrinam de non acceptatione legis divinæ ſufficienter declaratæ, cum non acceptatione legis humanæ, & ex ſenſu Auctorum ita loquitur, ac ſi illi de utraque lege idem prorſus docerent, cùm Doctores omnes diverſimodè de talium legum non acceptatione loquantur. Itaque tantum abeſt, ut ſequatur ex doctrina noſtra, aut illa Cardinalis Pallavicini, quòd infideles ſuam infidelitatem excuſare poſſint, aut quòd converſio gentium reddatur impoſſibilis, ut oppoſitum manifeſtè ſequatur, quia & abſolutè aſſerimus, & ex noſtris principiis manifeſtè ſequitur, nullam eſſe poſſe probabilitatem pro errore, qui repugnat veritati fidei ſufficienter propoſitæ; quod verum eſt, etſi non ſolùm omnes Areopagitæ, ſed omnes totius Græciæ ſapientes Paulo prædicanti, & ſuam doctrinam tanquam à Deo revelatam ſufficienter probanti reſtitiſſent.

SOLVITUR II. OBJECTIO, *& quæritur, an proborum exemplum ad conſcientiam formandam ſufficiat ?*

Objectio 2.

21. OBJICIES ſecundò. Recurſus ad reflexam iſtam conſiderationem in non promulgatione legis fundatam committit circulum. Ergò eſt argumentum fallax, & illegitimum. Probatur antecedens. Nemo poteſt ab aliqua lege legitimè ſe excuſare per alios aliorumque deobligationem, niſi ſupponendo eos legitimè ſe gerere, & eſſe legitimè excuſatos in eâdem cauſa. Turpiſſima ſiquidem eſſet excuſatio hujuſmodi: *longè major pars reipublicæ, ſive benè ſive malè, non operatur juxta hanc legem, nec juxta illam operandum putat. Ergò ego juxta illam operari non teneor*; talis enim concluſio ex illo antecedente non ſequitur, ſed ſolùm infertur, *quod ego poſſim vel benè vel malè juxta illam operari, aut quod poſſim benè vel malè putare juxta illam non operandum.* Ergò ut me defendam, debeo prius alios defendere, & oſtendere, eos benè facere hanc legem non ſervando, & benè putare dicendo eam non obligare, ut ſic inferam, me benè facere taliter opinando ac operando. At non poſſum alios per alios reflexè defendere, ut eadem ratio oſtendit. Ergò tandem veniendum eſt ad diſputationem directam, ut per eam & me & alios juſtificem. Ergò non eſt niſi unica via nos juſtificandi, nempe deductio veritatis per principia directa. Inanis ergò eſt omnis juſtificatio per principia reflexa. Præterea multitudo, per cujus exemplum me juſtifico, vel audivit & intellexit, vel non audivit aut non intellexit motiva legi faventia. Si ſecundum, nemo poteſt ſe defendere per talium virorum ignorantiam, ut patet. Si primum, loquimur de intelligentibus. At illi ſupponuntur exiſtimare ſe obligatos. Ergò vel debent operari juxta ſuam ſententiam, vel ad alios provocare. Si primum, habetur intentum, quia homines tales per ſola principia directa regulantur. Si ſecundum, datur circulus vitioſus; quia ſi omnes ſpeculativè exiſtimantes obligationem dari, ſint quatuor, ego me juſtifico per tres alios, illi ſe juſtificant per me, & ſic ego inadæquatè ſaltem me juſtifico per meipſum. Committitur ergò circulus in recurſu ad iſtam conſiderationem reflexam. Hoc vitium in multis reſolutionibus moralibus intervenit. Quæritur an uſus chocolatis ſit contra paupertatem religioſam, quia non eſt res pauperum, ſed divitum, cùm ſit valdè pretioſa. Reſpondent aliqui, uſum illius non eſſe contra paupertatem religioſam, quia datur ejus uſus in Religionibus valdè obſervantibus. Ecce ſingulæ ſe juſtificant per reliquas, & committitur circulus, quia nil eſt quod primò rem juſtificet, in quo ſiſtere poſſimus. Idem videre eſt in nimio fœminarum ornatu; ſingulæ ſe excuſant per alias, & nil eſt, in quo tandem excuſatio ſiſtat. Et tamen lumine naturæ notum eſt, quod nemo ſe poſſit excuſare per alium, niſi ſupponat eum non ex ignorantia rectè agere, & eſſe aliquem primum, in quo ſiſtat appellatio. Ita Celladeus §. 3.

An & quomodo liceat operari propter aliorũ exemplum?

Reſpondeo inprimis, objectionem, ſaltem quoad primam partem non eſſe ad rem; quia procedit de lege certa, certoque promulgata, cùm tota præſens difficultas ſit de lege, cujus exiſtentia aut promulgatio eſt incerta. Illatio autem à lege certa ad incertam non valet.

Non apparet quid velit Celladeus in hac objectione.

22. Reſpondeo ſecundò Celladeum ita loqui in hac objectione, ut quid ſibi velit non appareat. Videtur enim velle, nunquam fieri poſſe per continuatam & univerſalem non obſervationem legis, ut illa aliquando deſinat obligare, eò quòd non ſit amplius in uſu. Niſi enim velit hoc, argumentum procedit de ſubjecto non ſupponente, quia ſi per continuatam & univerſalem non obſervationem obligare deſinat, tunc certè, qui talem non obſervationem allegat, ſeipſum juſtificat, & à legis obligatione eximitur. Itaque peto, an intelligat, an in hoc ſenſu non intelligat ſuam objectionem? ſi primum: ſingularis eſt in ſua opinione, omnibusque prorſus Theologis ac Juriſperitis repugnat; illi enim omnes unanimiter fatentur, leges humanas per diuturnam ac univerſalem deſuetudinem ceſſare. Itaque ſi dicat primum, indubiè fallitur. Si dicat ſecundum, non ſolùm loquitur de ſubjecto in propriis principiis non

non supponente, sed præterea, hoc omisso, ipsemet tenetur proprium argumentum solvere, quia debet ostendere, qua ratione homo se justificare & à legis obligatione seipsum eximere possit, allegando quòd nemo legem observet. At si hoc semel explicetur, argumentum ruit, quia fundatur in suppositione, quòd hoc fieri nequeat. Adeo infelix est in arguendo Celladeus, ut propriis ubique argumentis succumbat.

Causæ, ob quas obligatio legis humanæ cessat.

23. Respondeo tertiò directè, & dico, neminem ita argumentari, ut ille proponit; nemo enim contendit, quòd quam à lege obligante ideo eximatur, quia alii benè sive malè illam non observant; absque dubio enim peccat, quicumque legem vigentem & obligantem non observat; sed quod dicunt est, leges humanas per longam & universalem non observationem cessare, quamvis qui illas ab initio fregerunt, peccârint. Cessat autem vel quia legislator civilis non habet potestatem ferendi leges, quando tota respublica legum latarum oneri se submittere renuit; vel quia legislator censetur legem revocare, illamque tacitè revocat, quoties videns universalem non obedientiam tacet, neminemque ob illius transgressionem punit, nec ipsius observationem urget; vel quia cum peculiari homine dispensat, ne digito notetur, & aliorum ludibrio exponatur, ut dictum est.

Aliquando excusamur, posito alium exemplo, sive illi benè, sive malè fecerint legem non servando.

24. Hæ & aliæ ejusmodi causæ (non enim omnes recensui) sæpè excusant singularem subditum, ne legibus obtemperet. Et sanè hoc verum est, sive multitudo non obediens benè vel malè fecerit non obediendo, saltem post longum tempus; modò Princeps videns transgressionem universalem, eam toleret, nec legem reiteret, nec ejus executionem urgeat. Neque tamen ideo eo modo argumentamur, quo Celladeus nos arguere contendit; non enim aliorum inobedientia, sed sed solùm cessatio legis, aut prudens & rationalis epiikia nos excusat. Verum quidem est, unanimem aliorum perversitatem præbere occasionem cessationi legis, aut benignæ illius interpretationi, quæ per epiikiam & præsumptam dispensationem hîc & nunc excusat. Atque hinc patet æquivocatio Celladei, ille enim loquitur de lege habente vim legis, id est, de lege existente & applicata; tum hoc supposito, pergit & urget, neminem per aliorum actiones excusari, nisi supponantur esse legitimæ & licitæ. Verùm hoc non quæritur, sed solùm utrùm lex lata per diuturnam ac universalem non observationem, legislatore vidente & tacente, & legis executionem non urgente, cesset, aut saltem, utrùm in eo casu legislator cum homine singulari obediendi cupido dispenset? De hoc nil habet Celladeus, qui proinde veram & legitimam excusationis causam cum falsa ac futili confundit.

Qui factum aliorum prætendit, non semper tenetur eos excusare, ut ipse excusetur.

25 Porrò eadem æquivocatio cernitur in sequentibus; non enim semper teneor alios excusare, ut me à lege liberum esse concludam; sed solùm tunc teneor eos excusare, quando nulla est diversitas inter illos & me. Inprimis etsi illi culpabiles sint, & cervicis flecti nesciæ, tamen per hanc inobedientiam diu toleratam &c. scire possum legem cessare, & sic nec me nec ullum illâ ligari. Similiter ob rationes mihi peculiares, scire possum me hîc & nunc non teneri lege, eò quòd sit præsumptio valida, quòd legislator mecum dispenset, aut quòd noluerit me in istis circumstantiis obligare. In hisce casibus non teneor alios excusare, à quorum praxi sumo argumentum partiale ad inferendum me non obligari, quia ego sum in aliis circumstantiis quàm illi, ut patet. At si ego essem in eisdem circumstantiis cum reliquis, tunc necesse foret, me eodem modo operari cum ipsis, ac proinde me non posse aliter excusari, quàm excusentur & ipsi. Verùm hic secundus casus locum non habet in præsenti.

Argumentum paulò alteratum est validum.

26. Rursus, modus arguendi in argumento positus, non est tam absonus, ut Celladeus putat; si enim parum alteretur, legitimè concludit. Sic autem formatur argumentum. *Nemo observat legem hanc à decennio latam, imò nemo illam hactenus observavit, etsi omnes ab initio benè scirent illam latam & promulgatam fuisse. Et hoc factum est legislatore videnti & non contradicente. Ergò ego nunc amplius non teneor illam observare, quidquid sit, an alii ab initio saltem peccarint, vel non peccarint eam non observando.* Ratio est perspicua, quia quidquid sit, an subditi ab initio peccarint necne legem transgrediendo, jam lex cessat, & neminem amplius obligat. Porro hic discursus excusans non est directus, quia non fundatur in defectu potestatis, aut in nullitate legis latæ, sed reflexus, quia ex diuturna non observatione, & Principis tolerantiâ infert legem amplius non obligare. Ergò in hoc etiam casu datur locus discursui in principiis reflexis fundato, qui à nemine negari potest. Idem argumentum à fortiori valet, quando lex non est sufficienter promulgata. De hoc autem agere debuisset Celladeus, si intra terminos materiæ propositæ manere voluisset, sed libuit illi excurrere, & argumenta ad intentum non facientia proponere.

Secunda pars objectionis solvitur.

27. Atque hinc patet responsio ad secundam partem objectionis, quia quamvis multitudo non observans legem audiverit & intellexerit motiva legi faventia, imò certò noverit legem & latam & promulgatam fuisse, adhuc tamen lex post diuturnam universalemque non observationem cessat, ut dictum est. Hoc multò magis locum habet, si multitudo legem ignoraverit, aut nullam ejusmodi legem extare existimaverit. Ruit ergò argumentum.

Pluta falsa; & ad rem non facientia, à Celladeo allata.

28. Cæterùm, dissimulandum non est, quòd Celladeus in progressu argumenti (supponendo semper, etsi contra veritatem, quòd priores partes subsistant) eò venit, ut restringat quæstionem ad hominem operantem contra propriam opinionem, qui non aliter quàm per aliorum exemplum se excusat. Deinde supponit, omnes doctos unanimiter convenire in una eademque sententia, quos, hoc non obstante, vult contra illam operari, non alio argumento ductos, quàm quia alii ita faciunt. At neutrum horum facit ad rem præsentem, quia præsens quæstio non solùm est longè diversa ab ea, an cuiquam liceat contra propriam sententiam operari; sed neque ab ea dependet, cùm locum habeat, sive liceat sive non liceat contra propriam sententiam operari. Præterea utrumque hoc dictum Celladei falsum est, ut mox ostendam, nec omitti debet eorum examen, quia impetunt unum ex principiis, quod à S. Antonino aliisque omnibus pro conscientia ritè formanda tanquam certissimum proponitur, nempe exemplum proborum & doctorum hominum; si enim verum dicat Celladeus, nemo per aliorum exemplum licitè se regulat; si verò nobis liceat regulare nos per proborum & doctorum hominum exemplum, uti certissimè licet, haud dubiè Celladeus fallitur.

An & quo modo exemplum pro-

29. Inprimis ergò sumamus hominem opinantem aliquid esse illicitum, ita tamen ut censeat oppositum esse etiam probabile (nisi enim hoc

borum sit sufficiens conscientiæ regula ?

supponatur versamur extra controversiam præsentem) tum ponamus hunc hominem, non obstante opinione suâ, formare conscientiam, quòd oppositum, omnibus inspectis, liceat, juxta tradita à nobis *quæst. 30. de consc. prob.* In hoc casu homo ille vel est doctus, vel indoctus. Neuter format conscientiam præcisè propter exemplum aliorum; non doctus, quia ille rationibus reflexis quæstionem determinavit, & ex vi illarum conscientiam format; non indoctus, quia ille nititur alienâ auctoritate, & quia à probo & perito audivit in tali casu licitum esse sequi exemplum proborum, per auctoritatem extrinsecam format suam conscientiam, quoties videt probos & pios viros aliter operantes, quàm ipse putat operandum esse. Hæc quidem est ordinaria via, quâ indocti in tali casu conscientiam formant. Verùm independenter ab hoc, adeo notum est lumine naturæ, quòd liceat sequi exemplum proborum & doctorum hominum, ut licèt nemo expresè dixerit illud esse licitum, unicuique id ipsum sit notissimum. Ratio est, quia exempla plus movent quàm verba, maximè quando non potest esse suspicio, quòd qui dant exemplum contra conscientiam suam operentur. Imò exemplum plurimorum talium hominum æquivalet expressæ unius vel alterius assertioni, quia quoties probi communiter taliter operantur, datur prudens præsumptio, quòd sufficienter sciant tale objectum hîc & nunc esse licitum. Unde qui regulat se bonorum exemplo, non format conscientiam præcisè per exemplum aliorum, etsi probi sint & docti; sed considerando exemplum unà cum doctrina & probitate operantium, infert objectum esse licitum; quia nisi esset licitum, periti & probi illud non eligerent. Itaque exemplum proborum est regula remota, ex qua honestas rei legitimè deducitur, & conscientia ritè formatur. Neque in hoc ulla est umbra circuli vitiosi, quem Celladeus inevitabilem autumat.

Casus exēpli sufficientis ad conscientiam debitè formandam.

30. Exemplo in hisce regionibus satis frequenti rem demonstro. Moris in Belgio est, diebus sabbatinis inter Nativitatem Christi & Deiparæ Purificationem carnes edere. Nil ejusmodi fit in Anglia, ibi enim institutio Ecclesiæ de abstinentia à carne diebus sabbatinis à Catholicis integerrimè servatur. Jam sæpè contingit, Virgines teneras, religiosæ vitæ studiosas, currente hoc tempore in Belgium trajicere, quas Sacerdotes magnæ doctrinæ ac pietatis comitantur, ut eas in monasteria suæ nationis recludant. Mirantur Virgines illæ dum sabbatinis diebus carnes apponi vident in mensa, nec audent illas attingere, ne solvant abstinentiam ab Ecclesia præscriptam. Sæpè protestantur, nolle se carnes gustare, aliis interim simul ignorantiam illarum ridentibus, simul pietatem laudantibus; nec alia potentior via est ad tranquillandas illarum conscientias, quàm si Sacerdos dicat, comedésne, si me priùs comedentem videris? cui respondere solent, si te comedentem videro, comedam & ego, quia novi te esse virum probum & peritum, qui proinde non comederes carnes, nisi sufficienter scires illarum esum hoc tempore & loco esse licitum.

31. Quæro hîc à Celladeo, utrùm allatum Sacerdotis exemplum, cujus sanctitas & doctrina ejusmodi fæminæ notoria est, eò quòd diu experta sit, illum non solùm præcepta Dei & Ecclesiæ omni diligentiâ custodire, sed insuper continuis jejuniis, orationibus, ac corporis castigationibus addictum esse, ac celeberrimum etiam pro doctrina ab omnibus haberi; quæro, inquam, an ejusmodi exemplum ad conscientiam teneræ Virginis ritè formandam sufficiat, nec ne? si dicat non sufficere, parenter errat, quia certum est, quod exemplum ejusmodi fundet præsumptionem adeo rationabilem, quòd lex hîc & nunc non obliget, ut id absque temeritate in dubium revocari nequeat.

Præterea sic arguo. Exemplum ejusmodi fundat veram ac evidentem probabilitatem, etiam juxta mentem Celladei, realem ac positivam de non obligatione legis hîc & nunc, quia tale fundamentum plerumque non errat, immò ferè nunquam fallit. Ergò per Celladeum sufficit ad conscientiam ritè formandam.

32. Quòd si concedat tale exemplum sufficere. Ergò jam exemplum proborum ac peritorum sufficit ad debitè formandam conscientiam; quod absque dubio verum est tam in hoc, quàm in omni alio casu, quando exemplum talium hominum præbet fundamentum rationabiliter existimandi, quòd lex non obliget. Hoc autem semper locum habet, quando consuetudo proborum & peritorum est universalis in aliqua regione ac natione, quia evidens est, quod talis consuetudo aut semper, aut saltem plerumque connectatur cum non obligatione legis. Ergò qui ex tali exemplo arguit, legem hîc & nunc non obligare, certò probabiliter ac rationabiliter arguit, & consequenter rationabiliter format conscientiam.

Confirmatio ratiocinii, ut ab ex. pio pro. tum.

33. Rursus certum est hominem hâc ratione conscientiam formantem non incurrere circulum, quia non pergit ab exemplo ad exemplum, sed vel figitur in uno tantùm exemplo, & ex illo infert legem non obligare, ut in casu à me allato; vel certè indivisibiliter respicit consuetudinem communem proborum, & tunc à fortiori idem infert, quia est de nunquam, aut certè de rarissimè contingentibus, quòd talis consuetudo apud peritos & probos vigeat, quando lex viget & obligat. Præterea manifestè præsumitur, quòd aliquis, imò quod plures illorum post rem sufficienter examinatam invenerint legem non obligare. Unde persuasio quod lex non obliget, est evidenter rationabilis, probabilis, ac prudens. At talis persuasio non resolvitur in circulum. Ergò ab exemplo proborum conscientia ritè formatur absque circulo vitioso.

Idque sine recursu ad circulum vitiosum.

34. Jam non soli imperiti, sed etiam periti eodem discursu uti possunt, quia periti meliùs norunt connexionem inter consuetudinem proborum & carentiam legis obligantis, quàm imperiti. Nec obstat, quòd alii aliorum exempla sequantur; non enim ideo reditur in idipsum, quia tandem pervenitur ad primos, qui absque aliorum exemplo idem fecerunt; illi autem quicumque fuerint, rationabiliter præsumuntur rem examinasse, atque invenisse legem non obligare. Hæc autem præsumptio eò validior est, quò plures periti ac pii absque scrupulo aliquid faciunt, quia præsumitur, quod aliquis saltem illorum rem examinaverit, & invenerit, nullam adesse legem, per quam tale opus prohibetur. Itaque qui ab exemplo proborum & peritorum arguunt sumptionem chocolatis esse licitum, non committunt circulum, sed semper resolvunt conscientiam in rationabilem persuasionem, quâ asserunt nullam esse legem, quâ hujusmodi objecta prohibeantur. Et quidem de sumentibus chocolatam res est perspicua, si illius usus (ut dicit Celladeus) vigeat apud omnes Regulares etiam maximè observantes; quia manifestè præsumendum est, talem consuetudinem introduci

Periti eòdem per aliorum exempla conscientiam ritè formant.

non

non potuisse, quin res sufficienter examinata & tandem inventa fuerit esse licita, ac nulla lege prohibita. De mulierum ornatu paulò diversa est ratio, quia cùm illæ peritiam non habeant, nil ex illarum peritia inferri potest; verùm cùm plurimæ illarum timoratissimæ conscientiæ sint, fieri nequit, quin quando res est dubia, plures illarum peritos consuluerint, & ab iis didicerint tale ornamentum esse licitum. Itaque tota tandem resolutio conscientiæ in eo terminatur; quòd sufficienter constet, nullam esse legem, quæ talem operationem prohibeat.

Falsa Celladei suppositio.

35. Præterea non minùs falsa, quàm stupenda est illa Celladei suppositio, scilicet quòd periti unanimiter judicent aliquid esse illicitum, & tamen omnes absque scrupulo illud faciant. Sed ubi, quæso, casum hunc inveniet Celladeus? Nullibi haud dubiè. Periti enim & probi non facilè unanimiter conspirant in praxim, quam omnes & credunt & tradunt esse illicitam. Itaque discursus totus procedit de subjecto non supponente. Sed neque concludit, etsi tota suppositio admittatur. Inprimis non sequitur quòd periti, si sequantur suam sententiam, quæstionem resolvant per principia directa; quia sæpè principia directa non suppetunt; ut in dubio, & tunc resolvunt quæstionem per principia reflexa, & nominatim per hoc, quòd in dubio lex non obliget, quia non est sufficienter applicata seu promulgata. Errat ergò Celladeus, qui contrarium pro necessaria consequentia proponit. Præterea neque ex suppositione, quod quatuor periti & probi per principia directa resolvant aliquid esse illicitum, & eâ resolutione non obstante, adhuc faciant oppositum, eò quòd per principia indirecta conscientiam suam formentent, & credant opus illud hîc & nunc esse licitum, neque, inquam, ex hac suppositione sequitur, eos circulum vitiosum committere, quamvis aliqui illorum per aliorum exemplum conscientiam formentent. Ratio est, quia adhuc omnes & singuli existimare possunt, quòd honestas directa talis objecti sit probabilis, & consequenter omnes & singuli per principia indirecta inferre possunt, legem illam, si existat, non esse sufficienter promulgatam, ac proindè neminem obligare. Rursus cùm illi sint solùm quatuor, impossibile est, quòd omnes per aliorum exemplum suam conscientiam dirigant, quia impossibile est, quòd omnes aliorum exemplum sequantur. Necesse enim est, unum aliquem incipere absque eo, quòd alium præeuntem videat, Ergò qui primus fundatur in illius exemplo, nullo modo fundatur in exemplo proprio. Ergò nullus committitur circulus. Similiter tertius, qui duos, & quartus qui tres præeuntes habet, illosque imitatur, non fundatur in proprio exemplo. Ergò ab initio nemo in proprio exemplo se fundat. Ergò Celladeus per omnia à veritate aberrat. Utitur enim suppositionibus falsis, & ex illis illationes facit patenter nullas.

Celladei inconsequentia.

Qui sequitur alienum exemplum, non fundatur in proprio, nec circulum committit.

Quamvis homo sequens exemplum, redeat ad factum proprium, non committit circulum vitiosum.

36. Quòd si primus ex illis quatuor, qui rediscussâ per rationes conscientiam suam formavit, videat alios peritos ipsum imitantes, atque ideo in posterum eorum etiam exemplo se dirigat, in tali casu fieri poterit, ut ex parte objecti ad proprium exemplum recurrat, quia si alii non aliâ viâ quàm per exemplum præcedens conscientiam formârint; & ille iterum per illorum exemplum se regat, certum est, quod ex parte objecti ad proprium exemplum redeat, cùm illud fuerit motivum radicale, per quod alii directionem habuerunt; & consequenter cùm ipse supponat alios rationem habuisse, & ex præsumptione talis rationis conscientiam formet, ex parte objecti ad proprium exemplum revertitur, ut patet. Verùm hoc nunquam videtur contingere; & si contingeret, nullus daretur circulus vitiosus. Inprimis nunquam videtur contingere, quia nunquam fit, ut peritus & probus quidquam dubiæ honestatis aggrediatur, ideo præcisè quia videt unum probum & peritum illud facere (nisi in casu aliquo, in quo præsumimus illum certò scire veritatem, ut in casu superiùs allato de esu carnium, in quo casu ille primus nunquam regulatur exemplo eorum, qui illum imitantur, sed certâ scientiâ, quòd ob consuetudinem lex illa hîc & nunc non obliget) sed antequam operetur, allectus primum alieno exemplo rem examinat, donec rationem satisfacientem inveniat. Itaque si de peritis & probis loquamur, nunquam contingit, ut aliquid ejusmodi in communem praxim reducatur, quin plures veritatem diligenter examinârint, & invenerint rem esse licitam, eò quòd nullâ lege sufficienter applicatâ prohibeatur. Unde qui primus aliis in opere præluxit, non resolvitur in proprium exemplum, quando communem vivendi rationem imitatur, sed resolvitur in carentiam legis obligantis, quam meritò præsupponit non adesse, ob rationes à peritis & probis repertas, quæ in ipsius exemplum non resolvuntur.

Idipsum ulteriùs declaratur.

37. Cæterùm etsi omnes alii ipsius tantùm exemplum secuti fuissent, non tamen ideo ille praxim jam communem sequens, committit circulum vitiosum; tum quia lex humana amplius non obligat, quando est in desuetudine universali apud omnes, maximè apud peritos & probos, undecumque tandem illa desuetudo ortum traxerit; tum quia, etsi non consideret certam hanc cessationem legis ob desuetudinem illius, sed solùm dirigatur communi aliorum exemplo, atque ex illo inferat dari rationem sufficientem ad formandam conscientiam, quod lex non obliget, & sic per circulum verè ex parte objecti ad proprium exemplum recurrat, tamen circulus ille vitiosus non est, quia non sistit in solo proprio exemplo, sed ex unanimi omnium consuetudine infert rationem aliquam dari, ob quam satis constet legem non obligare. At hoc est verum, quia primum ipsius exemplum tali ratione nixum erat. Itaque in istiusmodi casibus nunquam datur circulus, aut certè vitiosus non est, sed fundatur in aliquo extra circulum, à quo totus motus ille circularis ortum sumit.

SOLVITUR TERTIA OBJECTIO; *& simul agitur de peccato materiali.*

Objectio 3.

38. OBJICIES tertiò, si tales leges non essent sufficienter promulgatæ, inprimis nulla daretur contra illas violatio ne quidem materialis; nam lex sufficienter non promulgata non est simpliciter promulgata. Lex autem non promulgata non obligat, nec magis violatur, quàm si non esset. At nos ponimus violationes materiales.

Deinde Auctores benignæ sententiæ expresè dicunt, partem tutiorem sub consilio esse sequendam. At si leges non essent sufficienter promulgatæ, pars tutior non esset ne quidem sub consilio sequenda, ut patet in legibus humanis non promulgatis, quippe quæ perinde sunt, ac non factæ. Ita Celladeus §. 4.

Respon-

Argumentum Celladei etsi admittatur, non probat intentum.

Respondeo, si ex nostra doctrina sequatur, tam nullam dari violationem ne quidem materialem legis non sufficienter promulgatæ, quàm non esse consilium sequi partem tutiorem, nil inde contra veritatem sententiæ nostræ deducitur; quia in tantum sequelas istas concessimus, in quantum adversarii contendunt, illas saltem negari non posse; quòd si jam velint illas ex nostra sententia deduci non posse, contenti sumus, nec dignum ducimus peculiarem de hac re litem instituere.

Argumentum retorquetur.

39. Respondeo secundò, Celladeum ipsum debere argumentum suum solvere in casu ignorantiæ invincibilis; quia lex invincibiliter ignorata non magis obligat, quàm si non esset. At si non esset, nulla esset ne quidem materialis violatio, ut patet. Similiter non est magis de consilio ponere objectum legis invincibiliter ignoratæ, quàm esset, si illa non existeret. Ergò si tunc pars tutior non esset ne quidem de consilio, neque nunc est. Petò jam, Celladee, utrùm admittas vel non admittas istas tuas illationes locum habere in casu ignorantiæ invincibilis? si illas admittas, nec absurdas putas, cur objicis tanquam absurdum, quòd nos illas admittamus? si non admittas; ergò ostendendum tibi est, quomodo materialis transgressio habeatur sine formali. Similiter ostendere debes, quâ ratione sit opus consilii sequi partem tutiorem in illo casu. Ergò jam proprium argumentum solvere debes, nobisque responsum offerre; quia idem prorsus dicemus quod tu, cùm toties habeatur ignorantia invincibilis præcepti, & defectus promulgationis sufficientis, quoties, omnibus inspectis, probabile est, illud nunquam fuisse latum.

Datur materialis violatio legis, ex eo quod non sit sufficiêter promulgata & applicata.

40. Respondeo tertiò. Hasce Celladei sequelas esse nullas, quia toties datur materialis transgressio, quoties ponitur objectum vetitum à Legislatore per legem determinatæ parti communitatis sufficienter promulgatam, quamvis illa lex nec mihi nec longè [illegible]næ parti sit promulgata, seu legitimè no[illegible]. Itaque homines haud dubiè sæpè mate[illegible]nter transgrediuntur leges, quamvis illæ ipsis sufficienter applicatæ ac promulgatæ non fuerint. Id clariùs apparet in jure naturæ, in quo nulla datur peculiaris promulgatio distincta à lumine naturæ, per quod sufficienter innotescit, aliquid esse malum. Jam lex naturalis uni innotescit, quæ tamen alium invincibiliter latet, & consequenter una eademque lex naturalis sufficienter promulgatur uni, quæ alteri non sufficienter promulgatur. Jam ergò evidens est, hominem, invincibiliter errantem circa legem naturæ, peccare materialiter, quia ponit rem, quæ verè prohibita est, etsi lex illa non sit sufficienter promulgata omnibus.

Hoc verum est tam in lege materiali, quàm in positiva.

41. Idem prorsus locum habet in lege positiva, quæ pro parvis communitatibus fertur; tales enim leges non aliter promulgari solent, quàm per hoc, quod superior, illos in unum cogat, suamque voluntatem intimet; jam si aliquis fortè sit absens, nec alii postea rem gestam narrent, lex illa non est illi sufficienter promulgata, qui tamen materialiter peccabit contra legem verè latam, & aliis etiam sufficienter promulgatam.

42. Nec dissimilis est ratio de iis etiam legibus, quæ pro magnis communitatibus feruntur, etsi enim jam usu receptum, atque etiam lege cautum sit, ut leges non censeantur obligare donec tali peculiari ceremoniâ promulgentur in curia, tantumque temporis elabatur, quantum sufficit, ut certa earum ac promulgationis factæ notitia ad subditos distantes perveniat; quamvis, inquam, hoc usu receptum sit, atque illa sola ceremonia facta in curia vocetur legis promulgatio, illa tamen ceremonia est solum promulgatio prima, seu potissimè dicta, quæ aliquibus paucis præsentibus fieri solet, ratione cujus jam dici potest, quod lex illa communitati sit promulgata; nihilominus illa promulgatio non est completa respectu singulorum, sed adhuc extendi debet ad alios plures, ad quos si non extendatur, sed illius notitia illos invincibiliter lateat, utique talis lex respectu illorum non est sufficienter promulgata; Promulgatio vera enim legis promulgatio alia est activa, alia passiva; activa est signum externum, per quod voluntas superioris subditis innotescit, passiva verò est ipsa notitia, quam signum illud causat in subditis. Jam nisi signum positum sit adeo efficax, ut immediatè vel mediatè ingerat notitiam legis, vel certè obligationem investigandi, an superior talem legem tulerit, tale signum non est sufficiens promulgatio ne quidem activa, quia est inefficax, qualis esset illa superioris, qui voluntatem suam græcis tantùm vocibus exprimeret, cùm nulli subditorum linguam græcam intelligerent. Itaque haud dubiè lex lata toties non est sufficienter promulgata respectu alicujus, quoties ille invincibiliter ignorat legem, quia toties medium positum ad intimandam superioris voluntatem inefficax fuit respectu illius, quamvis efficax & sufficiens fuerit respectu aliorum. Ergò in tali casu homo contrarium faciens, materialiter peccat, quia materialiter violat legem latam, & aliis sufficienter promulgatam, non tamen peccat formaliter, quia nullam legem sibi sufficienter promulgatam violavit.

alia activa, alia passiva, alia pars, alia secunda & complens.

43. Doctrina hæc exemplo locutionis & auditionis clarior evadet. Nemo sufficienter alloquitur alium, nisi ponat signum adeo efficax, ut auditionem excitare possit in eo, cui sermonem dirigit; & sanè si non adhibeat talia signa, perinde est in ordine ad personam, quam alloqui intendit, sive loquatur, sive non loquatur. Jam activa legis promulgatio, quæ sola strictè loquendo est promulgatio, aliud non est quàm signum, quo legislator subditos alloquitur, eisque intimat voluntatem suam, quâ illos ad aliquid obligat. Ergò si signum illud sit tam inefficax, ut ad alios pervenire non possit, legislator per illud haud sufficienter alloquitur subditos, sed perinde facit, ac si prorsus taceret; imò formaliter loquendo tacet, cùm nemini mentem suam exprimat. Similiter si signum illud sit efficax ad excitandum auditum aliquorum non autem aliorum, tunc sufficienter aliquos, alios autem insufficienter alloquitur. Ergò similiter signum locutorium, ac manifestativum legis, in quo promulgatio consistit, erit aut non erit sufficiens, prout fuerit, aut non fuerit efficax ad excitandam in subditis legis notitiam, quam voco promulgationem passivam; quia nisi hæc ex vi signi excitetur, aut certè excitari possit & debeat, non est promulgatio sufficiens ne quidem activa, quia activum & passivum sunt correlativa ut patet; sicut enim locutio non est sufficienter locutio activa respectu audientis, nisi possit illius auditum movere, ita pariter nulla promulgatio est sufficienter activa, nisi & suæ & legis notitiam ingerere possit. Et quia signum positum pro promulgatione legis sæpè solùm afficit aliquos, alios autem nullo modo afficit, ideo tale signum est sufficiens promulgatio legis respectu aliquorum, & respectu aliorum non est sufficiens.

Promulgatio inefficax non est vera promulgatio.

sufficiens. Jam Celladeus non distinguit inter promulgationem legis factam communitati & inter promulgationem factam singulis in communitate contentis, quæ tamen duo sunt valdè diversa, atque ex eorum diversitate intellectâ statim appareret, sectantes partem minùs tutam aliquando peccare materialiter, quia ponunt opus prohibitum à lege, aliquibus quidem sed non omnibus sufficienter promulgatâ. Prima ergò illatio objectionis nulla est.

Pars tutior est materia consilii, sive pars minùs tuta prohibeatur, sive non.

44. Sed nec secunda illatio subsistit, quia perspicuum est, quod pars tutior plerumque sit materia consilii, etsi revera nulla sit lex, aut cusa aut promulgata, quæ partem tutiorem præcipiat. Ratio est, quia pars tutior plerumque est indubitata materia virtutis, cùm pars minus tuta non sit ejusmodi. Sic est certa materia virtutis confiteri circumstantias notabiliter aggravantes in eadem specie, at non constat, quòd illas omittere sit materia virtutis; quod verum est quoad nos, etsi revera nulla sit lex obligans ad illarum confessionem, quia adhuc oppositum est probabile. At est materia consilii eligere certam materiam virtutis præ materia incerta, quia plus boni solet esse in certa, quàm in incerta materia virtutis, & semper quoad nos datur ille excessus. Secundò etsi pars minùs tuta quoad se sit etiam materia virtutis, semper tamen, aut certè plerumque est materia virtutis inferioris, quàm pars tutior. Sic etsi liceat non confiteri peccata venialia, aut circumstantias notabiliter aggravantes, tamen majoris virtutis & magis proficuum est illa confiteri. Idem valet in materia obedientiæ, abstinentiæ, & aliis omnibus; quia in omnibus similis ratio locum habet. Ideo enim pars aliqua dicitur tutior, quia magis accedit ad perfectionem virtutis. Ergò pars tutior est materia consilii; & sanè si aliud non interveniret, bonum obedientiæ perfectæ non quam deest, ratione cujus pars tutior sit materia consilii. Omnes enim Theologiæ mysticæ Magistri asserunt, eum esse perfectè obedientem, qui præceptum præoccupat, & ea omnia facit, quæ novit esse juxta voluntatem sui superioris, etsi superior subditum non obligaverit. Itaque cùm perfectio obedientiæ sit materia consilii, & exercitium nobilissimæ virtutis, haud dubiè sæpè invenitur materia consilii, ubi deest præcepti promulgatio. Imò ubi ipsum præceptum deest; quia melius est exequi quàm non exequi voluntatem Dei & superiorum, non solùm quando constat nobis, quod habeant voluntatem obligandi nos, quamvis eam nondum promulgârint, sed etiam quando constat, quod voluntas illorum sit merè directiva, non autem præceptiva. Ergò pars, quam tutiorem vocamus, est materia consilii, quia est conformis voluntati Dei vel præcipienti, vel dirigenti, & consulenti; eò quòd pars illa semper magis accedat ad perfectionem, idque vel ex natura sua, vel certè ex ordinatione Dei, de quo lumine naturæ constat, quòd suadeat saltem tutiora, & quòd solùm permittat minùs tuta. Itaque nulla ex illationibus istis locum habet.

Pars tutior est materia perfectæ obedientiæ.

SOLVUNTUR ALIÆ OBJECTIONES.

Objectio 4.

45. OBJICIES quartò. Si in probabilibus liceret agere & consulere contra partem tutiorem, atque etiam contra propriam opinionem, eò quòd, stante probabilitate utriusque partis, lex non esset sufficienter promulgata, sequeretur, quòd liceret sequi partem minùs tutam, etiam contra demonstrationem, aut divinam revelationem, quod tamen omnes negant. Etenim si Deus revelet, legem quidem factam esse, non tamen fuisse sufficienter promulgatam, eo ipso ego non essem obligatus, nisi speciali voluntate vellet me obligare. Sic secretarius Pontificis aut Regis scribens legem, non obligatur tali lege, donec illa sufficienter promulgata fuerit. Ergò privata demonstratio vel revelatio non reddit leges satis promulgatas, ut me obligent, nisi demonstratio & revelatio habeatur à pleriſque, ità ut solemni promulgationi æquivaleat.

Promulgatio essentialiter dicit ordinem ad nos.

Nec dicas, leges Dei esse promulgatas in se non autem mihi, quoties probabile mihi est, quòd non dentur; nam hoc est ludere in terminis, quia promulgatio est quoad nos, ideoque repugnat promulgatio, quæ sit talis in se, quasi seorsim à nobis. Quòd autem mihi non sint sufficienter promulgatæ est evasio sophistica; non enim de me tractamus, sed de omnibus. Ergò vel leges, de quibus sunt contrariæ probabilitates, sunt sufficienter promulgatæ & intimatæ, vel non: si primum, habetur intentum. Si secundum, contra est, quia mihi promulgari non est promulgari, cùm promulgari & mihi sit implicatio in terminis. Ita Celladeus §. 4.

Lex non sufficienter promulgatur ei, qui eam invincibiliter ignorat.

Respondeo primò ad secundam partem objectionis, quia ordo doctrinæ hoc postulat, & dico, Celladeum benè & sagaciter notasse, quòd ludere in terminis, qui diceret, leges esse sufficienter promulgatas quoad se, non autem quoad nos; quia essentia promulgationis consistit in notificatione legis factâ subditis, & consequenter promulgatio legis est terminus dicens expressam relationem quoad nos, ut proximè ostensum est. Verùm hæc doctrina totum illius discursum evertit; ex illa enim apertè sequitur, nullam legem esse sufficienter promulgatam illi, qui eam invincibiliter ignorat, quia non est sufficienter manifestata ipsi, ut patet; sicut enim legislator non manifestavit illi mentem suam, nec illum allocutus est, ita nec legem suam illi promulgavit. Itaque ex hoc ipso capite certum est, taliter operantem à peccato excusari, quia nullam legem sufficienter sibi applicatam seu promulgatam violat. Itaque in tali casu Celladeus ipse proprium argumentum solvere tenetur; quia certum est hominem ex eo titulo excusari, quem ille putat nullam excusationem afferre. Non ergò est sophisma dicere, legem non esse mihi sufficienter promulgatam, quando ego illam invincibiliter ignoro, quidquid sit an aliis sufficienter promulgata sit nec ne, quia aliud est legem esse promulgatam communitati, aliud illam huic determinato subdito esse promulgatam; hæc enim sunt separabilia, ut patet. Præterea falsum est, quòd non agatur de me, sed de omnibus, quia quæritur an ego, qui sequor opinionem probabilem, & qui ex ignorantia invincibili legis operor, excuser nec ne? dicimus autem me excusari, quia lex mihi non est sufficienter promulgata; hoc enim est quod me excusat, ad quod impertinens est, quòd aliis sit, vel non sit sufficienter promulgata, ut patet. Est quidem verum, carentiam promulgationis aliis omnibus factæ multis in casibus efficere, ut lex me non obliget, de quo paulò post ex professo tractandum erit, sed hoc non impedit, quò minùs ego ex hoc capite excuser, quod lex mihi non innotuerit sed invincibiliter me lateat, etsi maxima reipublicæ pars illam sciat.

Leges pro-

46. Itaque ad dilemma in fine objectionis propo-

babiliter nõ existentes non sunt sufficienter promulgatæ.

propositum respondeo, & dico, leges, de quibus probabile est quòd non dentur, non esse sufficienter promulgatas illis, apud quos post omnem diligentiam adhibitam probabile est, quòd non sint. Quòd si hæc probabilitas sit universalis apud omnes, ut in plurimis quæstionibus controversis evenit, tunc leges, si quæ cusæ fuerint circa talia objecta, nulli sunt sufficienter promulgatæ. Ratio est perspicua, quia superior aut legislator non sufficienter exprimit mentem suam subditis, nec eos sufficienter alloquitur, quando aut nulla signa locutoria ponit, aut certè talia tantùm exhibet, quæ post omnem industriam adhibitam plurimis peritissimis ac probis persuadent, eum nunquam voluisse suos subditos obligare, quæque apud omnes ita prævalent, ut uno ore fateantur rem esse valdè incertam, & negari non posse, quin probabile sit, quod noluerit eos obligare, etsi apud aliquos sit æquè probabile, aut etiam paulò probabilius oppositum. Porrò ratio quæ probat legem non esse sufficienter promulgatam respectu ullius, quando datur universalis probabilitas de illius non existentia, æquè probat eandem non esse sufficienter promulgatam respectu eorum, quibus, post omnem diligentiam in veritate investigandâ adhibitam, probabile est, quòd non detur. Neque hinc sequitur, quod Celladeus infert; quamvis enim mihi promulgari non sit promulgari adæquatè, est tamen inadæquatè promulgari, quia adæquatissima promulgatio non est illa, quæ fit pro omnibus, sed quæ verè fit omnibus. Cæterum promulgatio simpliciter dicta est quæ fit pro omnibus, & ita actu fit aliquibus, ut per illos legis notitia ad alios omnes pervenire possit. Ergò tam necesse est, promulgationem mihi factam esse promulgationem inadæquatè sumptam, quàm est, me esse membrum totius reipublicæ pro qua lex fertur. Nulla ergò implicatio sed necessaria connexio reperitur inter istos terminos, *promulgari & mihi.*

Adæquata promulgatio est quæ fit non solùm pro omnibus, sed omnibus.

Argumentum retorquetur.

47. Interim Celladeus ipse suo dilemmate premitur, quia quæro, an leges sint vel non sint sufficienter promulgatæ quoad nos, quando est positivè probabile quoad nos, quòd non dentur, seu quando habemus motivum par aut majus eo motivo, quod ipse appellat probabile verum, reale, & quoad se, quando est verum. Si primum: ergò nemo excusatur sectando opinionem falsam, etsi probabilissimam quoad nos, quia qui violat legem sibi sufficienter promulgatam, haud dubiè peccat. At excusatur per Celladeum. Ergò lex non est illi sufficienter promulgata. Ergò si consequenter loqui velit, debet dicere secundum, ac fateri leges ejusmodi non esse sufficienter promulgatas quoad nos. At hoc concesso, habemus intentum, quia tales leges non sunt sufficienter promulgatæ simpliciter, quia ipso etiam fatente, idem est promulgari & non promulgari simpliciter, ac promulgari ac non promulgari quoad nos, his positis.

Prima pars objectionis etiam retorquetur.

48. Respondeo ad primam partem objectionis, & dico, eam ab ipso Celladeo solvendam esse in casu, quo unus aliquis solus haberet demonstrationem aut revelationem de lege, quando apud omnes alios probabilissimum esset quoad nos, quòd talis lex non daretur. Peto enim, an in eo casu liceret vel non liceret operari & consulere contra propriam scientiam, & revelationem propriam, sicut licitum erat ante, quando ante demonstrationem inventam, errore communi quoad nos probabilissimo deceptus erat. Certè si lex non erat (sicut haud dubiè non erat) sufficienter promulgata, quando omnes errore quoad nos probabilissimo decepti credebant illam non dari, fieri nequit, si Celladeo credimus, ut illa per meam privatam scientiam sufficienter promulgetur. Ergò adhuc non est promulgata sufficienter. Ergò adhuc licet contra eam agere, non obstante privatâ meâ certitudine, nisi legislator speciali voluntate velit me obligare. Argumentum exemplo secretarii scribentis legem nondum promulgatam corroboratur. Itaque Celladeus ipse æquè urgetur hoc argumento, ac nos.

Quæritur quodnam materiæ legis naturalis objectum promulgatum illas.

49. *Cæterum nulla est difficultas in argumento, si legem naturalem à positiva, & positivam* divinam ab humana pariter positiva distinguamus; quia diversæ promulgationes in illis requiruntur & sufficiunt, ut obligent. Inprimis quod ad legem naturæ attinet, illa per se loquendo non aliter promulgatur, quàm per lumen naturæ singulis inditum, ut per se constat, & jam dictum est. Talis autem promulgatio potissimè respicit personam, cui lex innotescit; fit enim illi directè, & non nisi indirectè ac mediatè aliis per ipsum. Unde quotiescumque aliquis habet demonstrationem aut revelationem, quod aliquid sit malum, & jure naturæ prohibitum, lex naturalis sufficienter illi promulgatur, illique expressè applicatur, ac proinde expressam ab eo obedientiam postulat; quidquid sit de aliis, quia statim constat Dei voluntatem esse, ut ipse obediat. Itaque haud dubiè peccaret, qui contra talem demonstrationem aut certitudinem operaretur, quia violaret legem certò cognitam & pro se factam, sibique sufficienter intimatam ac promulgatam. Et sanè quod hæc sola sit connaturalis promulgatio legis naturalis non solùm constat ex naturali hominis constitutione, qui per vim intellectûs sui assurgere debet ad sciendum, quid Deus ab ipso exigat, sed colligitur etiam ex modo, quo Deus ipse allocutus est pŏpulum Israëliticum, quando Decalogum, in quo lex naturalis continetur, illis observandum præscripsit; non enim dixit in communi omnibus. *Nemo vestrum occidat &c.* sed singulos singulariter allocutus est, dicens: *non occides &c.* in qua communi legis naturalis promulgatione eandem singulis de illa notitiam, eodemque proportionaliter modo indidit, quam omnes & singuli vi luminis naturalis acquirunt, in qua primum est, quòd mihi hoc malum prohibeatur, ac deinde ex collectione talium notitiarum, completa & adæquata legis naturalis promulgatio componitur. Et sanè quando loquimur de primis principiis juris naturalis, ipso naturæ ductu non aliter illa exprimimus, quàm per phrasim, quâ unicuique singulariter prohibetur, ne tale quid faciat. Sic dicimus hanc esse universalissimam naturæ legem, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Itaque si sermo sit de jure naturali, certum est, sequelam objectionis esse nullam.

Adæquata legis naturalis promulgatio in quo constat.

Lex divina obligat omnes simul ac illis in particulari manifestatur.

50. Quod si sermo sit de lege divina positiva, quam Deus per seipsum immediatè, aut certè per Angelos & Prophetas nomine Dei loquentes tulit, idem prorsus dicendum est, quod dictum est de lege naturali; quia etsi Deus per tales leges intendat obligare omnes, ita tamen fertur in omnes, ut æquè directè feratur in singulos, velitque non solùm omnes in communi, sed singulos in particulari obligare, idque indepĕdenter ab eo, quòd alii obligĕtur, aut per accidens non obligentur. Ratio est, quia quæ Deus per seipsum immediatè præscribit, ita proponit, ut nemo possit prudenter dubitare, quin velit ea à me, modò sciam eum talia præscripsisse, etsi mihi constet illum per accidens ea hîc & nunc

& nunc ab aliis non exigere, eò quòd illi invincibiliter ignorent ipsius voluntatem. Ratio est quia Deus, utpote supremus ac undique infinitus legislator, non frustra manifestat suam voluntatem obligatoriam alicui particulari; sed ideo, ut ille peculiariter ac immediatè obedientiam præstet, atque alios pro sua facultate legem doceat, ut sic illi etiam divinis legibus obediant. Nec mirum id videri debet, quia Deus, utpote supremus ac sapientissimus legislator, nil præcipit nisi quod omnibus & singulis expediens est, quodque proinde à singulis non minùs exigit, quàm ab omnibus; quia sic coli vult à singulis, ut obligationem hujus cultûs à nullius, etiam aliorum omnium, malitiâ impediri velit. Atque hinc est, quod Deus per leges à se latas strictè obliget omnes ad obtemperandum, quamprimùm illis voluntatem suam manifestavit.

Lex humana non obligat quemquam, nisi postquam solemniter promulgatur.

51. At de lege humana alia longè est ratio, quia cùm potestas legislativa humana sit limitata, & legislatores ipsi in rebus præscribendis errare possint, locus datur variis præsumptionibus, & exceptionibus, quæ respectu Dei locum non habent. Præterea leges humanæ formari ac ferri debent juxta præscripta & consuetudines illas ferendi. At & præscripta & consuetudines postulant, ut illæ solemniter promulgentur, antequam obligent. Unde aut certò constat, aut certè rationabiliter præsumi potest, legislatores humanos neminem obligare velle nisi consequenter ad solemnem promulgationem; & consequenter constat, neminem ex privata scientia de lege condita ad illam observandam obligari, si constiterit, eam solemniter promulgatam non fuisse.

Unusquisque ab initio post promulgationē legis tenetur sequi propriam demonstrationem de sensu illius.

52. At si sen el constiterit, legem humanam promulgatam fuisse, & postea oriatur difficultas de sensu legis ac mente legislatoris, atque utraque contradictionis pars sit hinc inde probabilis, quæri potest, an in eo casu liceat operari contra propriam scientiam ac demonstrationem de mente legislatoris? & sanè argumentum Celladei nullam habere videtur difficultatem extra hunc casum, ad quem dico, si ab initio legis promulgatæ ego habeam demonstrationem aut certitudinem de mente legislatoris, aut de sensu legis, haud dubiè tenebor ad legem, etsi prævideam alios fortasse nullam talem certitudinem habituros, sed hinc inde contraria probabiliter judicaturos. Ratio est, quia in eo casu præsumi non potest, quòd legislator nolit me obligare, cùm mens ipsius mihi certò innotescat, nec ulla appareat sufficiens ratio, ob quam meritò præsumere possim, quod hìc & nunc mecum dispensare velit; quin potiùs exigit, ut ego obediam, & aliis meam demonstrationem communicem, ut & ipsi debitam legi ac legislatori obedientiam præstent. Præterea cùm lex sit lata ac promulgata, dubium non est, quin mens legislatoris sit, ut in subditorum dubiis exortis veritas quantum potest investigetur, & si certò inveniatur, ut juxta illam subditi operentur. Tenebuntur ergò in hoc casu ad propriam opinionem, nec contra illam agere licebit. At è contrario, si incertitudo hæc diu perseveraverit, & ex contraria illa probabilitate factum sit, ut cives putaverint se ad talem sensum non esse obligatos, atque ideo per consuetudinem diuturnam legem in eo sensu non observaverint, atque totum hoc factum sit, legislatore vidente ac tacente, atque legis suæ executionem quoad hæc non urgente, tunc lex per consuetudinem toleratam cessat quoad talem sensum illius, sicut cessat simpliciter, quando diu non observatur, etsi ab initio malâ fide & peccaminosè observata non fuit. Unde sicut per meam peculiarem demonstrationem lex non reviviscit, ita per eam non obligor, quia deest vis legis obligantis, quæ per talem scientiam applicetur; atque ideo tunc licebit contra privatam illam scientiam agere, sicut licebat antea, quia independenter ab ea, & antecedenter ad eam lex obligans ad talem sensum ex desuetudine abolita erat, quæ proinde non reviviscit per meam privatam scientiam; sed neque reviviscet per publicam declarationem, qua Princeps declararet, se antea talem voluntatem habuisse, nisi iterum legem suam reiteraret, atque executionem prioris legis in hoc etiam sensu urgeret.

Legislator humanus potest obligare singulos per privatam notitiam legis.

53. Cæterùm licèt res de facto hâc ratione se habeant, tamen fieri potest aliter etiam in legibus humanis, quia legislator humanus, condens legem pro tota communitate, potest ita exigere obedientiam singulorum, ut velit eam à singulis dari, statim ac ipsis ejus voluntas sufficienter intimata fuerit. Tunc enim ita se gereret, sicut diximus Deum in suis legibus se gerere. Et sanè in tali casu secretarius ipse statim obligaretur, sicut & Prætor, cui legem illam mitteret, ut illam publicè promulgaret; quia tunc privata notitia esset promulgatio, quam legislator vellet sufficere, ut lex privatum hominem afficeret. Itaque in tali casu promulgatio & privata notitia non essent termini sibi contradicentes, sed maximè pertinentes, ut patet. Ex his ergò patet, quâ ratione, & in quibus legibus liceat & non liceat agere & consulere contra propriam scientiam & certitudinem. Similiter ex dictis constat, quando, & in qua lege, privata scientia sit vel non sit promulgatio seu applicatio legis ipsi scienti ad hoc, ut illa mediante teneatur, vel non teneatur ad obedientiam. Uno verbo constat, sequelam Celladei nullum locum habere in lege divina, in lege autem humana non semper locum habere, sed solùm aliquando. Proinde falsum est, quod universaliter dicit, sequelam esse contra omnes; non enim est contra quemquam, quod sciam, nisi in casibus à me exceptis, in aliis verò admittitur, quia non habet majorem absurditatem, quàm in casu secretarii scribentis legem, quia eadem est ratio in utroque casu, cùm in utroque casu privata illa scientia non sit promulgatio legis, sicut est in aliis casibus.

Objectio 5.

54. Ob. 5. Si legem probabiliter non existere, & eam non esse sufficienter promulgatam, essent necessariò connexa, omnis tractatus de rebus ejusmodi esset vitiosus; quia nemo quærit, an leges non sufficienter promulgatæ obligent? scitur enim illas non obligare. Secundò non liceret dicere quidquam ejusmodi esse peccatum, quia scitur nil esse peccatum, quod est contra leges non sufficienter promulgatas. At omnes contrarium dicunt, & faciunt. Non ergò credunt leges prædictas non esse sufficienter promulgatas. Tertiò ex hac doctrina omnis ferè speculatio moralis redditur inutilis, quia tota fermè est de similibus quæstionibus. Ergò essemus sicut in legibus non satis promulgatis, de quibus nemo curat. Quartò materia moralis plerumque non est certa, sed solùm probabilis, ut omnes fatentur cum Aristotele *in principio Ethic.* & experientia testatur. Ergò si in talibus sumus in non promulgatione, possemus unâ vice hoc unum statuere, & omnem moralem scientiam tollere, quia nemo tenetur servare leges non satis promulgatas. Itaque

que dicendum quòd Deus satis superque promulgârit legem suam, *multifariam, multisque modis olim loquens patribus in Prophetis, novissimè autem nobis etiam locutus in Filio*, quam legem per universum mundum primùm Apostoli, mox alii prædicârunt, quamque Concilia, Romani Pontifices, SS. Patres, & Theologi declarârunt. Porrò hæ leges jam satis promulgatæ & consequenter obligatoriæ, singulorum cognitionibus applicantur singulis non promulgantur, quia sua cuique ratio est regula subordinata & applicans. At hæc propria cujusque ratio in plurimis est solùm probabilis. Ergò ratio probabilis est regula applicans. Ergò ligat. Porrò dicere, rationem probabilem, quâ aliquid videtur esse malum, non obligare, simulque asserere, certitudines rarasesse, est totam Dei legem in rebus controversis, totamque moralem Theologiam interimere, maximè si non promulgationis & non acceptationis exempla teneant. Ita Celladeus §. 4.

Doctrina reflexa non reddit tractatum de moralibus inutilem, sed præsupponit eum præcessisse.

55. Respondeo argumentum hoc fundari in æquivocatione ac confusione considerationis directæ ac reflexæ; cùm tamen nos in præsenti potissimè disputemus de consideratione reflexa. Inprimis ergò dico, sicut scimus, legem non promulgatam non obligare, ita etiam reflexè scimus, legem probabiliter non existentem non obligare, quia per hoc ipsum constat, quod non sit satis promulgata; neque de hoc secundo est major quæstio, quàm an lex non sufficienter promulgata obliget; sicut enim hoc semel scitum de lege aufert omnem quæstionem in posterum; sic etiam cùm semel post omnem diligentiam adhibitam constat probabile esse, quòd lex non existat, eo ipso scitur, quòd non obliget, quia reflexè scimus, talem legem non habere vim obligandi, idque ex variis titulis, nominatim autem quia non est sufficienter promulgata. Et sanè nemo ignorat, assertionem hanc esse adeo contestatam & certam apud omnes, ut nemo Catholicorum, præter unum Celladeum, de illo dubitaverit, maximè si sermo sit de majori probabilitate directâ. Eadem porro est ratio de pari & minori probabilitate directâ, ut sæpè ostensum est. Nec inde sequitur, tractatus de rebus moralibus esse inutiles, immò contrarium sequitur, quia etsi quæstio reflexa jam sit finita ac determinata, tamen illa locum non habet, nisi directa veritatis investigatio præcesserit, ut sæpè & fusè ostensum est *in hoc tractatu*.

Objectio confundit considerationem directam cum reflexâ.

56. Ad secundum, eadem responsio locum habet; quia si reflexè procedamus, nemo meritò dicit illud esse peccatum, cujus honestas est certò probabilis, tantumque abest, ut omnes contrarium dicant, prout Celladeus asserit, ut notorium sit, nec Celladeum ipsum lateat, quòd omnes uno ore contrarium & supponant, & dicant, & probent. Certum enim est, quòd omnes Auctores benignæ sententiæ non solùm negent, illud esse peccatum, si conscientia formetur juxta præscriptum illius, sed insuper unanimiter docent certum esse, quod non sit peccatum, nisi fortè solùm materiale, quod nemini imputari potest. At Auctores benignæ sententiæ non sunt unus aut alter, sed omnes omnino, dempto Celladeo qui neminem ex Catholicis allegare potest, qui cum ipso & in sensu ipsius doceat, nullam probabilitatem, ne quidem majorem sufficere, ut sequens talem opinionem excusetur à peccato. Itaque Celladeus hîc etiam confundit considerationem reflexam cum directâ; nam Auctores, qui in directa consideratione dicunt aliquid esse peccatum, iidem in consideratione reflexa absolutissimè per sententiam finalem enunciant oppositum, atque multi expresse idipsum per hoc demonstrant, quòd ex consideratione supra probabilitatem directam de honestate operis sciant, legem aut non existere, aut certè sufficienter promulgatam non esse.

57. Ad tertium, eodem modo hîc etiam æquivocat Celladeus, cùm ea transferat ad considerationem reflexam, quæ solùm directæ conveniunt. Præterea, etsi magna Moralis scientiæ pars sit solùm de probabilibus, magna tamen pars istorum ita est probabilis, ut oppositum non sit probabile, & in tali casu scientia moralis necessaria est, atque etiam obligat, cùm nil sit, quod excuset. At si sermo sit de utrimque probabilibus, quæ post omnem diligentiam (ad quam impendendam tenentur Auctores) manent probabilia, tunc recurrendum est ad principia reflexa, & per illa semel pro semper statuimus, talia objecta esse licita, quia in illis versamur sicut in materia legum non satis promulgatarum.

Eadem ratio hoc argumentum vocatio à tot.

58. Deus ergò & olim & nunc etiam suas leges ita promulgavit, partim per se, partim per Prophetas, & demùm partim per Filium, ut illæ sufficienter promulgatæ fuerint communitati pro omnibus, non tamen omnibus & singulis, quibus tamen promulgari debent, ut iis obligentur. Ratio hoc evincens est, quia alioquin nemo invincibiliter ignoraret legem, quia invincibilis ignorantia manifestè supponit carentiam debitæ promulgationis. Jam quod dicitur de Apostolis, Conciliis, Pontificibus, Patribus, & Theologis has leges declarantibus non satisfacit, quia id verum est, solùm de pluribus, non de omnibus, quia post omnem prædicationem Apostolorum, post omnem Ecclesiæ, Pontificum, Patrum, & Theologorum declarationem, innumera manent incerta, & aut utrimque probabilia, aut certè solùm probabilia ex parte excusante à peccato, & in illis tantùm dicimus, leges ea vetantes aut non existere, aut sufficienter promulgatas non esse, quod est verissimum.

Deus sufficienter per se & suis ministris promulgat leges suas pro omnibus, solum semper omnibus.

59. Nec magis urget quod dicitur, leges promulgatas singulorum cognitionibus applicari singulis, non autem promulgari; nemo enim id in dubium vocat, cognitio enim subditorum de lege obligante non est activa, sed passiva promulgatio legis, seu mera legis obligantis applicatio. Verùm nil inde contra nos infertur, quia cognitionem illam nec dicimus esse activam legis promulgationem, nec eo nomine eam appellamus, etsi vocemus illam promulgationem passivam, quia est proprius effectus promulgationis, sicut auditio est proprius effectus locutionis. Cæterùm eadem prorsus est ratio de non-applicatione ac de non-promulgatione legis, quia lex non sufficienter applicata non magis obligat, quàm lex non sufficienter promulgata. Imò hæc applicatio legis est proprium correlativum promulgationis; promulgatio enim, ut benè notat Celladeus, non est res absoluta, sed relativa & quoad nos, ideoque nil potest esse promulgatio, quod non sit signum efficaciter manifestativum voluntatis superioris. Itaque quoties invincibiliter deest cognitio applicans legem, toties deest promulgatio legis, quia deest signum efficaciter manifestativum ipsius, ut patet. Quod verissimum est tam respectu singulorum, quàm communitatis, quia sicut communitas non obligatur nisi lex sit ipsi sufficienter promulgata, ita nec homo particularis obligatur per legem, quæ non est ipsi sufficienter promul-

Non applicatio legis infert non promulgationem ipsam.

promulgata, seu applicata, quia applicatio illa est effectus necessarius legis sufficienter promulgatæ.

Motivum probabile de lege non obligâte, non destruit Theologiâ moralem.

6. Denique verum non est, quòd totam Theologiam interimat, qui simul dicit, certitudines in rebus moralibus esse paucas, & motivum probabile, quo aliquid videtur malum, non obligare contra motivum probabile dictans oppositum; nec enim speculationem directam nec reflexam interimit. Non reflexam, quia super hunc ipsum casum reflexè disputat, & veritatem quæstionis propositè determinat in partem libertati faventem. Non directam, quia illa præsupponitur ad hanc reflexam; ut sæpè dictum est. Porrò quamvis materiæ morales secundùm considerationem directam, sint plerumque incertæ ac controversæ, eædem tamen sumptæ secundùm considerationem reflexam, facilè reducuntur ad certitudinem, quod idem dictum volo de lege tam divina quàm humana; quamdiu enim directè loquendo, post omnem industriam probabile est legem non dari toties reflexè certum est, quòd non obliget. Neque hoc est interimere leges controversas, sed solùm scire tales leges aut non existere, aut certè hîc & nunc non obligare, quia non sunt sufficienter promulgatæ. Irritus ergò est totus Celladei conatus in hac quæstione.

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-QUARTA.

Vtrùm reflexè verum sit, quòd omne probabile sit licitum?

1. SYLLOGISMUM hunc reflexum: *omne probabile est licitum. Hoc est probabile. Ergò hoc est licitum:* fusè examinat Celladeus *lib. 3. quæst. 9.* cumque dicit esse verissimum, ac legitimum, si intelligatur de probabilitate probante, positiva, ac reali; quam ipse antea definivit; sed si intelligatur de probabilitate merè apparente, & nominatim de probabilitate opinionibus contradictoriis tribui solitâ, aut de probabilitate, quam communis opinio dicit sufficere, contendit syllogismum hunc quàm plurimis vitiis laborare. Itaque meum erit sensum syllogismi illius exponere, veritatem ac bonitatem ejusdem declarare, Celladei objecta diluere, atque ejusdem errores, quos in hac quæstione reperi, datâ opportunitate, detegere.

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit, legitimum sensum syllogismi allati exponere, ut sic omnis in disputando æquivocatio tollatur.

Sensus syllogismi allati exprimitur.

2. AUCTORES benignæ sententiæ, qui unanimiter asserunt syllogismum istum esse bonum, expresè restringunt sensum illius ad probabilitatem practicam, eamque non apparentem aut dubiam, sed veram & certam, ut sæpè dictum est. Hoc posito sensus syllogismi est iste, *Omne objectum, cujus honestas directè considerata est nobis certò probabilis, illud, omnibus circumstantiis etiam reflexis consideratis, est absolutè nobis licitum. Hic contractus est objectum, cujus honestas directè considerata est certò nobis probabilis. Ergò hic contractus, omnibus circumstantiis etiam reflexis consideratis, est absolutè nobis licitus.* Hic est genuinus sensus hujus syllogismi reflexi. Quòd si Celladeus id neget, ex hoc falsitatis convincetur, quod nos contenti erimus, si illum in hoc sensu concedat esse legitimum. Cæterùm Celladeus hoc loco non eâ, qua par est, claritate loquitur, nec satis exprimit syllogismum hunc esse vel non esse reflexum, cùm tamen manifestè procedat in sensu reflexo, in quo objectum, quod directè consideratum est probabiliter licitum, sumitur relatè ad novas circumstantias (ut tum *in hoc opere*, tum *in tract. de consc. prob.* sæpè ostensum est) & enunciatur esse nobis licitum prout subsistat illis, de quo mox plura.

ASSERTIO SECUNDA.

Præmissæ dicti syllogismi sunt probabilissimæ; imò moraliter certæ. Illatio est legitima.

Veritas majoris stabilitur.

3. PROBATUR. Major syllogismi probatur ex iis omnibus, quæ allata sunt tum in præsenti opere, tum *in tract. de consc. prob. à quæst. 19. usque ad 24.* Ratio à priori est, quia objectum, quod directè consideratum est probabiliter tantùm honestum, sumitur jam in reflexa consideratione, prout subsistat novis circumstantiis, nempe prout post omnem diligentiam adhibitam, nulla lex prohibens reperiri potuit, objectum autem haud temerè sed rationabiliter creditur esse honestum. Hinc autem certò constat, talem legem aut non existere, aut certè non esse sufficienter nobis promulgatam & applicatam. Rursus sequitur legem illam, si fortè existat, invincibiliter ignorari. Similiter constat eosdem penitus actus esse in voluntate & intellectu, sive erremus, sive non erremus, & alia multa constant, de quibus locis citatis fusè egimus, ex quibus morali saltem quâdam certitudine infertur, objectum illud in istis circumstantiis esse licitum, ac sine peccato formali poni posse. Haud dubiè enim non peccat, qui aut nullam legem violat, aut non transgreditur nisi legem non sufficienter promulgatam & appli-

& applicatam. Non peccat, qui facit opus prohibitum, quando invincibiliter credit illud esse licitum. Non peccat, qui quando errat, elicit eosdem planè actus in intellectu & voluntate, quos elicit, quando non errat sed honestè operatur; impossibile enim est ex duobus in intellectu ac voluntate eodem prorsus modo dispositis, unum peccare, alterum non peccare, sed benè operari. Hæc & alia hisce similia moraliter saltem certa sunt. Ergò major dicti syllogismi, quæ hæc affirmat, est saltem moraliter certa.

Summa probabilitas ejusdē majoris aliunde probatur, illa autem sufficit.

4. Cæterùm quamvis major non esset moraliter certa & evidens, sufficeret, si esset adeo probabilis, ut post omnem diligentiam adhibitam moveret intellectum non temerè judicantem ad assensum sui, licèt fortè contingeret objectum illud directè consideratum non esse verum. Ratio est, quia qui taliter judicaret, aut verum diceret, aut certè invincibiliter erraret. Ergò qui regularetur à tali judicio non peccaret, sed benè operaretur, etsi primum judicium esset erroneum. Atqui major illa reflexa talis est, ut post omnem diligentiam adhibitam, omniaque in utramque partem examinata, nobis videatur probabilissima & verissima, quamvis hæreamus circa honestatem ejusdem rei directè consideratæ, & dubitemus, an sit probabilior ejusdem inhonestate. Nec mirum hoc videri debet, quia rationes reflexæ efficaciores sunt ad probandam honestatem objecti in circumstantiis, circa quas reflexa consideratio versatur, quàm rationes directæ ad ejusdem honestatem comprobandam in illis circumstantiis, quæ directæ considerationi obversantur. Certè rationes reflexæ tanti ponderis fuerunt, ut attraxerint omnes ad asserendum illud omnibus consideratis esse licitum, quod juxta considerationem directam ab illis aut habebatur illicitum, aut certè non magis apparebat licitum, quàm illicitum; atque ideo unanimiter docuerunt, licitum esse sequi opinionem non solùm probabiliorem, sed etiam æquè aut minùs probabilem. Hoc autem apertè demonstrat, honestatem ejusdem objecti esse probabiliorem in consideratione reflexa, quàm sit in directa. At major syllogismi supponit objectum directè consideratum esse probabile. Ergò idem objectum reflexè consideratum est longè probabilius honestum, quàm est in consideratione directa. Ergò major allati syllogismi, affirmans honestatem ejusdem in consideratione reflexa, est longè probabilissima, & multò probabilior, quàm propositio directa ejusdem honestatem affirmans, quod notandum est ad sequentia.

Minor syllogismi est evidens.

5. Similiter minor dicti syllogismi est certa & evidens, quia supponimus certò constare, contractum illum habere omnia, quæ includuntur in definitione rei probabilis, alioquin minor illa de tali objecto non procederet; quia benigna sententia, quæ agit de regula prudenter eligibili, solùm loquitur de certò probabilibus. Itaque præmissæ sunt, quales affirmantur in assertione. Ergò sunt non solùm probabilissimæ, sed etiam moraliter certò veræ. Conclusio autem ipsa ritè infertur. Ergò totus syllogismus & bonus est, & certò verus.

ASSERTIO TERTIA.

Celladeus non rectè proponit quæstionem præsentem. Præterea in eâdem impugnanda inconsequenter discurrit.

Celladeus non rectè proponit quæstionem.

6. PROBATUR prima pars. Celladeus generalissimè proponit, *an omne probabiliter honestum sit licitum ?* & quærit, utrùm hoc solùm sufficiat, ut ejusmodi objectum citra peccatum ponatur, supponendo propositionem illam esse universalem, & ad omne genus probabilitatis extendi, scilicet tam certæ quàm probabilis, tam secundùm esse, quàm secundùm dici, tam realis quàm apparentis. Certè argumenta ipsius expresse impugnant syllogismum in hoc sensu acceptum. Ergò ille syllogismum, quem impugnat, in dicto sensu accipit. Verùm hoc est aërem verberare, apparenter pugnare, sed reipsâ neminem impetere; quia nemo dictum syllogismum in tam amplo sensu approbat. Itaque sensus quæstionis est longè alius, nempe, *utrùm omne probabile homini probabiliter & sine negligentia culpabili opinanti illud esse licitum, omnibus consideratis, sit ipsi licitum ?* Hoc est, quod nos asserimus esse licitum, quodque in majori allati syllogismi affirmatur. Verùm argumenta Celladei non impugnant syllogismum in hoc sensu, ut mox patebit. Ergò non rectè proponit quæstionem, quam impugnandam suscepit.

Discurrit inconsequenter in eam impugnando.

7. Probatur secunda pars, quæ sequitur ex prima. Celladeus *in hac ipsa quæst.* expresse admittit totum syllogismum esse verissimum, si sermo sit de probabilitate probante, reali, & positiva. At negat illum esse verum, si sermo sit de probabilitate, quam auctores benignæ sententiæ dicunt sufficere, ut quis per eam consurgat ad conscientiam excusantem debitè formandam. At hoc dicitur inconsequenter, quia omnis ejusmodi probabilitas est vera, realis, positiva, probans & urgens; immò nulla ejusmodi probabilitas distinguitur à probabilitate, quam ipsemet Celladeus definit, ac proponit tanquam regulam sufficientem ad excusandum operantem à peccato, uti non solùm constat ex dictis *quæst. 37. 38. 39.* sed etiam ex eo convincitur, quòd omnes fermè Auctores benignæ sententiæ unanimiter dicant, solam probabilitatem veram & realem ac certò talem certò excusare. Ita autem definiunt hanc probabilitatem, totque exceptiones & conditiones ponunt, ut aliquid sit verè probabile, ut impossibile sit, talem apparentiam non esse positivè ac vehementer probativam, ac impulsivam ad assensum, ut evidenter constat ex iis, quæ latè tradidi *in tract. de consc. prob. à quæst. 2. usque ad 6. inclusivè.* Itaque Celladeus reipsâ inconsequenter loquitur, qui de una eademque probabilitate idem negat, quod de eadem antea affirmaverat. Verum quidem est, ipsum prætendere probabilitatem ab Auctoribus benignæ sententiæ propositam toto cœlo discrepare à probabilitate, quam ille definit; sed toto cœlo aberrat, cùm nulla prorsus inter utramque sit differentia, ut constat ex dictis. Itaque illud ex suis principiis infert, cujus oppositum inferri poterat ac debebat, quod reipsâ est inconsequenter loqui, quamvis si termini accipiantur in sensu, quem ipse illis indebitè affingit, inconsequentiæ hoc loco argui non possit.

SOLVUN-

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1. 8. OBJICIES primò. Syllogismus iste formatur sive ullâ distinctione probabilitatis, ita ut major propositio omnem prorsus probabilitatem includat. At major in tali universalitate non est vera. Certè S. Augustinus dicit, eam in tali universalitate sumptam esse optimo cuique metuendam; imò expresè jurat, se prorsus nescire, quomodò, eâ admissâ, adulterium sit peccatum. Secundò, esto, major sit vera de probabilitate vera ac reali, certè non est vera de probabilitate solùm apparenti & sophisticâ; talem enim probabilitatem pro suis dogmatibus habent etiam hæretici. Tertiò, non est vera de probabilitate opinionibus dari solitâ, id est de propositionibus non notatis ac censuratis, quia omnes contrarium unanimiter tenent. Quartò, non est vera de probabilitate negativa, quæ consistit, aut in mera argumentorum solutione, aut in argumento ad hominem, quia Auctores classici negant hanc probabilitatem sufficere, cùm afferant ad probabilitatem requiri fundamentum grave. At non est fundamentum grave pro una parte probare, quod non sit argumentum concludens aut sufficiens pro parte opposita. Quintò itaque major restringi debet ad probabile fundatum in auctoritate ac ratione gravi, in quo sensu est verissima. Ergò probabile fundatum in ratione ac auctoritate levi non sufficit. Ergò imperiti syllogismo isto uti non poterunt, qui nequeunt discernere an ratio vel auctoritas sit gravis vel levis, & consequenter non possunt formare minorem, ut inferant consequentiam. Et hæc omnia sunt probata. Ita Celladeus §. 1.

Variæ exceptiones Celladei contra dictum syllogismū.

Responsio ad primum. Respondeo inprimis, argumenta hęc ne quidem apparenter impetere majorem, si sumatur in sensu legitimo ab Auctoribus intento, quemque nos *num.* 2. exposuimus. Itaque omitti possent ut ad rem non facientia, sed juvat ad singula respondere. Respondeo ergò secundò, Celladeum de his omnibus fusè egisse in superioribus, verùm illa non probavit, sed in omnibus, quæ ad rem faciebant, erravit, ut ostensum est. Inprimis locus Augustini non est ad rem, ut ostendi *quæst.* 25. neque enim probabilitas, de qua ille loquitur, similis est probabilitati, de qua loquuntur Auctores benignæ sententiæ, ut ex dictis ibidem evidenter demonstratum est.

Responsio ad secundū & tertium. 9. Secundò, probabilitas, de qua nos loquimur, non est sophistica & ficta, sed vera & realis, nec hæretici talem habent, aut habere possunt pro suis falsis dogmatibus; quæ omnia probata sunt in superioribus, ubi etiam ostendimus errores & defectus, quos Celladeus commisit in æquanda probabilitate hæresum cum probabilitate opinionum, quas Catholici Auctores gravissimi unanimiter admittunt esse probabiles.

10. Tertiò, quod dicitur de probabilitate negativa, est de subjecto non supponente; nec enim Auctores communiter docent, talem probabilitatem (quæ non est probabilitas nec tali nomine meritò insignitur) universaliter sufficere ad licitè operandum, immò nunquam volunt, ut illa directè sufficiat, quia illa per se ad judicium rationabiliter formandum non sufficit. Quod si aliquando juvet, est solùm indirectè, quatenus sæpè reddit legem dubiam, & aliunde scitur, quòd in dubio insuperabili legis lex non obliget.

Responsio ad quartum. 11. Quartò, laudandus est Celladeus, quòd rationem vel auctoritatem gravem ad conscientiam debitè formandam sufficere dicat; sed illicò sequitur ex hoc ipso, totum illius conatum esse irritum, quia nos alterutrum semper exigimus; nec dubium, quin verè gravem requiramus, quia tot requirimus ad rationem & auctoritatem gravem, ut si quæ ratio vel auctoritas illa habeat, non possit non esse gravis. Sed de hoc plura in sequenti objectione. Interim falsum est, quod imperiti seu scientiæ moralis parum periti distinguere nequeant, quæ sit ratio & auctoritas gravis; contrarium enim ostensum est *quæst.* 17. & alibi sæpè, ubi fusè de hac re contra Celladeum egi, simulque ostendi, quomodò non solùm mediocriter periti, sed etiam maximè idiotæ uti possint syllogismo allato, atque minorem certò subsumere, & conclusionem legitimè inferre. Videantur dicta locis citatis, si memoriæ legentium non occurrant.

Objectio 2. 12. Ob. 2. Admissâ majori, si illa intelligatur de probabilitate fundata in ratione vel auctoritate gravi, quia in eo sensu negari non potest, difficultas adhuc superest in minori, quia illa juxta mentem adversariorum in quæstionibus hinc inde probabilibus æquè formari potest pro utraque parte contradictionis. At impossibile est, ut minor illa subsumatur pro utraque parte contradictionis, quia impossibile est, ut utraque pars contradictionis sit probabilis probabilitate conscientiæ, aut habeat pro se rationes & auctoritates graves, sive in se, sive quoad nos, uti demonstratum est in superioribus. Præterea altera contradictionis pars est falsa. Ergò rationes illi parti faventes aut falsæ sunt, aut certò conclusio ex illis non deducitur. At rationes falsæ, quæ videntur & non sunt veræ, item rationes veræ, ex quibus conclusio videtur sequi, & non sequitur, sunt fundamenta purè sophistica & delusoria tam quoad se, quàm quoad nos. At sophistica non est regula morum. Ergò nec probabile in sensu tradentium benignam sententiam. Itaque difficultas est in minori, quæ si habuerit fundamentum non apparenter sed reverâ grave, conceditur minor, secus negatur. Quòd si quis decipiatur in illa minori, resultabit conscientia erronea, quæ excusat, si error sit involuntarius, sed non excusat si error sit voluntarius, quæ omnia probata sunt in superioribus. Ergò nisi omnes istæ doctrinæ destruantur syllogismus iste valere nequit in sensu arguentium. Ita Celladeus §. 1.

Exceptiones Celladei contra minorem dicti syllogismi.

Responsio ad primam exceptionem. Respondeo, Celladeum hîc etiam recapitulationem facere plurium, quæ in superioribus proposuit; sed ea omnia in antecedentibus non solùm soluta sunt, sed etiam falsitatis convicta. Nominatim autem *quæst.* 29. ostendi, utramque contradictionis partem esse posse simul probabilem probabilitate conscientiæ, si sermo sit de probabilitate remota, & ad conscientiam per principia reflexa debitè formandam sufficiente, quamvis utraque pars contradictionis formalis, id est, utraque propositio contradictoria non possit simul esse directè probabilis eidem intellectui, probabilitate se sola sufficiente ad operandum, & se tenente ex parte actûs affirmantis objectum suum esse verum; quia ad hoc utraque propositio contradictoria deberet simul existere in intellectu, quod repugnat. Itaque datur quidem simultas probabilitatis respectu contradictoriorum tam objectivorum quàm formalium, non tamen datur probabilitas simultatis illorum, ut ostensum est loco citato.

Responsio ad alias exceptiones. 13. Similiter ad omnia & singula ex reliquis, quæ opponit, jam responsum est in propriis locis, ad

in quibus ostendi, illum in singulis errasse, nec quidquam tulisse, quo singulares suas sententias sufficienter probaret. Nominatim autem quòd dicit de sophisticis rationibus rejectum est, erroresque ipsius & æquivocationes detectæ sunt. Porrò dictum illud Celladei: *Nisi totus meus tractatus evertatur, dictus syllogismus valere nequit*: me non terret, sed animat, quia jam totum, quantus quantus est, excussi & everti, ideoque haud dubiè syllogismus allatus subsistit. Nominatim autem minor est indubitata, quia nulla opinio, de qua non certò constat, quòd habeat omnia ad probabilitatem requisita, ex præscripto benignæ sententiæ assumi potest tanquam sufficiens ad conscientiam debitè formandam. Frustra ergò excipit Celladeus contra minorem, cùm illa sæpissimè evidenter sit vera, & nos tum *in hoc* tum *in tract. de consc. prob.* sæpiùs ostendimus, unde homo possit scire quæ opinio sit probabilis.

Objectio 3. 14. Ob. 3. Dicere, majorem hujus syllogismi esse posse veram de utraque parte contradictionis, repugnat propriis Probabilistarum principiis. Ergò malè contendunt illam de utraque contradictionis parte posse esse veram. Probatur antecedens. Inprimis, proprium illorum axioma est. Peritorum, non imperitorum judicio standum esse. At certum est, utrumque ex contradicentibus non esse peritum in re, circa quam sibi contradicunt, quia alteruter errat. Qui autem errat non est peritus sed imperitus rei, circa quam errat. Ergò alteruter est imperitus. Ergò utrique stari posse, est perito & imperito stari posse.

Aliæ Celladei exceptiones contra dictum syllogismũ.

Secundò dicunt, solam auctoritatem hominis scientiæ & conscientiæ, seu probi & docti esse gravem, & reddere probabile. At ex contradicentibus, uterque non est vir scientiæ & peritiæ de illa re, quia alter errat, & ignorat. Error autem & ignorantia non est scientia & peritia. Ergò in utroque non est gravis auctoritas aut probabilitas.

Tertiò requirunt prudentes & prudentiam. At in omni contradictione alter fallitur. Ergò alteruter caret prudentia, quæ est virtus intellectualis, & nequit falsum dicere.

Quartò Omnes dicunt, illis tantùm auctoritatibus ac rationibus standum esse, quæ rem faciunt dignam assensu. Unde dicunt, licitum non esse fundare conscientias nostras in dictis mentientium, ignorantium, levium, sophistarum &c. At, ex communi sententia plurium ac præstantium Auctorum, utraque pars contradictionis nunquam proponitur intellectui, ne quidem in sensu diviso, ut digna assensu. Ergò utraque pars nunquam ita proponitur ut liceat utrumlibet facere. Ex his quatuor capitibus constat majorem illius syllogismi esse manifestè falsam, ad quam tamen tanquam ad primum principium Auctores resolvunt totam vitam Christianam. Ita Celladeus §. 1.

Duplex Celladei error. 15. Respondeo inprimis duplicem falsitatem in hac ultima Celladei dictione latêre. Inprimis veritas harum præmissarum non proponitur à nobis ut primum principium, quia proponitur ut thesis, quæ argumentis hinc inde propositis laboriosè stabilitur. Proponitur ergò ut principium secundum per notoria probatum, atque ita assumitur in regulam tanquam thesis illata, non tanquam primum principium. Et hic est primus error. Secundus error est longè major & patentior. Quis quæso dixit, totam vitam Christianam ad majorem hujus syllogismi, tanquam ad primum principium esse revocandam ? unum nomina, Celladee, si potes, quia omnes Probabilistas, nemine excepto, accusas, unum nomina, qui ita loquatur, & fatebor me immeritò te accusare ; sed si nullum nominare potes (certum autem est, quòd non possis) fatere te incautè scribere, nec ad sensum eorum, quæ profers, sufficienter attendere. Si enim ad verba tam palmarem falsitatem continentia attendisses, nunquam ea protulisses. Quid enim ? nihilne certum in vita Christiana ? nihilne nobis per scientiam, nihil per certissimam ac infallibilem fidem proponitur, quo actiones vitæ Christianæ instituamus ? A page : maxima vitæ Christianæ pars certissimis principiis dirigitur, nec quisquam Catholicorum hoc negat. Nemo ergò asseruit, aut asserere potuit, doctrinam in majori illa contentam esse primum principium, ad quod tota vita Christiana resolvitur. Sed ista condono, & in lapsum calami, ac fortuitam amplificationem potiùs quàm in negligentiam transcribo : ad argumentum ipsum veniamus.

Solvitur objectio. 16. Respondeo secundò. Objectionem hanc esse meram recapitulationem eorum, quæ Celladeus in variis locis stabilire conatus est, sed irrito conatu, ut apertè monstratum est in propriis locis, ubi has illius doctrinas expendimus, & confutavimus. Itaque frustra ad illas iterum recurrit. Nominatim autem ostendimus, quod peritia, scientia, & prudentia juxta sensum Auctorum benignæ sententiæ rectè conjugantur cum errore, quando error est longè probabilissimus, & veritas insuperabil ter latet. Similiter ostendimus, quòd utraque contradictionis pars sit verè probabilis ac digna assensu non solùm respectu duorum intellectuum, sed etiam respectu unius ejusdemque hominis. Cæterùm ultima Celladei illatio, quà dicit, *constare, majorem illius syllogismi esse manifestè falsam in sensu Auctorum benignæ sententiæ*, evidenter à veritate aberrat, quia certum est, Auctores benignæ sententiæ, dum agunt de rebus obscuris, ad quarum cognitionem certam pervenire non possumus, nomine periti, scientis, docti, ac prudentis, cujus auctoritatem dicunt esse dignam assensu, non intelligere eum, qui non errat, sed eum, qui juxta humani intellectûs capacitatem instructus est principiis ad materiam illam penetrandam sufficientibus, quique debitam in veritate investiganda diligentiam adhibuit. Talem hominem peritum, scientem, ac prudentem vocant, ejusque resolutionem respiciunt, tanquam peritam, scientem, & prudentem, juxta consuetum vocum illarum usum. Nec dubium quin hic sit sensus Auctorum benignæ sententiæ, cùm omnes apertè dicant, omnem assensum ejusmodi esse probabilem & prudentem.

Error Celadei manifestus.

17. Peto jam à Lectore candido, an *constet hoc, quod dixi, manifestè falsum esse, in sensu auctorum benignæ sententiæ* ? Immò verò certò constat id esse verissimum. Non fidimus nudæ assertioni tuæ, Celladee, proba illam, si possis. Non conjecturis hîc agendum est, non alieno & æquivoco verborum sensu utendum, sed indubitata Auctorum verba, quibus mentem suam exprimunt, sunt afferenda. Sed ea afferri non possunt. Contraria enim omnia docent, quia, disertè tradunt, assensum probabilem, quamvis invincibiliter eroneum, esse peritum, prudentem, atque assensu dignum, seu talem cui homo laudabiliter absque temeritate, ac prudenter assensum præbere potest. Itaque major syllogismi dicti est indubitanter vera in sensu Auctorum benignæ sententiæ ; sed sensus

Objectio non tangit rem in hoc sensu legitimo intellectam.

est

est reflexus, quem in initio quæstionis exposuimus. In hoc autem sensu acceptam argumenta Celladei ne quidem tangunt, ut patet.

Objectio 4. 18. Ob. 4. Syllogismus iste debet hoc modo intelligi. *Omne probabiliter non malum est licitum: hic contractus est probabiliter non malus: ergò est licitus.* At syllogismus hoc modo sumptus, secum affert suam distinctionem sic: omne probabiliter non malum est licitum, distinguo majorem: est licitum sicut est non malum, scilicet probabiliter, concedo; est magis aut aliter licitum quàm sit non malum, nego majorem. Deinde transmissa minori, eodem modo distinguo consequens: est licitus probabiliter, concedo: plus aut aliter, nego consequentiam. At stante hac distinctione, nemo meliùs se habet ad formandam conscientiam per reflexas, quàm per directas. Ergò frustra itur ad reflexas, cùm syllogismus reflexus nullo modo magis certificet de honestate operationis, quàm syllogismus directus. Ita Celladeus §. 2.

Celladeus æquivocè proponit argumentum. Respondeo, Celladeum non satis expressisse vim hujus syllogismi reflexi, sed ita de eo locutum esse, ac si non esset reflexus, sed directus. Expressio enim ista æquè illi applicari potest, sive sumatur in sensu directo, sive in sensu reflexo. Præterea distinctio, ab ipso allata, locum non habet, nisi syllogismus intelligatur in sensu directo, & in ordine ad easdem circumstantias, in illis enim & in illis tantum verum est, unumquodque non aliter esse licitum, quàm sit non malum, cùm nil sit unde diversitas sumi possit. At si res eadem sumatur reflexè in ordine ad circumstantias diversas ab iis, in quas directa consideratio se extendebat, evidens est rem illam in hac consideratione magis ac taliter esse posse licitam, quàm erat & apparebat non mala in consideratione directa. Ratio est, quia hæc consideratio reflexa contemplatur rem non secundùm se præcisè, sed ut certò substantem judicio aut vero, aut certè invincibiliter erroneo; considerat rem, prout certò constat, quòd nullâ lege sufficienter promulgatâ & applicatâ prohibeatur &c. At probabilius est, quòd res hoc modo considerata sit licita, quàm quòd sumpta secundùm se sit non mala; cùm primum sit certum ac indubitatum apud omnes; secundùm verò sit incertum, ac ad summum probabile, & à pluribus negatum.

Distinctio illius non tangit punctum difficultatis, si insensu proprio intelligatur.

Probabilitas reflexa sæpè major est directa. 19. Rursus sic arguo. Quod pollet majori vi alliciendi intellectum est probabilius eo, quod non tantâ vi pollet. At honestas rei reflexè consideratæ in circumstantiis allatis, aliisque ab Auctoribus benignæ sententiæ ponderatis, habet majorem vim alliciendi intellectum, quàm non malitia ejusdem directè considerata. Ergò honestas ejusdem rei reflexè consideratæ est major, quàm non malitia ejusdem consideratæ directè. Major nota est ex terminis, minor evidenter patet ex eo, quòd rationes reflexæ omnes omninò (præter unum Celladeum) moverint ad asserendum, quod quidquid est directè probabilius opposito est absolutè loquendo licitum in sensu reflexo; immò traxit omnes ad asserendum, multa esse indirectè ac reflexè licita, quæ ipsi ex rationibus directis credunt esse mala, quia expresè asserunt, ea, omnibus etiam reflexè probantibus diligenter inspectis, esse licita. Ergò argumenta reflexa in casu præsenti majori vi pollent, quàm directa. Ergò sunt probabiliora, quod erat probandum.

Id etiam verum est de probabilitate extrinseca. 20. Quod hactenus dixi, de probabilitate intrinseca intelligendum est, sed idem æquè clarè & fortasse clariùs locum habet in probabilitate extrinseca: exemplo sit hæc propositio. Licet non confiteri circumstantias notabiliter aggravantes in eadem specie. Hoc si directè consideretur, ab aliquibus affirmatur, ab aliis plurimis negatur. At idem reflexè consideratum ab omnibus illis unanimiter conspirantibus docetur esse licitum, quia qui directè negant illud esse verum, simul asserunt oppositum esse probabile, & consequenter expresè dicunt, illud, omnibus inspectis, esse licitum. Ergò honestas ejusdem rei reflexè sumptæ potest esse, & est tam intrinsecè quàm extrinsecè probabilior, quàm sit in consideratione directa.

Celladeus in suis principiis tenetur idem admittere. 21. Hæc abundè sufficiunt ad nullitatem objectionis hujus elucidandam, non tamen acquiescam, nisi cogam adversarium ad idem concedendum: sic in ipsius principiis arguo. Fieri potest, ut judex post omnem diligentiam adhibitam decipiatur à falsis testibus, & innocentem condemnet. Rursus, ipse per propriam industriam reflexè scire potest, se aut non decipi, aut invincibiliter decipi, quia omnis veritas, & consequenter etiam ista, est cognoscibilis. Saltem Deus hoc ipsum illi revelare potest. Quid jam dicis, Celladee? Nónne iste tam certò novit se licitè operari, quàm novit se aut non falli, aut invincibiliter decipi? Nónne hæc est non solùm certa & communis omnium, sed etiam tuamet doctrina? subsumo: atqui non est certus, se non falli materialiter, & non condemnare innocentem. Ergò est reflexè certior, se non peccare peccato formali ac imputabili, sed licitè operari, quàm sit directè quòd non decipiatur, & non vocet malum bonum. Ergò dispar ratio est de certitudine & probabilitate reflexa, ac de directa probabilitate quòd res sint honestæ. Ergò tu tibi in hoc aliisque tuis doctrinis contradicis. Celladei contradictio.

Objectio 5. 22. Ob. 5. Syllogismus allatus non magis concludit, quàm iste, *Homo est species. Petrus est homo. Ergò Petrus est species*, quia in utroque fit transitus à suppositione simplici ad personalem, seu, quod idem est, in utroque saltatur à secundis intentionibus ad primas. Certè quando dicitur, *homo est species*, terminus *homo* supponit pro natura humana prout subsistat cognitioni confusæ & abstrahenti naturam à singularibus, quia in hoc tantùm sensu homo est species. At in minori idem terminus sumitur primò intentionaliter, prout res se habent à parte rei independenter ab intellectu & à denominationibus, quæ à cognitione dependent. At idem vitium est in præsenti syllogismo, quia præmissæ sunt reflexæ & consequenter pertinent ad secundas intentiones; conclusio autem non est de secundis intentionibus, ut patet, quia & est & esse debet de operatione nostra singulari, & primò intentionaliter sumpta. Ergò suppositio non minùs variatur in hoc, quàm in illo syllogismo. Ergò non magis valet iste, quàm ille. Ita Celladeus §. 2.

Inconsequentia Celadi, ejusque contradictio. Respondeo Celladeum hîc etiam inconsequenter discurrere, sibique contradicere; ab initio enim non semel admisit syllogismum hunc, etsi reflexum, legitimum esse, & benè concludere, si sermo sit de probabilitate positiva ac reali. At hoc non cohæret cum eo, quod hîc objicit; certum enim est syllogismum, cujus bonitas patenter agnoscitur, à nemine nisi valdè inconsequenter & cum aperta contradictione, ut clarè vitiosum repelli. Imò si hæc duo asserta admittantur ut vera, eo ipso contradictoria de eodem prorsus admittuntur. Ergò Celladeus, qui utrumque assertum admit-

admittit ut verum, inconsequenter discurrit, & sibi contradicit.

Celladei error in Logica.

23. Resp. 2. Celladeum ne quidem attigisse causam radicalem, ob quam syllogismus ille, quem pro exemplo attulit, sit vitiosus; refundit enim causam in transitum à secundis ad primas intentiones. At hoc incertum est; & quamvis illud verum non esset, adhuc syllogismus non valeret. Incertum est quod dicit, quia probabilis opinio docet, universale, nempe speciem, genus &c. dari à parte rei. Ergò refundit certissimum syllogismi errorem in causam incertam, quod non est Logici accurati, qui ex professo tradit causam, cur syllogismus aliquis sit malus. Præterea etsi homo, seu humana natura tota primò intentionaliter sumpta, esset species, non ideo syllogismus valeret, quia medius terminus non distribueretur in ulla ex præmissis. Non in minori, ut patet, quia ad hoc dici deberet, *Omnis homo est species*, & propositio resolvi deberet per hunc descensum, *& hic, & ille, & quivis alius homo est species.* Subjectum enim in termino communi expressum non aliter distribuitur in propositione affirmativa, quàm si Syncategorema *omne* vel explicitè vel saltem implicitè & virtualiter in sensu dicto subjectum afficiat. At major in hoc sensu est falsa. Ergò major non potest esse vera, nisi subjectum absque distributione sumatur. Sed neque terminus ille distribuitur in minore, quia in minori transmutatur in prædicatum; terminus autem communis ex parte prædicati nunquam distribuitur in propositione affirmativa; Ergò medius terminus in illo syllogismo non distribuitur, ac proinde syllogismus non valet. Et hæc est radicalis, ac essentialis causa cur conclusio non subsistat, demptâ enim hâc causâ procul dubio valeret, quia medius terminus distribueretur. Præterea Celladeus in principiis Logicæ errat, dum loquens de illo syllogismo dicit. *Totus defectus (illius) est, quia terminus* homo *variat suppositionem, & de secundis intentionibus saltatur ad primas.* Errat, inquam, quia plurimi syllogismi in eadem figura & modo sunt optimi, & evidenter concludunt, etsi medius terminus sumatur secundò intentionaliter in minori, ut videre est in hoc syllogismo. *Omnis homo est subjectum in aliqua propositione. Petrus est homo. Ergò Petrus est subjectum in aliqua propositione* Certè in hoc syllogismo terminus *homo* non minùs saltat à denominatione, quæ à cognitione dependet, ad denominationem quam res habet à parte rei independeneter à cognitione, quàm in illo priori; & tamen hic valet, ille non valet. Præterea extra materiam secundarum intentionum syllogismus cæteroquin prorsus similis non valet. Exempli causâ iste. *Homo est albus. Petrus æthiops est homo, Ergò Petrus æthiops est albus.* Ergò tantùm abest, *ut totus defectus prioris syllogismi consistat in hoc saltu*, sicut affirmat Celladeus, ut nullus ex hoc præcisè capite defectus sit, aut esse possit, sed totus error aliunde, scilicet ex defectu debitæ distributionis terminorum proveniat.

Alius ad dum error in Logica.

24. Mirandum præterea est, Celladeum fecisse paritatem inter duos illos syllogismos, cùm primum protulerit universaliter hoc modo: *Omne probabiliter non malum est licitum. Hic contractus est probabiliter non malus. Ergò hic contractus est licitus*: ubi vides medium terminum in majori distribui; secundum verò protulerit indefinitè hoc modo: *homo est species. Petrus est homo. Ergò Petrus est species*: in quo syllogismo evidens est medium terminum non distribui. Quis, quæso, accuratus Logicus unquam istos syllogismos æquiparasset? nemo certè. Ergò Celladeus inaccuratum Logicum egit in hac parte.

Syllogismus bonus alienus ostenditur esse bonus.

25. Immò hinc contra illum evinco, primum syllogismum esse legitimum. In primis sic arguo ad hominem. Syllogismus ille secundus esset legitimus, si major facta universalis esset vera. Si enim verum esset omnem omnino hominem esse speciem, sicut verum est omnem hominẽ esse actu cognitum &c. tunc utique verum esset, quòd Petrus, utpote unus ex illis multis, esset species, sicut verum est, quòd sit cognitus &c. quia est unus ex illis, qui taliter cognoscuntur. Nec Celladeus, nec quisquam mortalium in hoc syllogismo ullum unquam nævum offendet. Ergò etiam syllogismus, de quo præcipuè agimus, est bonus, quia eandem prorsus formam habet, quàm haberet ille secundus, si major in sensu distributivo sumeretur universaliter. Deinde consideretur syllogismus ille per partes. Major est hujusmodi. *Omne probabiliter non malum, omnibus etiam reflexu rationibus inspectis, est absolutè licitum.* Hæc major supponitur vera, est autem universalis, adeoque ejus subjectum sumitur distributivè pro omnibus & singulis sub illa contentis. Ergò sumitur etiam pro hoc contractu, utpote qui est unum ex contentis sub illa, cùm *sit probabiliter non malus.* Ergò necesse est, ut hic contractus sit absolutè licitus, quia revera nil illi tribuitur in conclusione, quod in majori ipsi non attribuatur, sed solùm sub nomine *contractus* tribuitur in conclusione, quod sub nomine *probabiliter non mali* ipsi tributum erat in majori Nec refert quod in majori sermo sit de directè probabili reflexè considerato, quia etiam in conclusione sermo est de eadem re sub eadem penitus reflexione considerata, nam conclusio ita dicit. Ergò *hic contractus* (utpote, qui in Minori conceditur esse directè probabilis, *omnibus, etiam rationibus reflexu inspectis, est absolutè licitus.* Nulla est ergò alteratio aut diversa suppositio terminorum in præmissis & in conclusione. Et hoc est evidens. Ergò evidens est syllogismum allatum in sensu Auctorum illum proponentium, esse legitimum.

Bonitas hujus dubitat alius dicat.

QUÆ-

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-QUINTA.

Vtrùm transgressio legis imputetur illis, qui casus in Summam colligunt, & eos pro conscientia formandâ proponunt?

Celladeus in casuum collectores insurgit.

1. QUÆSTIONE *10. lib. 3.* mirum in modum insurgit Celladeus contra eos, qui per modum historicorum casus conscientiæ colligunt, illosque tanquam sufficientem conscientiæ regulam proponunt; nervis enim omnibus contendit probare eos hoc nomine in periculoso admodum statu versari, atque transgressiones materiales divinæ legis illis esse tribuendas. Hoc ut probet, supponit primò, eos nil de rebus ipsis scire, sed tantùm nosse Auctorem aliquem ita dicere, sed ignorare penitus an benè dicat, vel malè. Rursus supponit, usurpantes historiam illam pro regula operandi vel consulendi nullum penitus formare judicium de reali conformitate operationis cum lege, & voluntate Dei. Demùm, hisce suppositis, plurima coacervat, ut probet eos reprehensione dignos esse, atque inexcusabiles, quoties materialiter errant. Præterea in præludio quæstionis dicit, se talium historicorum insufficientiam antea rejecisse, atque manifestè ostendisse, eos peccati reos esse, quoties operando aut consulendo talem regulam sequuntur; simulque asserit, se omnium responsionum, atque ad prudentes & prudentiam, legesque non sufficienter promulgatas appellandi aditus præclusisse.

Si in omnes, immeritò.

2. Ego sanè non perspicio, in quos collimat, atque argumenta intorquet Celladeus, quia indistinctè loquitur. Si casuum summistas universaliter impetat, immeritò viros probos, ac doctos, deque republica Christiana optimè meritos redarguit, atque peccati insimulat; si verò non omnes, sed temerarios tantùm, atque insipientes casuum collectores condemnet, non ego inficias eo, sed junctâ dexterâ eos periculosæ temeritatis pariter arguo & condemno; quia qui promiscuè opiniones ex Auctoribus quibusvis colligeret, neque curaret aut quis esset, qui aliquid assereret, aut quo fundamento illud astrueret, is procul dubio periculosè ageret, atque à temeritatis nota excusari non posset. Verùm si in tales tantùm hoc loco insurgat, in nullo benignæ sententiæ adversatur, sed homines impugnat, quos, ni fallor, qui sint assignare non potest. Quocirca potiùs censendus est terrere homines, ne tali temeritate utantur, quàm ullos redarguere, qui temeritatis hujus sint rei.

Rectè, si in temerarios.

Consilium Auctoris in hac quæst.

3. Itaque omittere poteram quæstionem hanc, utpote ad præsentem hunc tractatum minimè necessariam; verùm quia pronum est, Lectorem imperitum existimare, quòd quæ hoc loco congesta sunt, quæque contra Collectores opinionum objiciuntur, Auctoribus benignæ sententiæ attribuenda sint, eò quòd Celladeus sæpè generaliter & indiscriminatim loquatur, ideo opportunum duxi ea circa quæstionem hanc proferre ac stabilire, quæ & veritatem benignæ sententiæ stabiliant, & ejusdem Auctores ab omni temeritatis nota defendant.

ASSERTIO PRIMA.

Auctores benignæ sententiæ, sive insignes Theologiæ Magistri, sive nominati casuum collectores fuerint, non proponunt suas opiniones pro regula conscientiæ absque curâ & sollicitudine, quòd operatio, quam dirigunt, sit conformis legi ac voluntati divinæ.

4. PROBATUR. Theologi insignes, qui; rationibus hinc inde debitè expensis, suam tandem proferunt sententiam, ea tantùm proponunt ut licita, quæ magnis ducti fundamentis Dei voluntati conformia esse existimant. Hoc semper verum est, quando quæstionem directè dirimentes, propriam sententiam proferunt. Quod si reflexè disputantes dicant, sententiam suæ opinioni directæ oppositam esse licitam, eodem modo progrediuntur; quia rem, directè incertam atque hinc inde probabilem, jam in ordine ad novas circumstantias considerant, atque reflexis rationibus moti illam in talibus circumstantiis licitam, Deique voluntati conformem esse definiunt, totaque illorum sollicitudo in hoc incumbit, ne quidquam pro ulla circumstantia ut licitum proponant, quod rationibus validis convicti divinæ voluntati conforme esse non determinant.

Præcipuè casuum collectoribus idè præstant.

5. Eadem prorsus ratio est de celebrioribus casuum collectoribus; illi enim, non meri casuum historici ac collectores, sed summi Theologi, magnæque doctrinæ, capacitatis ac sedulitatis viri fuêre, qui ea tantùm proposuerunt ut licita, quæ ipsimet, post longissimum studium atque Auctorum fermè omnium examen, vel directis vel saltem reflexis rationibus definierunt esse licita. Hi deinde collectiones suas evulgârunt, ut imperitiores iis uterentur, atque eorum auctoritate confisi conscientiam suam deponerent. Certum itaque est, Celladeum loqui de subjecto non supponente, quando insinuat collectores casuum, quos opinionum historicos appellat, ita proponere opiniones collectas pro regula conscientiæ, ut judicium de conformitate operis cum lege Dei non forment, modò loquatur

Celladei error.

de præcipuis casuum collectionibus ; illis enim nil antiquius fuit, quàm ut licita pro licitis, & illicita pro illicitis proponerent.

Omnes casuistæ bonæ notæ idem præstant.

6. Idem prorsus dicendum est de omnibus bonæ notæ scriptoribus, qui casuum collectiones typis evulgârunt ; illi enim viri fuerunt valdè capaces, qui rationes & auctoritates graves à levibus discernere potuerunt, quíque proinde eisdem aut etiam pluribus & validioribus motivis incitati idem censuerunt cum Auctoribus, quos citant & sequuntur. Et hoc quidem verum est, sive sermo sit de peculiaribus objectis directè consideratis, quæ proponunt ut licita, sive de generalibus opinionibus, quas ex reflexa consideratione tractant, & asserunt esse veras, qualis est illa, quod liceat sequi quamcumque opinionem directè probabilem ; in omnibus enim istis verissimum est, quòd aliud non proponant ut licitum, nisi quod, omnibus inspectis, non leviter sed magnis rationibus gravissimisque auctoritatibus moti voluntati divinæ conformari absolutè existimant, quia sequuntur rationes & auctoritates benignæ sententiæ faventes, quæ haud dubiè gravissimæ sunt, & assensum merentur.

ASSERTIO SECUNDA.

Collectio casuum conscientiæ, quos Auctores, qui rationes & auctoritates leves à gravibus discernere possunt, pro formanda conscientia proponunt, non est opus periculosius, quàm sit responsio Theologorum, qui quæstiones incertas sibi propositas propriâ auctoritate probabiliter resolvunt.

Periculum Theologi casum resolvêtis declaratur.

7. PROBATUR. Theologi, qui casus incertos sibi propositos propriâ auctoritate resolvunt, altiùs non ascendunt, quàm ad probabilem quæstionis resolutionem. Interim indoctorum conscientia in sola illorum auctoritate recumbit, ideoque ipsi pro aliorum opere Deo respondere tenentur ; quod sanè est onus periculosum, ad quod citra conscientiæ læsionem subeundum magnâ doctrinâ ac diligentiâ opus est, ut patet. Præterea, qui sic casus resolvunt, ita mediare debent inter Deum & homines, ut ex æquo teneantur favere libertati ac legi ; non enim minùs peccant, si conscientias hominum indebitè stringant, quàm si legem Dei indebitè evacuent. Ergò conjecti sunt in viam arctam, horrendis hinc inde præcipitiis conclusam, extra quam nullâ ex parte absque peccato deflectere licet. Difficilè autem & periculosum est tali viâ incedere. At melior, & minùs periculosa est conditio collectoris casuum ; illo enim alio onere non tenetur, quàm ut sincerè proponat sententias Auctorum, quos citat ; quia non vult, ut homines in sua, sed in eorum, quos affert, auctoritate conscientiam deponant. Itaque si in eorum sententiis proponendis non erret, munus suum implet, nec ipse ulteriùs respondere tenetur, an qui sectantur illorum opiniones errent, nec ne, sed hoc onus in ipsos Auctores rejicitur, quorum auctoritate freti homines conscientiam suam formant. At longè minus periculum errandi est in auctoritatibus sincerè colligendis ac fideliter exponendis, quàm in directa casuum difficilium resolutione, ut patet. Ergò explicata casuum collectio pro formanda conscientia non est opus periculosius, sed multò minùs periculosum, quàm sit directa casuum resolutio, quam Theologus ex propria doctrina ac industria aliis sequendam proponit.

Periculum collectoris casuum minùs est, quàm periculum Theologi.

8. Præterea collector casuum facillimè ac certò pervenit ad probabilitatem parem, aut majorem illâ, ad quam Theologus in sua resolutione pervenire potest ; quia casuum collector ante oculos habet omnes rationes atque auctoritates utrique parti faventes, illasque facilè comparare potest, ac videre, quæ superant alias. Rursus si vel minimùm hæsitet, omittere potest dubias, atque certissimas tantùm gravissimasque auctoritates ac rationes proponere ; neque enim tenetur omnes omnium opiniones cõacervare, sed quas non novit esse certò probabiles omittere potest, ac debet. Rursus non tenetur ita mediare inter Deum & hominem, ut ipse nec nimium laxet, nec nimium arctet conscientias, quia eas nec arctare nec laxare intendit, sed solùm proponere doctrinam aliorum, quæ laxat, aut arctat. Si hoc agat, munus suum implet, nec aliud ab illo requiritur. Ergò illorum conditio non est periculosior, sed minùs periculosa, quàm conditio Theologorum, qui casus incertos suâ auctoritate probabiliter resolvunt ad praxim. Immeritò ergò reprehenditur à Celladeo (si tamen ab eo reprehendantur, quia non sufficienter explicat in quos invehitur) tanquam ingenti periculo obnoxii, cùm ipsemet in longè majori periculo versetur, eò quòd propria auctoritate contra unanimem Theologorum omnium sententiam solus insurgat, eamque non solùm ut falsam, sed etiam ut periculosam rejiciat, atque ita mirum in modum conscientias arctet.

Collectio casuum non est periculosior quàm conscientia Theologorum.

ASSERTIO TERTIA.

Qui meram opinionum historiam colligeret, etiamsi prorsus impotens esset ad discernendum rationes & auctoritates graves à levibus, faceret opus minimè omnium periculosum.

Onus meræ historicæ opinionum, est minimè periculosum.

9. PROBATUR assertio, quæ sententiæ Celladei *in hac quæst.* diametraliter opponitur, si illa accipiatur (prout termini, quibus eam non semel proponit, accipiuntur & sonant) de meris historicis. Probatur, inquam, quia merus historicus non tenetur scire, an doctrina, quam refert, sit vera vel falsa, probabilis vel improbabilis, quia hoc ad ejus intentum non conducit. Puri enim historici opinionum nil interest qualitas doctrinæ, quam recensent ; qui proinde ab omni culpa immunis est, suumque munus implet, si sinceram historiam taxat, nec ulli attribuat, nisi quod revera docet. At hoc facilè præstari potest ab eo, qui ipsissima Auctorum verba & assertiones colligit, etsi nesciat quo fundamento id dixerint, aut quantæ auctoritatis fuerint Auctores, quos citat. Ut veritas hæc clarior appareat, finge aliquem agere merum opinionum historicum, atque ita præfari, se colligere tantùm opiniones, nec sollicitum esse, an veræ sint, an falsæ, an probabiles, an temerariæ, immò nec scire quidem, utrùm Auctores, quos citat, fuerint hæretici, nec ne, an scientiæ, quas recensent, fuerint condemnatæ nec ne, sed se solum in illud collimare, ut quid quisque senserit proferat, caveant proinde omnes, quas ex opinionibus recensitis in conscientiæ regulam assumant, se nullas qualificare, sed illud singulis pondus relinquere, quod ex rationibus & auctoritate suorum Auctorum & facto-

fautorum habent ; sibi nil vitio verti posse præter errorem in opinionibus recensendis, quem scit se vitasse, quia propriis singulorum verbis usus est. Hic homo esset merus opinionum historicus, qui nullum illis pondus adderet, ratione cujus lector illas veras potiùs habere posset, quàm falsas. Atqui talis homo opus periculosum non aggrederetur. Ergò meri opinionum historici, si ulli tales invenirentur, non essent in statu periculoso, sed opus minimè periculosum tractarent. Mirandum poinde est, Celladeum adeo vehementer insurrexisse adversus meros opinionum historicos, atque ex hoc ipso, quod *meri historici sint*, eos culpasse, atque periculi gravissimi cöarguisse, cùm ex hoc titulo sint prorsus inculpabiles, & immunes ab omni periculo, ne opera legentium libros illorum ipsis culpæ vertantur.

Celladei error.

Celladeus ex inadvertentia ad sensum suorum verborum deceptus est,

10. Verùm Celladeus hac vice non videtur satis advertisse ad sensum verborum suorum ; si enim rectè perpendisset significationem horum terminorum: *Meri opinionum historici*: nunquam contendisset, eorum operam esse periculosam, atque, ob falsas ac improbabiles quas congerunt opiniones, sectantium illas peccata ipsis ad culpam imputari, quia oppositum est nimis perspicuum. Verùm aliud dixit, aliud dicere voluit Celladeus. Voluit dicere, eos casuum collectores periculosè agere, qui quasvis opiniones pro fundanda conscientia temerè congerunt; modò explicitè vel implicitè profiteantur, se eas tantùm opiniones collegisse, quas quivis tutò sequi potest. Hi enim, si aut ex impotentia nequeant, aut ex negligentia nolint discernere opiniones probabiles ab improbabilibus, haud dubiè temerè agunt, merenturque ut transgressiones sectantium opiniones ab illis collectas ipsis culpæ vertantur. Hoc, & hoc tantùm probant, quæ Celladeus *hac in quæst.* contra eos exaggerat. Verùm hi non sunt meri opinionum collectores, seu historici, quia non solùm interponunt suam auctoritatem ad fideliter narrandum quid alii senserint, quod est proprium meri historici, sed etiam eam interponunt ad obtinendam fidem, quòd selectas tantùm, tutas, ac certò probabiles opiniones selegerunt, quod meri historici munus non est, sed gravis ac periti Theologi. Itaque quamvis Celladeus meritò tales reprehendat, immeritò tamen eos vocat meros historicos, atque ideò minùs accuratè locutus fuisse deprehenditur, cùm res, quas in sermone comprehendit & supponit esse conjungibiles, sint prorsus contrariæ ac repugnantes ; supponit enim eos esse meros historicos opinionum, qui præterquam quòd opiniones colligant, suam interponunt auctoritatem de qualitate opinionum, asseruntque se tutas tantùm ac probabiles opiniones diligenter selegisse, quod tamen est prorsus impossibile, ut patet. Rursus asserit opus meri historici esse periculosum, ac peccato obnoxium, quod certo certiùs verum non est, quando agit merum historicum, quia totum periculum versatur in eo solo, in quo deserit partes historici, atque illas Theologi assumit. Complexio ergo terminorum, qua Celladeus utitur, contradictoria, atque inconsistentia continet, ac proinde necessariò procedit de subjecto non supponente. Hæc vera sunt, nec tamen adeò rigidus censor haberi volo, ut ea instar notabilis erroris proponenda putem, cùm si de collectoribus non autem de meris collectoribus loquatur, verum dicat, si illi temerè opiniones colligant, easque nihilominùs tanquam tutas proponant.

Excusatur Celladeus quamvis utatur terminis contradictoria cõplectentibus.

ASSERTIO QUARTA.

Sæpè laudabile est & minimè periculosum, quòd viri imperiti, qui de rationibus Auctorum judicare nequeunt, diversos pro conscientia sua dirigenda à probatis Auctoribus casus colligant.

Imperiti sine periculo colligere possunt opiniones morales proponendo & consulendo.

11. PROBATUR assertio. Sit homo atheologus, sed probus ac timens Deum, sufficienti quidem doctrinâ instructus, ut intelligat, quid Auctores dicant, sed insufficienti, ut rationum ac motivorum, quibus sententiam suam stabiliunt, vim discernat. Talis homo ex communi omnium prorsus consensu scire potest, auctoritatem S. Thomæ, Cajetani, Suarii, Toleti, & Sanchez in rebus moralibus esse gravissimam, adeoque concludere potest, sibi licitum esse sequi opinionem, in qua omnes isti conveniunt, quia absque temeritate præsumere potest, omnes illos non errasse, & consequenter absque temeritate, probabiliter, prudenter, & invincibiliter credere potest, objectum verè esse bonum, & licitum, quod illi licitum esse affirmant. Securus proinde erit se non peccare illorum opinioni se accommodando. Hæc securitas eò auctior evadet, quò idem homo post probos ac peritos plurimos singulariter consultos, omnes uno ore indubitanter affirmantes audierit, quemcumque atheologum securâ conscientiâ & absque peccato facere posse, quod certò novit ab omnibus istis proponi ut licitum. Legat ergò hos Auctores, atque opiniones morales, in quibus omnes conveniunt, in historiam, seu in indicem colligat, dico talem historiam esse illi valdè proficuam atque utilem, tum ut consulat, tum ut etiam operetur juxta illius præscriptum. Ratio est, quia talis homo vi collectionis, seu, ut cum Celladeo loquar, vi historiæ suæ rectè & invincibiliter formate potest conscientiam suam ; nam ob extrinsecam auctoritatem, prudenter, probabiliter, atque invincibiliter credere potest, objectum illud esse licitum, ac divinæ legi conforme. Tantùm ergò abest, ut hujusmodi vir, etsi purus historicus, non possit formare conscientiam, quod opus sit conforme legi divinæ, prout Celladeus supponere aut etiam implicitè saltem affirmare videtur, ut oppositum sit certissimum ; quamvis enim ob incapacitatem aut imperitiam nequeat talem conscientiam formare ex rationibus, quarum vim non discernit, eam tamen vi auctoritatis gravissimæ formare potest, atque ita tutò ad operandum, aut consulendum procedere.

Idem locũ habet et am in idiotis.

12. Hinc autem pergo ad alia exempla hujusmodi, & sic discurro. Omnis idiota, qui certò scire potest, quæ auctoritas sufficiat ad conscientiam suam invincibiliter formandam, & ad credendum, quòd opus sit licitum, absque ullo periculo colligere potest casus, & quandam eorum historiam texere, quâ postea utatur ad conscientiam suam formandam, quia absque dubio invincibiliter credit tali auctoritati, atque ob eam absque temeritate reputat opus, quod aggreditur, esse licitum. Atqui plures etiam idiotæ possunt certò scire ac discernere talem auctoritatem. Puta si quis adiisset S. Carolum Borromeum, S. Franciscum Salesium, aut Cardinalem Bellarminium, postquam evaserant viri notissimæ prudentiæ, scientiæ, ac probitatis, atque ab illis hoc responsum tulisset, *tale & tale opus est licitum &c.* Is optimè

optimè sciret auctoritatem, cui credit, esse gravem, atque se illi credendo aut verum dicere, aut certè non nisi invincibiliter errare. Ergò talis homo ex ejusmodi responsis laudabiliter atque utiliter sententias colligeret, atque ad praxim suam regulandam retineret.

Casuum collectores defenduntur.

13. Atque hinc justificantur, & à Celladei accusatione defenduntur omnes casuum collectores, qui meritò judicant, sententias à se collectas legi divinæ conformes esse. At omnes, qui casus scribunt, non difficulter hoc præstare possunt. Immò omnes fermè in omnibus id de facto præstiterunt. Omnia enim, quæ proposuerunt ut licita, si pauca excipias, magno ducti fundamento judicârunt esse legi divinæ conformia. Plurima quidem ex vi rationum directarum, reliqua verò ex vi discursûs reflexi. Cùm enim tam ex auctoritatibus quàm ex rationibus reflexis meritò judicarent, usum omnis opinionis directè probabilis esse absolutè licitum; cùmque ex alia parte essent viri docti, & absque magna difficultate certò scirent quænam opiniones juxta mentem Auctorum benignæ sententiæ essent directè probabiles, absque magna difficultate implere poterant munus suum, quia facilè illis erat ea solùm proponere, quæ non temerè, sed meritò judicabant esse conformia voluntati divinæ. Ergò munus illorum non est adeo periculosum, ut Celladeus videtur insinuare; imò, omnibus inspectis, est longè minùs periculosum, quàm officium Theologi, qui omnia ex propria ratione resolvit, ut antea ostensum est.

Munus Casuistarũ minus periculosum est, quàm munus Theologorum.

Scio aliquos Casuistas in proponendis ac colligendis casibus debitâ cautelâ alicubi usos non esse, sed hoc non muneri, sed negligentiæ illorum tribuendum est, sicut tribui debet negligentiæ non muneri Theologi, quando ille absque debita cautelâ casum resolvit. Et sanè error iste non infrequentiùs contingit in resolutione Theologi, quàm in collectione Casuistæ, immò si omnia spectentur, haud dubium, quin errores & defectus istiusmodi in resolutionem Theolog cam frequentiùs irrepant, quàm in collectionem casuisticam, idque cum majori periculo; quia resolutiones Theologicæ plerumque privatæ sunt, nec omnium sensuris exponuntur, sicut collectio casuum in lucem edita; illa enim innumeris censoribus exponitur, qui minùs rectè digesta carpunt, & malo, quod irrepsit, remedium apponunt. Itaque non est cur Theologus hujusmodi collectores carpat, aut eis periculum objiciat, cùm ipsius officium istorum munere sit longè periculosius.

ASSERTIO QUINTA.

Qui casus colligeret, nec quidquam de eorum conformitate cum lege divina curaret, neque judicare posset, an essent divinæ legi conformes nec ne, malè ageret, si illas expresse vel tacitè proponeret pro regula ritè formandi conscientiam.

Qui casuũ Collectores culpandi ?

14. PROBATUR. Talis homo ingentis temeritatis reus esset, quia doceret, quæ nesciret; atque ea ut licita proponeret, quæ ex nullo fundamento judicare posset esse talia. Ergò haud dubiè Dei legem plurimis transgressionibus temerè exponeret, eoque capite reus esset omnium transgressionum, quas alii ipsius auctoritate nixi patrarent. Ergò talis casuum collector periculosè, imò absolutè malè ageret, si eos pro conscientia regulanda expresse vel tacitè proponeret; id est, sive expresse declararet, se ad praxim casus collegisse, sive nil prorsus præfaretur, quia eo ipso tacitè declararet, se proponere casus illos tanquam sufficientes pro conscientia debitè formanda, quia tales libri ad alium effectum edi non solent.

15. Probatur 2. rationibus à Celladeo allatis, quæ assertionem hanc validissimè confirmant. Primò, tales videntur esse illi, quos proponit & damnat Apostolus *1. ad Timoth. 1. Volentes esse legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Secundò S. Aug. *serm. 112. de tempore* hæc habet, *Sæpiùs cæcus offendit, quàm videns: sic ignorans legem Dei sæpiùs ignoranter peccat, quàm ille, qui scit. Sicut cæcus sine ductore, sic homo sine Doctore rectam viam vix graditur*: ideoque hortatur eos, qui sacras literas legere & intelligere possunt, ut frequenti earum meditatione utantur, impotentes autem hæc præstare hortatur, ut interpretantem diligentiùs audiant. Jam ista cadunt in eum, qui aut non curat, aut discernere nequit, quæ colligit, quia ipse legem ignorat, cùm aut non curet, aut nequeat scire, an opinio, quam proponit, sit contra legem Dei. Ergò temerè eam proponit tanquam legi divinæ conformem, cùm casualiter & fortuitò procedat in eligendis opinionibus, quas proponit pro licitis. Tertiò, nemo nisi temerè sequi posset ductum talis viri, si sciret quâ ratione opiniones illas collegisset; quia si hoc sciret, & eo non obstante sequi vellet tales opiniones ut licitas, in illis sequendis ita se haberet, sicut cæcus, qui dirigi vellet ab eo, quem nosset aut non curare, aut non posse discernere viam à præcipitio. Itaque omnis error illi imputaretur sequendo ductum talis ducis, sicut præcipitium imputaretur cæco, qui ductorem eligeret, de quo existimare non posset, quòd viam à præcipitio discerneret. Quarò, qui citò & leviter credit, temerarius est & imprudens, & si malum operetur, id ipsi imputatur. Atqui collector casuum, de quo procedit conclusio, aut nullo modo, aut non nisi leviter credit illud bonũ esse, quod proponit ut licitum. Ergò imprudens est, & si ex illa fide malum operetur ipse, aut alius, cui normam operandi præscribit, id ipsi imputabitur. Quintò, leges amicitiæ & servitutis postulant, ne amicus aut famulus in exequenda voluntate amici ac domini ita se gerat, sicut proponitur in assertione; nam qui non curaret, aut non posset discernere, an res esset contra voluntatem Domini aut amici, excusari non posset, si contra voluntatem Domini aut amici ageret, nec quisquam vellet habere talem famulum, aut amicum. Eadem autem ratio multò magis urget obligationem nostram respectu Dei, qui supremus omnium Dominus est, summusque bonorum amicus. Sextò, non minùs tenemur ad faciendam voluntatem Dei præceptivam, seu ad non violandam Dei legem, quàm teneamur ad non occidendum. Sed peccat & reus est homicidii, qui ponit actionem, de qua nequit formare judicium, quod illa potiùs non sit quàm sit occisio. Ergò peccat, qui ponit actionem, de qua nequit judicare an sit vel non sit violatura legem Dei. Imò hinc sequitur, quòd nil in ullo casu legis violatæ excusare possit, nisi quod excusat in homicidio, scilicet unica & sola ignorantia invincibilis. Hanc autem ignorantiam non habet, qui operari vel consulere vult, quando non magis videt legem non violandam, quàm violandam per talem actionem, ut videre est in homicidio. Septimò, *Deuteronomii 17.* hæc habentur: *Si difficile & ambi-*

Rationes ad alterum partem.

& ambiguum apud te judicium perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerúque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, neque ad sinistram. Hic locus probat licitum non esse operari, quando res ob difficultatem est ambigua, sed veritatem judicii esse investigandam. Jam Collectores casuum, de quibus loquimur, non possunt formare judicium de veritate. Ergò peccant, dum talia proponunt ut licita. Sanè cùm videant Auctorum verba variari, nec possint discernere quis eorum verum dicat, non habent sufficiens fundamentum formandi conscientiam; quia si sola Judicum, seu Auctorum variantium sententia sufficeret, opus non esset ipsam judicii veritatem ulteriùs investigare, quia sine ulteriori inquisitione opus omni formali malitiâ careret, & esset bonum.

Inutilis Celladei labor.

16. Hæ rationes, quas Celladeus *in hac quæst.* accumulavit, validæ quidem sunt ad præsentem assertionem comprobandam, quia in terminis illam evincunt, sed priores conclusiones ne quidem tangunt, ut patet. Unde mirum est, Celladeum in quæstione ista tam operosè laborasse, cùm labor iste ad intentum operis nil penitus conducat; quia nemo est, qui ultimam hanc assertionem defendat; certum enim est, quòd Auctores benignæ sententiæ ad solas priores se restringant.

Argumenta Celladei nõ impetunt benignam sententiam.

17. Et sanè quicumque genuinum benignæ sententiæ sensum inspexerit, clarè perspiciet, argumenta ista nec illam impetere, nec serios casuum collectores ullatenus redarguere, quia sensus benignæ sententiæ est, quòd ut licitè operemur, debeamus ex ratione vel auctoritate gravi, & ad minimum probabili formare conscientiam, quod opus liceat; nisi enim quis hoc modo bonæ fidei conscientiam formet, non excusatur. Præterea loquimur tantùm pro casu, in quo veritas directa ita lateat, ut per humanam ac debitam diligentiam certò sciri non possit; si enim veritas per diligentiam debitam certò sciri posset, nemo excusaretur; quia nemo nisi per negligentiam culpabilem veritatem ignoraret. Jam hisce ante mentis oculum habitis, rationes Celladei relegantur, & earum nullitas adversus benignam sententiam apertè constabit.

Solvitur objectio prima.

18. Inprimis locus Apostoli tales non tangit, quia Apostolus loquitur de quibusdam Judeis ad fidem conversis, qui aliter docebant, quàm ipse docuerat, quique fabulis, & genealogiis interminatis intendebant, & nominatim contendebant, legem servandam esse cum Evangelio, de quibus verissimè dicit, quod vellent Magistri fieri, cùm non intelligerent neque principia, quibus uterentur, nec conclusiones, quas deducebant. Præterea agebant de rebus, pro quibus intelligendis certa regula haberi poterat, & per oppositam Pauli doctrinam jam tum habebatur. At nil simile est in casu nostro. Rursus Auctores, de quibus nos loquimur, probè, & sicut fert humana conditio, intelligunt, quæ loquuntur, & de quibus affirmant, nec aliud in præceptore requiritur in rebus incertis, pro quarum veritate certò habendâ certa regula hominibus non suppetit. Itaque locus iste nec ad nostram sententiam, nec ad serios & industrios casuum collectores collimat.

Objectio 2. solvitur.

19. Quod secundo loco affertur ex Aug. minus urget, quia manifestè loquitur de ignorantia vincibili, quam homo vel legendo vel audiendo superare potest. At nos loquimur in casu ignorantiæ insuperabilis, quando scilicet veritas certò sciri non potest, & tunc etiam exigimus, ut veritas ipsa & Dei voluntas juxta capacitatem humanam reperiatur, ac probabiliter credatur. Nil contra hoc ex isto Augustini loco inferri potest.

Objectio 3. solvitur.

20. Exemplum legis divinæ ignoratæ, & cæci tertio loco adductum, demonstrat quidem ultimam assertionem, sed alias non impetit. Cæterùm *quòd via salutis per quam ambulandum nobis est, sit Dei lex, quódque beati sint, qui ambulant in lege Domini, & è contra, qui eam nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulent*, quæ Celladeus hîc ponderat, verissima sunt de lege, quam scire possumus & debemus; illa enim est via, per quam incedere, & regula, ad quam actiones nostras conformare debemus. At lex insuperabiliter latens non potest esse regula, cùm vim legis ac regulæ dirigentis non habeat. Porrò quando Lex aliqua insuperabiliter nos latet, ambulamus quidem aliquo modo in tenebris, quia veritatem ignoramus; ambulamus tamen per viam, in qua nec offendiculum, nec præcipitium ullum invenitur; ideoque tenebræ illæ à certa salutis via tenenda nos non impediunt. Imò in hoc ipso casu lex & voluntas Dei, quam sequi possumus, non penitus ignoratur, quia directè loquendo scitur probabiliter, ideoque non penitus ambulamus in tenebris, sed sequimur legem Dei meliore modo, quo possumus, & reflexè quidem scimus, nos in iis circumstantiis versari, in quibus voluntas Dei est, ut talia facere possimus.

Objectio 4. solvitur.

21. Ad quartum, certum est tam ex ipsa hypothesi omnium assertionum *hujus quæst.* demptâ ultimâ, quàm ex indubitato sensu benignæ sententiæ, quod seduli & serii casuum collectores, & qui eos sequuntur, non temerè credant ea esse licita, quæ ab ipsis pro talibus proponuntur. Nulla ergò est hæc objectio.

Objectio 5. solvitur.

22. Leges amicitiæ & servitutis, quinto loco propositæ, postulant quidem, ne quis temerè faciat contra voluntatem Domini aut Amici, quodque, qui aliter faciant, digni sunt reprehensione, quando operantur contra voluntatem eorum, quam scire poterant & debebant. At si loquamur de actione contra voluntatem Domini vel amici, quæ invincibiliter ignoratur, non est contra, sed juxta leges amicitiæ & servitutis, ut ea fiant, quæ post diligentiam adhibitam ultimato judicio ipsorum voluntati creduntur esse conformia, quamvis oppositum per accidens contingat. Hoc multò magis valet respectu Dei, qui nullius commodi aut incommodi capax est, quique proinde cor operantis intuetur; unde quoties videt illum ea tantùm facientem, quæ invincibiliter credit Deo grata esse, non solùm non aversatur opus illius, sed etiam in eo delectatur. Quod maximè verum est, quando res incertæ, certò tamen probabiles, directè consideratæ, creduntur licitæ; tunc enim præter considerationem reflexam & generalem persuasionem quòd probabilia liceant, ipsamet directa persuasio de honestate operis est invincibilis, & consequenter in genere suo sufficit ad fundandam actionem honestam, etsi solùm respiciamus ad objectum secundùm se, & non reflectamus ad principia reflexa, & circumstantias, in quas reflexa consideratio fertur, ad quas recurrendum est, quoties conscientia &

bona fides ex rationibus directis non formatur.

Deus non est sicut cæteri amici.

23. Cæterùm Deus non est, sicut cæteri amici, qui ignorant circumstantias, in quibus amici sui versantur; nec spectat ad eos determinare, quomodò amici se gerere debeant. Sed Deus tanquam supremus legislator omnia intuetur, & pro omnibus casibus statuit quid sit agendum. Inter reliqua autem statuit, quòd stante insuperabili ignorantiâ legis, bonâque fide rationabiliter formatâ, liceat secundùm illam operari. Unde qui sequuntur benignam sententiam, non transgrediuntur leges amicitiæ cum Deo, sed faciunt quod ei verè placet, & quod ipsi etiam illi placere existimant.

Obiectio 6. solvitur.

24. Ad sextam. Admitto paritatem inter homicidium & alia prohibita, & fateor nullum illorum licitè poni, nisi formetur conscientia quòd sit licitum, & à Deo permissum. Rursus verùm etiam est, quòd nil excuset in aliis, nisi quod excusat in homicidio; sed falsum est, quòd hoc sit sola & unica ignorantia invincibilis; illa enim sola non excusat, cùm præter illam bona conscientiæ fides requiratur; & quidem utraque semper requiritur, ut actio quævis sit honesta, quia quâvis illarum ablatâ, actio evadit turpis & imputabilis, ut constat ex *1. 2.* ubi agitur de conscientia.

Solvitur ultima obiectio.

27. Ultimum argumentum, ut jacet, probat quidem ultimam assertionem, sed priores non impugnat. Itaque sicut ex una parte Celladeus ultra debitum casuum collectores *in hac quæst.* periculi accusavit, ita ex altera parte nil attulit, quod benignæ sententiæ repugnat, aut de illa difficultatem ingerat. Illa enim docet, nunquam in ambiguo operandum esse, sed peccatum inevitabiliter imminere, nisi conscientia & bona fides, quâ opus creditur esse conforme voluntati divinæ, ex rationabili motivo formetur. Quæ cùm certa sint, ad alia progrediendum est.

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-SEXTA.

Vtrùm obedire liceat contra propriam opinionem ?

Celladeus quid in hac quæst. egerit ?

1. MATERIAM hanc Celladeus tractat *lib. 3. quæst. 14.* illiique tres alias quæstiones quasi præambulas præmittit, nempe *11. 12. & 13.* in quibus & fusè & benè probat, nemini licitum esse operari, aut consulere contra propriam opinionem, speculativè & practicè talem, eam retinendo, & in sensu composito. Huic ejus doctrinæ, quoad substantiam, & ego assentior, quia vera est, eamque ex professo tradidi ac probavi *quæst. 30. de Consc. prob.* Verùm hoc in Celladeo displicet, quòd in suo discursu absque debita rerum ac terminorum distinctione procedat. Quocirca, ne ipse ejusdem accusationis reus evadam, congruum, imò necessarium putavi terminos explicare; quod ita breviter præstabo, ut lector non solùm habeat, unde absque æquivocatione præsentem quæstionem intelligat, sed abundè instructus sit, ut absque deceptionis periculo percurrere possit, quæ Celladeus tradit tribus illis quæstionibus præliminaribus, de quibus proximè mentionem feci.

Celladeus unà cum ex dictis sensibus pugnat.

TERMINORUM EXPLICATIO.

Homo multipliciter operari & cõsulere potest contra propriam opinionem.

2. MULTIPLICITER operari & consulere potest homo contra propriam opinionem. Primò, contra opinionem habitualem, quàm habitualiter tenet. Secundò, contra opinionem propriam actualem, seu actu existentem, dum operatur.

Rursus opinio actualis potest esse vel prorsus absoluta ac finalis sententia, vel solùm absoluta & finalis secundùm quid, nempe, quantum est ex vi rationum ac auctoritatum directè probantium.

Tertiò, operans contra propriam opinionem quando venitur ad opus, potest eam deponere, vel non deponere. Si eam deponat, videndum est, quomodò eam deponat, an per solam suspensionem omnis judicii, ut maneat actu dubitans? an per judicium contrarium, attendendum est, an hoc cum sufficienti, an sine sufficienti fundamento fiat?

3. Jam de his omnibus dispar est ratio, ut latè ostendi *quæst. 30. de consc. prob.* Porrò argumenta Celladei solùm probant, licitum non esse operari contra actualem opinionem ultimatam non depositam, quod verissimum esse judico; reliqui autem sensus ac distinctiones, quibus meam hac de re sententiam loco citato proposui, non impugnant. Itaque cùm allata terminorum distinctio omnem inter nos quoad ea, quæ tribus quæstionibus prioribus à Celladeo agitantur, controversiam dirimat, illis examinandis non immorabor: qui enim cum harum distinctionum præcautione eas legerit, facilè veritatem deteget, idque absque periculo errandi circa quæstionem ipsam in sensu, quo illam admitto; immò multa & valida argumenta ad eam efficaciter confirmandam reperiet, pro quibus sua Celladeo laus debetur.

Celladeus unà cum ex dictis sensibus pugnat.

4. Unum tamen diligenter observandum est ex *quæst. 12.* ubi ob indistinctionem terminorum periculum est, ne grandis error Lectori obrepat. Contendit Celladeus, & benè, neminem opinari posse aliquid contra alios contrarium tenentes, liquin simul rejiciat oppositas rationes ut falsas, auctoritatemque tenentium contrarium ut fallacem, ac deceptam repellat. Unde infert, intellectum semper ita judicare de objecto, quod verum esse affirmat, ut rationes & auctoritates contrarias sibi repræsentatas repellat ut fallaces & insufficientes, nisi ponat enunciationem non absolutam, sed secundùm quid & restrictam, qualem poneret, qui expresè diceret, se non agere de objecto aliquo, prout subsstat revelationi & auctoritati

Qui opinatur, contraria falsa ac fallacia repellit.

ctoritati divinæ V. G. sed solùm prout ratione naturali confirmatur.

Celladeus cautè legendus.

5. Hæc vera sunt, sed quod Celladeus ex illis inferre videtur est falsissimum; scilicet, quòd qui directè considerat rem aliquam, illamque, aliorum auctoritate & rationibus non obstantibus, enunciat esse malam, non possit uti syllogismo illo reflexo. *Omne probabiliter bonum est licitum. Hic contractus est probabiliter bonus. Ergò est licitus.* Quia ut illo utatur, existimare debet, contractum illum esse licitum, quem tamen supponitur credere esse illicitum. At hoc fieri nequit, quia homo ea ratione simul rejiceret & approbaret eandem auctoritatem in ordine ad propositiones sibi contradicentes, quod est impossibile.

Qui directè tenet contra aliquem, potest in reflexa consideratione ex illius auctoritate credere illud esse licitum.

6. Et sanè ita in hac re Celladeus loquitur, ut videatur velle inferre, quòd qui contra rationes & auctoritatem Suarii & aliorum tenet aliquid esse illicitum, nullatenus possit ex illorum auctoritate & ratione formare sibi conscientiam, quòd res illa sit simpliciter licita. Si Celladeus hoc sibi velit, haud dubiè fallitur, quia non est, cur rationes & auctoritas Suarii & aliorum non possint eâ ratione me movere ad utrumque illud asserendum, sicut rationes similes moverunt ipsum Suarium & alios ad simul enunciandum utrumque de multis aliis objectis. Quis non novit, Suarium & alios sæpè tenere aliquid esse illicitum, de quo tamen statim enunciant, illud esse in praxi tutum? Cur ergò non poterunt rationes & auctoritates illæ eâdem ratione me movere ad idem dicendum, ad quod affirmandum illos moverunt? Nulla in his est oppositio aut contradictio; quia quando Auctores ita enunciant, non considerant rem illam in ordine ad easdem, sed in ordine ad diversas circumstantias. In prima propositione considerant objectum directè per rationes & titulos ex natura rei cum illo connexos, & dum aliud non considerant, absolutè dicunt illud esse illicitum. At postea reflectentes ad rei incertitudinem, & ad probabilitatem oppositi, iterum considerant objectum illud reflexè, & ex novis ac reflexis rationibus dicunt, illud omnibus inspectis esse licitum, tum quia lex illud prohibens non est sufficienter promulgata; tum quia in incertis melior est conditio libertatis possidentis; tum quia veritas ipsa insuperabiliter & invincibiliter ignoratur; tum demùm ob alias causas, quas ponderant, & ad reflexam suam de licito probabilium usu sententiam stabiliendam afferunt. Itaque judicia ista non sunt contradictoria, quia quod unum negat de hoc objecto, ut hisce præcisè circumstantiis substante, alterum affirmat de eodem sub circumstantiis longè diversis considerato. Quòd si primum judicium ex ultimato quodam modo enunciandi, aut aliunde conjungi nequeat cum secundo, in eo casu non licebit contra illam sententiam actualem agere, quia eâ stante bona fides formari non poterit, ut *quæst. 30. de Consc. prob.* dictum est.

Nec tamen approbat & reprobat idem in ordine ad idē.

7. Cæterùm in istiusmodi casu intellectus non rejicit & approbat eandem auctoritatem in ordine ad idem objectum, quia in primo casu repellit quidem rationem & auctoritatem Suarii & aliorum, in quantum illorum auctoritas versatur circa rationes directè tantùm probantes rem illam esse licitam, quia hoc tantùm modo auctoritas & rationes illorum ipsi contradicunt: at non contemnit nec repellit eorum auctoritatem in ordine ad rationes reflexas, immò verò ipsis expresè subscribit. Itaque absurdum à Celladeo objectum non sequitur, sed è contrario legitimè infertur, quòd homo operari possit contra propriam opinionem actualem directam, modò illa non sit prorsus absolutè ac ultimatè definitiva, sed formaliter vel virtualiter solùm feratur in rem illam prout consideratur ex vi rationum directè probantium, atque ita relinquit locum ulteriori deliberationi reflexæ ac ultimatæ.

Intentum hujus quæstionis.

8. Hâc observatione præmissâ, ne Lector ex minùs distincta Celladei locutione per æquivocationem decipiatur, accedo ad discutiendam *quæst. 14.* ubi quærit, an subditus teneatur obedire superiori contra propriam opinionem de peccato? hac de re fusè egi *quæst. 22. de Consc. prob. num. 79. & seq.* Non erit autem abs re, si Lector ibi dicta diligenter inspiciat. Cæterùm si aut noluerit, aut non potuerit ea inspicere, spero hîc dicenda abundè suffectura ad ea evertenda, in quibus Celladeus discrepat à communi utrâque sententiâ, quam hic breviter declarandum assumo.

ASSERTIO PRIMA.

Subditus tenetur obedire contra propriam opinionem actualem, quando judicium ipsius nil enunciat de peccato, sed solùm de magis vel minùs bono.

Aliquando subditus tenetur obedire contra propriam opinionem, etiam ultimatam & actualem.

9. PROBATUR assertio (cui Celladeus §. 1. consentit) quia opus præceptum in tali casu est licitum. Ergò subditus peccat, si nolit obedire; manifestè enim facit contra votum, quo voluntati suæ renunciavit, illamque in Superioris sui manum & dispositionem transtulit. Præterea, judicium subditi, contrarium judicio superioris, non est impedimento, quò minùs conformitas voluntatum servetur; neque ullum apparet malum, sed magnum bonum in eo, quòd subditus obediat contra suum judicium. Ergò haud dubiè tenetur obedire contra illud, etiamsi illud non deponat, cùm nil sit, quod inobedientiam ejus honestare, aut obedientiam inhonestare possit. Et ita omnes tenent.

ASSERTIO SECUNDA.

In rebus incertis subditus obedire tenetur.

In rebus incertis [illegible] tenetur.

10. HANC assertionem sic probat Celladeus, qui dicit eam esse certam. Subditus, inquit, non tenetur scire, & examinare, an superior recta præcipiat, nec ne; sed ubi nescit, præsumere debet, quòd recta præcipiat. Mox citat *caput, quid culpatur 23 quæst. 1.* ubi Aug. *lib. 22. contra Faustum manichæum cap. 74.* & ex eo Theologi docent, quod subditi, ut militent in excercitu sui Principis, non teneantur examinare, & noscere justitiam belli. Ita ille. Verùm hæc ratio, sic proposita, non est universalis; quamvis enim locum habeat, quoties probitas & doctrina superioris talis est, ut respectu subditi fundet præsumptionem, quòd superior recta præcipiat (quod plerumque locum habet respectu subditorum imperitorum, maximè Religiosorum, & eorum, qui à probis & peritis Ecclesiasticis gubernantur) tamen respectu peritorum & sagacium scientia & probitas superioris sæpè tanta non est, ut illa fundet dictam præsumptionem; maximè quando illimet casum examinârunt, & ab ipso superiore in consilium ac deliberationem adhibiti fuerunt. In tali

tali enim casu non apparet, unde subditus præsumere possit, superiorem recta præcipere, cùm illo omnibus benè ponderatis, rem dubiam esse censuerit, aut absolutè malam judicaverit, nec habeat rationem novam nunc aliter sentiendi. Ergò non debet, & fortasse non potest ita præsumere. Tenetur tamen obedire. Præterea Aug. *in cap. quid culpatur*, non dicit, subditum militantem debere præsumere bellum esse justum, ut ex ipsis Canonis verbis mox constabit, sed solùm requirit ne sciat bellum esse injustum. Ergò ratio Celladei non est sufficiens ad probandum intentum; & auctoritas, quam affert, nec dicit, nec infert illud, ad quod comprobandum ab illo allegari videtur, nempe, quòd subditus in dubio præsumere possit ac debeat recta præcipi, atque ideo teneatur obedire.

Ratio Celladei insufficiens.

11. Probatur ergò primò auctoritate irrefragabili omnium Sanctorum ac Theologorum, omniumque Magistrorum vitæ spiritualis, qui de obedientia subditorum scripserunt. Inprimis in *dicto cap. quid culpatur.* Augustinus hæc habet. *Ergò vir justus, si fortè sub rege homine etiam sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, si vice pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrùm sit, certum non est, ita ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi: innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Ecce, ex mente Augustini, subditi Regis etiam sacrilegi, qui fortè reus est imperando iniqua, illo jubente, licitè bellant, dummodò non sit certum, quòd contra Dei præceptum imperet. At non est certum, quod contra Dei præceptum imperet, etiam quando, omnibus inspectis, honestas belli est dubia, nec adest sufficiens præsumptio de honestate belli. Ergò tunc etiam obediendum est. Ratio Aug. ingeniosa est & benè perpendenda; honestatem enim bellandi refundit in ordinis observantiam, quia ordo reipublicæ consurgit ex mutuo respectu inter Principem & subditos. Princeps tenetur subditos tutari, subditi tenentur Principi obedire, non solùm quando certum est quòd bona præcipiat, sed etiam quando non est certum quòd jubeat mala; si enim in casu hujus dubii subditus resilire posset, ordo reipublicæ & interna pax læderetur; quæ certa læsio plus mali in se continet, quàm periculum solum violandi legem Dei, quod ex dubio ac incertitudine oritur. Et quidem Deus ipse hujus ordinis auctor est, illumque servari jubet. Unde quando certum est ordinem turbari, incertum autem, an malum etiam materialiter fiat, certæ legi obtemperandum est potiùs quàm incertæ. Itaque ratio hæc fundatur in ipso statu reipublicæ, seu in statu fundante superioritatem, & subjectionem, qui status plura secum fert commoda quàm incommoda, ideoque necessariò honestat aliqua, quæ honesta non essent, dempto statu illo, qui indivisibiliter respicit plura modo humano gerenda, quorum aliqua secundùm se sunt inconvenientia, sed prout subsunt illi statui, id est, prout subsunt legi Dei instituenti ac approbanti illum statum, sunt inhonesta. Itaque ratio Augustini eadem prorsus est cum illa, quæ fundatur in ipso statu constituente superiorem & subditum, quam prosecutus sum *quæst. 23. de Consc. prob. num. 83.*

Textus & mens Aug. expenditur.

Quid requiratur & sufficiat, ut subditi licitè bellent?

12. S. Bernardus *tract. de præcepto & dispensatione cap. 12.* hæc habet. *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quàm si præcipiat Deus.* Mox objicit sibi. *Sed homines, inquis, facilè falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipiendâ, & in præcipienda fallere possunt.* Sed statim respondet. *Sed enim quid hoc refert tuâ, qui conscium non es &c.* Et tandem sic concludit. *Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ non sunt apertè contra Deum, audire debemus.*

S. Bernardus.

S. Bonaventura *in speculo disciplinæ cap. 4.* primam illam Bernardi sententiam de verbo ad verbum usurpavit, ideoque haud dubiè per omnia Bernardo consentit.

S. Bonaventura.

Humbertus, Ordinis Prædicatorum Generalis V. *lib. 5. de eruditione Religiosorum cap. 1.* hæc habet. *Obedientia hominem de Dei placito certificat: nisi enim apertè sit malum, quod à superiore præcipitur, sic accipiendum est, ac si à Deo præciperetur.*

Humbertus.

S. Bernardinus Senensis *in dialogo de obedientia, Ubi subditus rationabiliter dubitat, an quod præcipitur sit peccatum an non, tunc profectò obedire debet,* hoc est, ut ibi explicat, quando dubium est fundatum, & tale, ut inhonestas probari non possit, tunc obediendum est. *At si dubium sit voluntarium & affectatum, ac irrationabile, ut si dubitetur de eo, quod apud omnes constat esse mortale, vel veniale peccatum, hujusmodi dubietas, cùm ex ignorantia juris proveniat, non excusat ad minùs à toto.* Ita Bernardinus.

S. Bernardinus Senensis.

S. Ignatius Loyola Societatis nostræ Fundator sæpissimè istam doctrinam tradit, *3. Par. const. cap. 1. §. 23.* dicit obediendum esse *in omnibus rebus, ubi peccatum non cerneretur*, quod explicans, *p. 6. cap. 1.* dicit, *in omnibus rebus, ad quas potest obedientia cum charitate se extendere.* Ubi *in Declarat. litt. B.* dicitur. *Hujusmodi sunt illæ omnes, in quibus nullum manifestum est peccatum.* Rursus *in Epist. de obedientia* hæc habet. *Est igitur hæc ratio subjiciendi proprii judicii, ac sine ulla quæstione sanciendi, & collaudandi apud se, quodcumque superior jusserit, non solùm sanctis viris usitata, sed etiam perfectæ obedientiæ studiosis imitanda omnibus in rebus, quæ cum peccato manifesto conjuncta non sunt.*

S. Ignatius Loyola.

13. Eadem est doctrina antiquissimorum ac sapientissimorum Theologorum. Halensis *parte 2. quæst. 121. membro 3. art. 2.* docet, subditum in obscuris debere obedire Prælato, quodque præceptum superioris plus obliget, quàm conscientia subditi præcipiens oppositum. Idem docet S. Bonaventura *in 2. dist. 39. art. 1. quæst. 3.* Astesanus. *lib. 2. tit. 3. art. 2.* Gerson. *de pollut. nocturna, considerat. 3.* Nider in Consolatorio. *part. 3. cap. 17.* ibique pro se citat Raymundum, & Henricum Gandensem. Dionysius Carthusianus *in 2. dist. 39. & 44. quæst. ultimâ*, nec quemquam inveni, qui contrarium teneat.

Theologi sanctis Patribus consentiunt.

14. Confirmatur. *In cap. Dominus, de secundis nuptiis.* Lucius III. declarat ac definit, quòd qui absque certitudine de prioris conjugis morte ad secundas nuptias transierint, quamdiu existimant dubium esse, an prior conjux supersit, socio postulanti debitum negare non debeant, quamvis illi id exigere non possint. Rursus Innocentius III. *in cap. inquisitioni, de sent excom.* expressè tradit, quòd conjux, quando conscientia pulsat animum illius ex credulitate probabili & discreta, non tamen evidenti & manifesta, de impedimento matrimonii, licitè possit reddere debitum, sed postulare non debeat, & rationem dat, *ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Hinc sic arguo. Ita se habet subditus ad superiorem exigentem obedientiam, sicut conjux ad consortem exigentem debitum; quia sicut ordo & lex matrimonii postulat,

Probatur argumento ducto ex decretis Canonibus.

stulat, ut debitum reddatur petenti, ita ordo & lex obedientiæ postulat ut inferior superiori jubenti & ordinanti obediat. Præterea sicut matrimonium est sacramentum, & status, quo vir & mulier sibi mutuò legitimè sua corpora tradunt ad perpetuam vitæ societatem, ad finem prolis suscipiendæ, & remedium concupiscentiæ, ita professio religiosa, aut etiam subjectio Principi, est status quidam, quo Religiosus quidem sua se libertate privat, atque illam in superioris sui arbitrium transfert, subditus verò Principi, cujus est bono publico invigilare, subditur, illique obedire tenetur. Itaque haud dubiè ita se habet subditus ad superiorem in ordine ad obediendum & debitum obedientiæ, sicut conjux ad consortem in ordine ad reddendum debitum. Atqui certum est ex definitione Pontificum, quòd conjux, sive bona sive mala fide contraxit (nam Lucius loquitur de contrahente mala fide, Innocentius verò non supponit malam fidem præcessisse, sed aut loquitur de contrahente bona fide, aut ab utroque præscindit) licitè possit ac debeat reddere debitum conjugale, etsi dubitet, imò etsi probabiliter credat matrimonium non subsistere. Ergò eodem modo subditus & potest & debet obedire tametsi dubitet, imò & probabiliter credat rem præceptam esse illicitam; quia nil est, quod honestare possit redditionem debiti in illis circumstantiis, quod æquo jure in similibus circumstantiis obedientiam non honestet.

Subditus ita se habet ad superiorem in dubio, sicut conjux ad consortē, qui in dubio exigit debitum.

Obedientia in dubio de honestate rei præceptę debetur pro. pter statum subjectionis.

15. Probatur 2. ratione. Quotiescumque homo constituitur inter duo mala collectivè inevitabilia, minùs est præligendum. Atqui omnis subditus necessariò constituitur inter duo mala collectivè inevitabilia, quando superior præcipit rem non certò licitam; ex una enim parte, si obediat, imminet periculum erroris & peccati saltem materialis; si verò non obediat, ordo subjectionis turbatur, ac plurima alia mala inobedientiam naturaliter consequentia proveniunt, ut discordia inter superiorem & subditum, sociorum scandalum, & alia hujusmodi. Ergò in tali casu minus horum malorum est eligendum. Atqui minus malum est obedire, quàm non obedire; quia malum, quod imminet ex obedientia non est certum, sed dubium, ut supponitur; malum verò, quod imminet ex inobedientia, est certum, quia præter ipsam inobedientiam & violationem voti (de quibus imminentibus idem est dubium, quod de inhonestate rei præceptæ) ordo subjectionis certò turbatur, & superior à certa possessione suæ jurisdictionis ob incertam subditi exceptionem dejicitur; unde rixa ac dissensio, aliorumque scandalum necessariò consequuntur. Mala autem certa incertis postponenda sunt, & hæc præ illis eligenda, maximè quando cætera sunt paria, ut in casu nostro. Ergò in omni casu ejusmodi obedientia præligenda est. Et sanè dubium non est, quin hæc sit ipsissima causa, quam Aug. *in cap. quid culpatur. 23. quæst. 1.* & Pontifices in citatis Decretalibus attulerunt ad probandum, quod miles subditus in dubio licitè bellet, quodque conjux in simili casu licitè debitum reddat. Ratio enim Augustini est, quòd miles ordinem subjectionis servet, atque ideo licitè obediat; per hoc enim præfert illud, quod certo titulo debetur, posthabito eo, quod non nisi dubio titulo exigitur. Similiter Pontifices in eo obligationem reddendi debitum fundant, quòd lex conjugii violaretur, si debitum petenti negaretur, scilicet lex favens illi, qui ex animo verè contrahendi nuptias celebravit, quique est in possessione debitum petendi, nullaque ratione dubitat de valore sui contractus. Tali enim consorti debitum negari non potest, quin certum jus violetur, quin ordo seu lex matrimonii turbetur, atque mutua conjugum charitas violetur &c. quod majus malum est, quàm in dubio, stante dubio, mali materialis periculo se exponere quando utrumque simul vitari non potest.

Confirmatur. Tam lex matrimonii, quàm ordo subjectionis, est status à Deo institutus, & quidem eo fine, ut per homines more humano, & juxta possibilitatem directionis à limitatione humani intellectus obtinendæ administretur. Omnis autem ejusmodi status inseparabilis est ab aliquo inconvenienti; quia quæ administrari non possunt nisi per homines plurima ignorantes, ab hoc saltem separari non possunt, quòd homines statum illum ministrantes aliquando ea exigant, quæ, si veritas sciretur, nemo licitè velle posset. Hoc autem est magnum inconveniens, ut patet. Nihilominus omnis ejusmodi status simpliciter bonus est. Quamvis enim indivisibiliter extendatur ad plura, quorum nonnulla sunt aliquando materialiter mala, tamen bona à tali statu provenientia sunt incomparabiliter majora, quàm mala ab eodem imminentia. Ergò necesse fuit, ut mala, prout necessariò substantia tali statui, à Deo permittantur, eò quòd extra statum illum non subsint circumstantiis inferentibus ea incommoda, quæ vitari non possunt, nisi talia objecta in statu illo essent permissa. Ratio hæc in illud resolvitur, quòd status, indivisibiliter extensus ad plura, omnia honestat, modò pauca comprehendat, de quorum materiali honestate nil certi innotescit, & ex alia parte innumera secum commoda ferat, quorum honestas est indubia, maximè quando status ille per hominem administrari non potest absque dictis incommodis, quæ si non essent permissa, bona ipsa ex statu illo sperata haberi non possent, sed mala contraria eaque gravissima necessariò irruerent. Hoc videre est in officio Judicis, Chirurgi, Medici, aliisque ejusmodi, quæ humano modo administrari non possunt, quin per illorum usum, modò innocens interficiatur, modò æger pro medicina proficua mortiferam potionem sumat &c. Nihilominus officia hujusmodi non solùm utilia, sed etiam necessaria sunt reipublicæ, quia, omnibus computatis, longè plura commoda secum ferunt, quàm incommoda; ideoque à Deo instituta sunt, & sunt absolutè bona ac convenientia, naturæque rationalis præscriptionibus consentanea. Idem prorsus dicendum est de statu conjugii ac religiosæ obedientiæ, qui per homines administrari debent, quique indivisibiliter extenduntur ad plura, quorum nonnulla secundùm se considerata sunt honestatis incertæ. Ideoque status ejusmodi humano modo administrari non possunt, quin homo administrans statum illum nonnunquam aliquid exigat à subdito, de quo, secundùm se spectato, subditus dubitat an sit honestum. Quocirca cùm status ejusmodi necessariò extendatur ad aliqua, quæ extra statum illum sunt dubiæ honestatis, cumque citra ingentia inconvenientia humano modo administrari non possit, nisi subditus in dubiis illis obediat, necesse fuit ut objecta secundùm se honestatis dubiæ, prout substant tali statui atque à superiore exiguntur, permitterentur subdito, atque illi licita evaderent. Quamvis eadem extra statum illum, atque in illo etiam, quando à superiore non exiguntur, honestè eligi non possint, quia non est unde honestentur.

Deus talem obedientiā exigit, quia est Auctor talis status.

Ratio à priori assertionis positæ.

16. Con-

Idem confirmatur.

16. Confirmatur. Deus tales ſtatus inſtituere non poſſet, niſi honeſtaret ea, ſine quibus ſtatus illi humano modo miniſtrari non poſſunt. Atqui certum eſt, Deum eſſe auctorem talium ſtatuum, atque illos de facto inſtituiſſe. Ergò certum pariter eſt, quòd honeſtet ea omnia, ad quæ ſtatus illi indiviſibiliter extenduntur, & ſine quibus per hominem humano modo adminiſtrari non poſſunt. Hoc autem eſt totum, quod intendimus; quia ſtatus ejuſmodi humano modo adminiſtrari non poſſunt, quin nunnunquam exigantur quæ ſunt honeſtatis dubiæ. Atque hinc eſt, quòd ſubditus in incertis teneatur obedire, &, quod plus eſt, benè & laudabiliter obediat, quamvis res, quam ponit, ſecundùm ſe ſit materialiter mala.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio.

17. OBJICIES. Nullum datur præceptum, obligans ad præferendam auctoritatem ſuperioris omnibus rationibus & auctoritatibus, quæ dubium movere poſſunt in contrarium. Ratio eſt, quia ſuperior non divinam ſed humanam dumtaxat auctoritatem habet. Ergò non ſolùm falli poteſt in ſuo judicio, ſed etiam ejus auctoritas ita exceptioni ſubjacet, ut majori auctoritati Doctiorum & fortaſſe Sanctiorum, aut certè rationi efficaciori, aut legi ſuperioris Prælati cedere debeat. Ergò irrationabile eſt dicere, quòd univerſaliter in dubio obligemur ad obediendum ſuperiori. Ergò regula allata non poteſt prudenter acceptari ſaltem in illa univerſalitate, quam aſſertio exprimit

In dubio negativo ſemper & ſine exceptione obediendū eſt.

Reſpondeo Suarium *tom. 4. de Relig. lib. 4. cap. 15.* Hæc objicere contra doctrinam in aſſertione poſitam, & à Patribus traditam, atque ex illis inferre, doctrinam à Patribus expreſſam, non omninò univerſaliter ſed cum aliqua limitatione eſſe accipiendam, ut vera cenſeatur. Inprimis ergò reſpondet, ſubditum ſine ulla exceptione debere obedire, quoties verſatur in dubio negativo de honeſtate rei præceptæ. Tunc autem verſatur in dubio negativo, quando nulla illi ſuppetit ratio poſitiva ad exiſtimandum, quòd res præcepta ſit mala, aut etiam quòd ſit bona ſecluſo præcepto. In hoc ergò dubio, inquit, ſine ulla exceptione verum eſt, præceptum ſuperioris ſufficere, ut ſubditus illi innixus certò judicet, ſibi licere quod præcipitur; quia in illo caſu præceptum obligat, cùm ſuperior exigat jus ſuum, & in dubio melior ſit conditio poſſidentis. Item quia aliàs eſſet moraliter impoſſibilis obedientia, ſi unicuique ſubdito in particulari priùs perſuadendum eſſet, juſtum eſſe quod præcipitur.

In dubio poſitivo an & quando obediendū ſit ?

18. At quando dubium eſt poſitivum, id eſt, quando ratio poſitiva vel auctoritas arguit rem eſſe malam, paulò aliter dicendum eſt. Ratio enim, vel auctoritas, quæ ita ſuadet rem eſſe malam, ut ejus honeſtatem dubiam reddat, dupliciter conſiderari poteſt; primò, ita ut utraque pars contradictionis, ſecluſo præcepto, ſit probabilis; ſecundò, ut ſolùm ſit probabile, rem eſſe malam, & oppoſitum non ſit probabile. In priori caſu generaliter verum eſt, inquit Suarez loco citato, adjuncto præcepto obediendum eſſe, idque verum eſſe aſſerit, etſi honeſtas rei ſit minùs probabilis, quàm ejuſdem inhonestas. At in poſteriori caſu dicit obediendum non eſſe, contenditque id præſenti Patrum & noſtræ aſſertioni non repugnare, quia in tali caſu inhoneſtas rei non poteſt vocari dubia; eſt enim humano modo certa, etſi non ſit omninò evidens; quia homines in rebus moralibus vix poſſunt certiorem cognitionem conſequi. Itaque Patres non includunt hunc caſum, quando dicunt obediendum eſſe in omnibus, de quibus non conſtat, aut certum non eſt res præceptas diſplicere Deo, quia in caſibus hujuſmodi ſatis conſtat, ſatisque certum eſt, quòd ejuſmodi objecta Deo diſpliceant. Itaque licet in tali caſu obediendum non ſit, adhuc regula Patrum in aſſertione poſita, rectè intellecta, generaliter & ſine exceptione vera eſt.

Sententia Suarii.

19. Ex his infert Suarez ibidem, quòd in caſu dubii poſitivi neceſſe ſit, ſubditum expedire rationes & auctoritates, quæ occurrunt & de honeſtate rei præceptæ dubitare cogunt, antequam liceat obedire; ſi enim inhoneſtas ſit probabilis, videndum eſt, an oppoſitum ſit etiam probabile. Si ſit, obedire debebit. Si non ſit, non erit obediendum homini ſed Deo, quem ſatis conſtat oppoſitum præcipere. Hanc doctrinam aſſerit locum habere in omnibus, potiſſimè verò in materia, quæ intrinſecè mala eſt, & non ex jure aliquo poſitivo. Sed cum hac differentia, quòd in priori caſu nunquam ſit obediendum, quamvis in ſecundo aliquando licitè obediatur, tunc ſcilicet, quando ſuperior diſpenſare poteſt in tali materia; tunc enim, ſi præceptum imponat cum ſcientia juris Eccleſiaſtici vetantis talem materiam, præſumendus eſt diſpenſare. Neque facilè judicandum eſt, quòd invalidè diſpenſet niſi id evidenter conſtet; quod moraliter loquendo vix poteſt accidere. Cæterùm quando objectum aliquod antecedenter ad præceptum ita eſt inhoneſtum, ut abſoluta inhoneſtas ipſius conſtituatur per negationem præcepti, tunc certum eſt, omnem illam inhoneſtatem tolli per præceptum, adeoque abſque dubio obediendum eſſe. Sic ſi Religioſus voveat, ſe talem horam Lectioni ſpirituali daturum, obligabitur ex voto ad hoc, quamdiu ſuperior non præcipit contrarium; at ſi ſuperior contrarium præcipiat, talis obligatio ceſſat; quia votum illud non erat abſolutum, niſi dependenter à negatione præcepti in contrarium. Ergò, accedente præcepto, materia voti tollitur, omnisque obligatio ceſſat, ideoque obediendum eſt.

Limitatio quam Suarez apponit ſententiæ ſuæ.

20. Atque hæc locum habent, quando ſuperior merè conſideratur ut ſuperior; quòd ſi, præter ſuperioritatem, ſit vir pius ac prudens, fieri poterit, ut ejus auctoritas probabilem reddat honeſtatem rei quam præcipit; & in eo caſu ſubditus attendendo ad ejus auctoritatem obedire poterit, non obſtante priori judicio. Verùm in hoc caſu auctoritas ſuperioris tollit moralem certitudinem prioris judicii, & conſequenter locum habet obedientiæ efficacitas, quia in dubio obediendum eſt. Hæc Suarez loco citato more ſuo doctè dilucidéque proponit, quæ quoad amplificationem obedientiæ veriſſima reputo, quamvis quatenus obedientiam reſtringunt, non parvam habeant difficultatem. Ratio eſt, quia quoad hoc eadem videtur eſſe ratio obediendi regi vocanti ad bellum, ac reddendi debitum conjugi id poſtulanti, cùm Auguſtinus eodem modo loquatur de obedientia regi præſtanda, ac Pontifices & Canones de redditione debiti conjugalis. At Pontifices & Canones ita loquuntur de redditione debiti, ut æquè involvant caſum dubii poſitivi ac negativi, ut clarè exprimitur *in cap. inquiſitioni, de ſent. excom.* ideoque debitum illud non minùs reddendum eſt in dubio poſitivo, quàm negativo. Ergò eodem prorſus modo dicendum de obedien-

Utrum ſubditus teneatur in dubio poſitivo inquirere, vel poſſit obedire.

obedientia præstanda Regi ad bellum vocanti. Eadem autem ratio proportionaliter procedere videtur de aliorum superiorum præcepto.

Duplex auctoritas reperitur in superiore.

21. Quod ut melius intelligatur, paulò aliter respondendum est argumento allato. Itaque dico, auctoritatem superioris sumi dupliciter: primò, sumitur pro doctrina & probitate, ratione cujus dicta illius redduntur digna fide propter ipsius veracitatem in cognoscendo & loquendo. Hæc auctoritas seu veracitas non competit illi, prout est superior, sed solùm ut est vir peritus & probus. Secundò, sumitur pro potestate seu superioritate, vel jurisdictione ipsi competente, ratione cujus superior est, & præcipere potest inferioribus, illosque suo imperio ac voluntate dirigere ac obligare. De auctoritate superioris primo modo sumptâ vera sunt, quæ afferuntur in

Una exceptionem patitur in incertis, alia non item.

objectione; evidens enim est, nullam hujusmodi auctoritatem competere hominibus titulo superioritatis, quæ exceptioni non subjaceat, quæque Doctorum ac Sanctorum opinioni meritò cedere non debeat. Immò concedo irrationabiliter dici, quòd universaliter in dubio obediendum sit, si motivum obediendi præcisè fundetur in auctoritate superioris hoc modo sumptâ. Verùm longè aliter se res habet in casu subditi obedientiam præstantis, quia titulus obediendi fundatur in auctoritate alia, nempe in ea, quæ non distinguitur ab ipsa potestate, seu superioritate ut imperante, cui prior auctoritas solùm per accidens conjungitur. Jam hic titulus, utpote certus & constituens statum, præfertur omni incertæ exceptioni in contrarium, quia est status indivisibiliter extensus ad plura; ideoque honestat plurima, quæ extra illum statum non sunt honesta. Sicut ergò ob statum matrimonii & titulum in eo fundatum, conjux tenetur reddere debitum consorti petenti, quamvis habeat opinionem ac credulitatem discretam, quòd copula sit fornicaria, dummodò hoc illi evidens non sit; ita pariter dicendum est in casu obedientiæ, quando legitimus superior præcipit aliquid, quod subditus probabili ac discretâ non tamen evidenti credulitate putat esse malum. Itaque objectio non videtur tangere proprium fundamentum nostræ sententiæ, quæ proinde in tota sua latitudine locum habet, etiam quando dubium est positivum. Et sanè totum reipublicæ regimen everteretur, si subditus licitè non obediret, quando positivè dubitat de honestate rei præceptæ; facillimum enim esset subditis tale dubium prætendere, ac asserere inhonestatem rei præceptæ esse illis probabilem, & oppositum illis probabile non esse. Ne ergò detur locus exceptioni tam noxiæ, necesse fuit, ut ipsum præceptum omni prorsus dubio prævaleret, sicut exigentia debiti prævalet omni dubio conjugis illud reddentis.

In omni dubio etiam positivo, legitimo superiori obediendū est.

Limitatio, quam Suarez opponit sententiæ suæ.

Eadem est ratio obediēdi in dubio positivo, quæ est in dubio negativo.

22. Præterea, doctrina objectionis, si valeret, probaret licitum non esse obedire in dubio negativo. Si enim subditus sit longè peritior superiore, doctrina & probitas superioris non est motivum sufficiens tali subdito ad probabiliter credendum rem præceptam esse licitam. Ergò tunc conscientia subditi de honestate obedientiæ non potest formari dependenter ab auctoritate superioris, si illa auctoritas sumatur pro veracitate ipsius. At Suarez ipse, & cum eo omnes communiter agnoscunt, obedientiam præstandam esse in tali casu. Ergò tunc conscientia subditi ex alio capite formanda est, nempe ex ipsa superioritate & imperio Prælati, & statu per talem superioritatem constituto, qui titulus prævalet dubio & exceptioni omni, in dubio negativo fundatæ. Atqui idem status, eademque superioritas, & jussio sunt titulus prævalens dubio positivo ac probabili. Ergò obediendum est etiam in dubio probabili, quia Patres expressè aiunt obediendum esse, quamdiu non est certum superiorem Deo contraria præcipere; quod sine dubio certum non est, non solùm quando utraque pars contradictionis est probabilis, sed etiam quando una tantùm ratione probabili stabilitur. Falsum enim est, quod supra dixit Suarez, probabilitatem, quando uni tantùm parti favet, esse humanam quandam certitudinem, eò quòd homines vix possint consequi certiorem cognitionem in rebus præsertim practicis & moralibus. Falsum est, inquam, quia sæpè probabilitas illa est valdè exigua, ideoque non excludit notabilem formidinem, quæ indubiè humanæ certitudini opponitur. Præterea auctoritas unius testis non facit plenam probationem, ideoque non pertingit ad humanam certitudinem. At auctoritas unius testis ita reddit assertum suum probabile, ut oppositum sit improbabile, quamdiu nil afferatur in contrarium. Ergò aliquod dubium positivum, consistens in probabilitate unius partis sine probabilitate oppositi, non est moralis certitudo humana. Eadem autem ratio est de omni probabilitate, nisi illa sit maxima, seu talis, cui rarissimè contingit falsum subesse, illa enim moralem quandam & humanam certitudinem habet. Ergò semper obediendum est etiam in dubio positivo, nec ulla est exceptio, nisi quando probabilitas inhonestatis rei præceptæ est summa, quod in praxi rarò evenit; quia rarissimum est, quòd superiores præcipiant res ejusmodi, atque eas ut licitas à suis subditis exigant. Sed & tunc etiam obediendum esse, sequens ratio probabit.

Probabilitas uni tantùm parti favens, non semper est certitudo humana.

23. Præterea ratio Suarii videtur insufficiens; inde enim infert, quòd talis cognitio probabilis sit humano modo certa, quia homines vix possunt consequi certiorem cognitionem in rebus practicis. Inprimis hoc falsum est, nam nonnunquam in rebus practicis habemus plenissimam probationem, quæ moralem quandam certitudinem habet. At longè frequentiùs talis probatio deest. Ergò tunc non adest moralis certitudo, cùm homo, ut moraliter & humano modo certus sit, longè efficaciorem probationem exigat. Præterea aliqua objecta adeo remota sunt à nostra cognitione, ut de illis non nisi tenuem suspicionem habere possimus. Et tamen suspicio ejusmodi non est humano modo materialiter certa. Ergò quod non possimus certiorem cognitionem habere de aliquo objecto, non infert illam esse humano modo moraliter certam. Ergò illa certitudo alicunde mensuranda est, quàm ex impotentia nostra ad meliorem. Inprimis ergò requiritur summa quædam probabilitas, quæ tamen ad moralem & humanam certitudinem practicè non pertingit, nisi quando alia certior humano modo haberi non potest. Quòd si hæc duo concurrant, humana quædam & imperfecta moralis certitudo habetur, quæ tamen simpliciter loquendo certitudo non est. Ergò hæc ratio Suarii videtur insufficiens. Unde sic arguo. Quoties moralis & humana certitudo deest, ex mente Patrum obediendum est. At illa aut semper aut ferè semper abest, etiam quando dubium est positivum & probabile. Ergò ferè semper obediendum est, etiam in dubio positivo. Immò verò simpliciter obediendum est in tali dubio, quia genuinus & obvius sensus textuum allatorum procedit de certitudine simpliciter tali;

Ratio Suarii videtur insufficiens.

Certitudo humana quid importet?

neque quisquam illos legens aliter eos intelligere potest ex vi verborum. Itaque restrictio apposita, si sumatur universaliter, sine sufficiente necessitate adjungitur, quæ proinde admittenda non est; sed verba accipienda sunt in sensu genuino. Ergò in omni omnino dubio obediendum est, quamdiu scilicet non certò constat, rem præceptam esse malam.

Universalis obligatio obediendi in dubio positivo ostenditur.

24. Demùm assertio universaliter intellecta sic probatur. Tres tituli assignati, aut certè tres alii prorsus similes, prævalent omni dubio positivo in materia justitiæ, quando conjux bonæ fidei postulat debitum à consorte; quia in omni tali dubio reddendum est, ut expressè traditur *in cap. inquisitioni tuæ, de sent. excommunicat.* ubi Pontifex declarat debitum reddi non posse ab eo, qui certò scit adesse impedimentum conjugii; posse autem, non obstante probabili & discretâ credulitate de tali impedimento, modò absit evidens & manifesta notitia de matrimonii invaliditate. Ergò similiter tres illi tituli prævalent in omni dubio positivo etiam probabilissimo in materia obedientiæ, cùm eadem prorsus ratio in utroque casu valeat, ut satis constat ex rationibus, quibus assertionem probavimus. Ergò in omni prorsus dubio, etiam probabilissimo obediendum est.

S. Thomas tenet debitũ conjugale reddendum esse in omni dubio, etiã positivo.

24. Et sanè doctrinam hanc, de obligatione reddendi debitum conjugale in omni dubio positivo, apertè traditam invenies à S. Thoma *in 4. dist. 41. quæst. unicâ art. 5. quæstiunculâ 1. ad 3.* Hæc sunt ipsius verba. *Aut habet certam scientiam de impedimento matrimonii, aut opinionem, aut neutram. Si primo modo, nec exigere nec reddere debitum debet. Si secundo, debet reddere, sed non exigere. Si tertio, potest reddere & exigere.* Idem tradit *dist. 38. in exposit. textûs sub finem*, ubi agit quidem de dubitatione, sed ut expressè addit probabili, adeoque opinativâ, non suspensivâ. Eodem modo loquitur S. Bonaventura ibidem. Vide plura de hac re apud Bresserum *lib. 4. de Consc. cap. 14.*

Suarez ostenditur nobiscum sentire.

25. Et hæc quidem vera sunt, si universim sermo sit de obligatione obediendi, ut nunc loquimur; sed si loquamur de obedientia, quam Religiosi debent suis Prælatis, inhæreo doctrinæ, quam ex S. Bernardino Senensi, & Cardinali de Lugo tradidi *quæst. 23. de Consc. prob. num. 70. & seqq.* quæ videntur potiùs cöincidere cum sententia Suarii. Dixi enim, Religiosum non licitè obedire, quando inhonestas rei præceptæ ità est probabiliter inhonesta, ut oppositum non sit probabile; quod ita intelligendum est, ut obedientia sit illicita, quando tam superiori quàm subdito constat, inhonestatem rei esse probabilem, ejusdem autem honestatem non esse probabilem. Ratio est, quia tunc constat, superiorem abuti suâ auctoritate, ea præcipiendo, ad quæ mandanda facultatem non habet. Non ergò est illi obediendum. Et sanè eadem ratio locum habet in lege matrimonii; consors enim tamdiu solùm tenetur debitum reddere in dubio positivo, quamdiu qui petit, bona fide procedit. Si enim constaret, quòd matrimonii invaliditas utrique conjugi esset probabilis, & oppositum non esset probabile; neuter in eo casu licitè posset petere, ideoque neuter licitè posset reddere debitum conjugale; quia petens petendo suam facultatem excederet. Quod si maritus bona fide petat, tunc illi debitum non est negandum ob alterius partis dubium, quantumvis valdè fundatum.

Subditus quomodò debeat se gerere in

26. Jam si Superior & subditus in suo judicio discrepent, æquum est, ut subditus superiori cedat, non superior subdito. Cæterùm si subditus sit vir peritus, superior autem in rerum moralium notitia parum versatus, adeo ut subditus ob auctoritatem superioris non possit existimare, rem præceptam esse probabiliter licitam, cùm tamen certò constet, ejus inhonestatem esse probabilem; in eo casu subditus ille non debet statim cæco modo obedire, sed debet humiliter repræsentare superiori, rem præceptam esse probabiliter malam, ejusque honestatem non esse probabilem, ac proinde eam non esse aptam, quæ imperetur. Dignetur proinde rem meliùs considerare, ac peritos, si opus sit, consulere; se paratum obedire in omni eo, quod post diligentiam debitam superior judicaverit bonum, illudque imperaverit. Nec dubium, quin Prælatus Religiosus in tali casu teneatur subditum audire (maximè si subditus sit vir doctus) nisi ipse etiam peritus esset, remque ipsam & rationem dubitandi à subdito propositam examinasset. Jam si superior hæc audiens, dicat cum impetu, se hæc non curare, nolle se à subditis doceri, sed omnino velle obedientiam sibi præstari, dico subditum in eo casu non debere illi obedire, quia ex una parte non habet unde judicet honestatem rei esse probabilem, & ex altera satis appareat superiorem potestatem suam excedere, quippe quæ per omnia subordinari debet legi ac voluntati divinæ, quæque data est in ædificationem, non in destructionem. Cùm ergò constet, Deum in tali casu præcipere superiori, ne talem rem exigat à subdito, utique subditus Deo obedire debet, non superiori apertè contra voluntatem Dei præcipienti. At si superior præsumi possit rem satis examinasse, aut si minùs peritus sit, dicat se cum peritis egisse, & ex eorum judicio inveniisse rem licitam esse, ac proinde obedientiam exigere, utique subditus obedire tenetur, quia jam superior non ex impetu, sed maturè ac bonâ fide præsumitur procedere. Universaliter enim verum est, quòd subditus in omnibus incertis obedire teneatur, quæ superior bonâ fide credit licita, & pro sua potestate absolutè imperat. Verùm in hoc casu fieri nequit, quin pars præcepta evadat aliquo modo probabilis probabilitate extrinsecâ; ideoque non sumus ampliùs in casu de probabilitate se tenente tantùm ex parte inhonestatis rei præceptæ, ut patet.

27. Cæterùm quamvis improbitas superioris adeo notoria esset subdito, ut honestas rei præceptæ, ne quidem per dictam superioris attestationem evaderet ipsi extrinsecè probabilis, adhuc illi obediendum esset, quamdiu non constaret superiorem fictè agere. Si enim verè putet rem esse licitam, dicatque se rem sufficienter examinasse, ac propterea uti jure suo, & obedientiam exigere, non debet privari jure suo ob incertam exceptionem subditi; & hoc rationes assertionis evincunt, quia sicut in simili casu debitum reddendum est consorti illud petenti, & subditus ad bellum vocatus obedire debet, ita & subditus religiosus suo Prælato. Nec ullam hîc invenio exceptionem, nisi probabilitas esset summa, & res spectaret ad jus, atque ab omnibus prorsus haberetur illicita; quia in illo casu, satis constaret, superiorem suos limites excedere, & malâ etiam fide procedere. At secus dicendum est, quando probabilitas subditi de inhonestate rei præceptæ non est summa, nec ad moralem & humanam certitudinem pertingit, neque est de re, quam omnes illicitam dicunt; tunc enim subditus non habet sufficientem exceptionem contra suum superiorem, quia ex illa particulari probabilitate subditi non sequitur, superiorem bonâ fide non procedere,

cedere, aut debitam diligentiam non adhibuisse. Ergò tunc obediendum est, ut rationes convincunt. Nec existimo Suarium in hoc casu contrarium tenere, quia non videtur aliud intendere, quàm quod à me hactenus explicatum est.

Discrimen inter obedientiã religiosi & subditi à R. ge ad bellum vocati.

28. Porrò in hoc est diversitas inter subditum religiosum, & subditum regis, quòd superioritas religiosa directè instituta sit ad gubernandum subditum in ordine ad finem vitæ æternæ; unde sicut subditi est in suis dubiis de conscientia ad superiorem recurrere, ita est superioris eum audire, ac sincerè dirigere. Mirum proinde non est, quòd religiosus in dicto dubio non possit obedire, donec suam difficultatem superiori exposuerit, & juxta dicta directus fuerit. At rex non est constitutus, ut singulorum subditorum dubia de honestate belli resolvat. Unde illi ad regem pro illorum solutione non recurrunt, nec tenentur recurrere. Quando ergò constat, regem eos ad bellum vocare, & non constat eum aliud exigere, quàm quod justum judicat, neque moraliter certum est, illud esse à Deo prohibitum, obedientia illi præstanda est. Quòd si alicui constaret, regem non curare rationem justi, sed solùm quærere amplificationem regni &c. eò quòd consiliis adhibitus clarè videret omnes in eo convenire, quòd non sit sufficiens causa belli justè indicendi, aut rex ipse declararet, se nil de justitia belli curare, utique talis subditus, non posset illi licitè obedientiam præstare, sed Deo contrarium exigenti obediendum esset.

Conciliantur dicta hoc loco cum traditis *in tract. de Consc. prob.*

29. Demùm adverto, doctrinam, quam loco citato *ex quæst. 23. de Consc. prob.* ex Cardinale de Lugo attuli, in alio titulo non fundatam fuisse, nisi in potestate dominii, quam superior habet præcisè ex voluntaria libertatis abdicatione à subdito factâ, quia Cardinalis de hac tantùm, non de alia mentionem facit. At illa sola potestas non est tam efficax ad obligandum, ac integra potestas superiotis, (de qua mox plura dicentur ex professo) quia illa potestas non est major, quàm vovens ipse sibi imponere intendebat. At alia potestas est longè major, & non dependet à voluntate subditi. Unde quamvis Cardinalis apposuerit limitationem, quam ibi perpendimus, illa tamen intelligenda est juxta proximè explicata; & quidem ita, ut sermo non sit nisi de illa præcisè potestate, quæ ex voto subditi transfertur in superiorem, quod notandum fuit, ne quis ex illo loco malè intellecto existimet, me hic multùm recedere ab illis, quæ ibi tradidi, cùm revera in nullo recedam, sed clariùs, atque disertiùs explicem ea, quæ ibi tradidi.

ASSERTIO TERTIA.

Quod universaliter dictum est de subditis respectu superiorum, æquè aut à priori locum habet in subditis religiosis.

Subjectio religiosorũ non minùs obligationis affert, quàm subjectio aliorum.

HÆc Assertio ponitur contra quosdam Recentiores, apud Bresserum *lib. 4. de Consc. cap. 15.* qui docent ut probabile, quod religiosi in dubio non debeant obedire, quamvis de aliis subditis communi nostræque sententiæ subscribant.

Ratio 1.

30. Probatur primò, ex rationibus & auctoritatibus pro secunda assertione allatis, illæ enim æquè procedunt de religiosis, cùm religiosi fuerint sancti Patres, ex quorum dictis conclusionem illam stabilivimus. Illi autem potissimè loquuntur in ordine ad suos subditos religiosos, ut patet.

Ratio 2.

31. Probatur secundò. Prælati regulares & exempti duplicem in suos subditos potestatem habent: aliam *dominii*, ut vocant, qualem habet Pater-familias erga liberos, & familiam suam. Hanc accipiunt à voto, quo subditus illorum directioni sponte se subdit. Aliam *juris-dictionis*, qualem habent Episcopi in suos subditos, ratione cujus possunt excommunicare, præcipere &c. Hanc habent sibi à summo Pontifice communicatam. Unde sic arguo. Religiosi obligantur eodem titulo, quo alii, ad obediendum suis superioribus. Immò illi duplici, hi simplici tantùm titulo obstringuntur. Unde illi gravius peccant non obediendo, quàm isti. Ergò subditi religiosi non solùm ex æquo sed magis tenentur obedire suis superioribus, quàm alii suis.

Prælati regulares duplicem potestatẽ habent in suos subditos.

Confirmatur. Si Clericus obedientiam Episcopo voveret, non ideo minùs obligaretur illi obedire, quàm antea, sed magis; quia jurisdictio Episcopi per votum illud non debilitaretur, sed roboraretur relatè ad illum Clericum. At idem prorsus valet in subdito religioso, cujus superior habet jurisdictionem quasi Episcopalem.

Ratio 3.

32. Probatur tertiò, ex communi fidelium ac religiosorum sensu; omnes enim putant, religiosos magis obligari ad obediendum suis superioribus, quàm seculares suis; idque non solùm intensivè, sed etiam extensivè, quia regulares ex sua parte se pleniùs gubernandos tradunt, quàm seculares suis; præsertim in dubiis. Atque hinc orta est communis omnium opinio, quòd subditi omnes, potissimùm religiosi, suis superioribus obedire teneantur in dubio.

Potestas dominii facit obligationem obediendi in dubio.

33. Probatur quartò. Communis omnium opinio est, quòd in dubio obediendum sit superiori, solam dominii potestatem habenti, absque ulla jurisdictione. Solus Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 3.* videtur paulò strictiùs locutus reliquis; dicit enim non videri improbabile, Abbatissam non posse ex voto obedientiæ obligare monialem ad aliquid faciendum in dubio de honestate rei præceptæ, eò quòd illa juxta communem Theologorum sententiam potestatem jurisdictionis non habeat. Nihilominùs Suarez ipse docet oppositum esse probabilius, & verum. Unde sic arguo. Communis Theologorum opinio, & unanimis fidelium persuasio est, quòd in dubio obediendum sit superiori non habenti jurisdictionem, sed solam dominii potestatem. Rursus certum est, quod in dubio obediendum sit superiori solam jurisdictionis potestatem habenti, nam in hoc omnes conveniunt. Ergò multò magis obediendum est superioribus religiosis, qui utramque potestatem certò habent.

An & in quo sensu verum sit, religiosos non debere obedire in dubio.

34. Et sanè Bresserus loco citato rem hanc adeo constantem ac probatam putat, ut dicat prorsus improbabile esse, quod hujusmodi superioribus non sit obediendum in dubio, si concedatur quod in dubio simili aliis sit obtemperandum. Ego non libenter censuro opiniones Catholicorum; quare juxta supra dicta, admitto regulares in aliquo sensu non debere obedire in dubio, scilicet quando auctoritas superioris & exhibitio præcepti non tollit dubium de honestate rei præceptæ; tunc enim religiosi rectiùs faciunt, & sæpè tenentur suam difficultatem superiori proponere, nec antea obedire convenit. Sed si superior bonâ fide procedat, & post rem examinatam existimet eam esse licitam, subditus illi obedire tenetur. Itaque existimo, Auctores illos recentiores, quos Bresserus tacito nomine citat,

aliud quàm hoc non intellexisset. In hoc autem sensu verum dicunt, nec ullam censuram merentur, ut patet.

Obedientia maximum religiosorũ solatium.

35. Nec solùm licitè obediunt religiosi, sed hoc solaminis illis singulariter competit, quòd firmam in integra obedientia conscientiæ securitatem habeant. Hoc, quia summi ad præsens ac principale institutum momenti argumentum est, paulò ulteriùs explicandum duxi, sit ergò.

ASSERTIO QUARTA.

Integra, prompta, & cæca Religiosorum obedientia in omnibus, quæ mala non apparent, est securissima conscientiæ regula.

Plena obedientia in omnibus, quę mala non apparent, est tutissima conscientiæ regula.

36. PROBATUR ex communi SS. PP. auctoritate, qui religiosæ obedientiæ securitatem mirum in modum efferunt, asserentes nullam esse regulam tutiorem, quàm plenissimam obedientiam in omnibus, in quibus peccatum non apparet.

Inprimis recolenda sunt, quæ *num. 12.* attuli ex SS. Bernardo, Bonaventura, Bernardino Senensi, Ignatio de Loyola, & B. Humberto, quia illi dicunt in omnibus obediendum esse tanquam Deo, quamvis aliqua ratio mali appareat, modò non constet rem præceptam à Deo esse prohibitam. Ergò à fortiori favent præsenti assertioni. Videri etiam possunt, quos citavi *hic quæst. 3. num. 38. propè finem.* His addo sequentes.

S. Basilius.

S. Basilius *in reg. fusiùs disputatu, cap. 28.* hæc habet. *De judicii periculo prorsus illum esse sollicitum finito, qui imperat.*

B. Columbanus.

B. Columbanus *in reg. cap. 9.* loquens de eo, qui alterius prudentis consilium sequitur, hæc habet. *Si alterius erraverit responsum, fides credentis & labor obedientis non errabunt.*

S. Joannes Climachus.

S. Joannes Climachus *grad. 4.* (editionis græco-latinæ *pag 68.*) hæc habet de religioso obediente. *Mortem intrepidius expectat, certus in excessu vitæ, non à se, sed à præside suo rationem exactum iri.*

Humbertus.

Humbertus V. Prædicatorum Generalis *lib. de tribus votis substant. cap. 5.* Nam etsi ille (id est superior) *erraverit, nequaquam vos deviabit is, seniorum mandatum, (nisi contra Deum quid præceperit) exequentes.*

Regula magistri.

Regula, quæ inscribitur, *Magistri*, apud Lucam Holstenium *cap. 2.* docet Abbatem, si quid malè præceperit, rationem Deo redditurum, & subditos excusandos. *Quia*, inquit, *cùm discussi fuerint de omnibus actibus suis, dicturi sunt in judicio Domino, omnia facta sua per obedientiam ex jussione impleta esse Magistri. Et cap. 7. Illum tanget in discussionis judicio rationem reddere, qui imperat, non qui imperata perficit, sive bona, sive mala.*

S. Vincentius. S. Catharina Senensis.

S. Vincentius *lib. de vita spirit. cap. 4.* dicit, *Obedientem inoffenso pede procedere.* Et S. Catharina Senensis *in dialogis tract. 4. cap. 155.* sic exclamat. *O obedientia, quæ navigas sine labore, & sine periculo ad portum salutis appellis !*

Superiori obediendũ est, ac si Deus ipse immediatè præciperet.

37. His addi possunt innumeri Patres & Magistri spirituales, qui expresè tradunt, superiorem non ut hominem, sed ut Dei vicarium à subditis considerandum, quos propterea hortantur ad promptè & sine discussione obediendum homini tanquam Deo, ubi peccatum non apparet. Præclara sunt & plurima, quæ hac de re scribit Suarez, *tom. 4. de Relig. lib. 4. cap. 15.* quæ videri possunt; non enim libet ea exscribere, quamvis opportunum sit nonnulla ex illo apponere. Inprimis ergò post plura loca ex constitutionibus Societatis allata, in quibus S. P. N. hortatur suos, ut *ad omnem superioris vocem, ac si à Christo Domino egrederetur, quàm promptissimi sint*, quodque *superiorem, quicumque ille sit, loco Christi agnoscant, ejusque voces ac jussa non secus ac Christi vocem excipiant*, post hæc, inquam, refert eadem expresè approbari in Bullis Pauli III. & Julii III. in quibus hæc habentur: *Subditi tum propter ingentes Ordinis utilitates, tum propter nunquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium, Præposito in omnibus ad institutum pertinentibus parere semper teneantur, & in illo Christum veluti præsentem agnoscant, & quantum decet venerentur.* Mox subjungit, S. Patriarcham nostrum Ignatium velle suos sequaces obedire, *omnia justa esse sibi persuadendo, omnem sententiam, ac judicium suum contrarium cæcâ quâdam obedientiâ abnegando*: atque ad omnia illis adjuncta complenda, *cæco quodam impetu voluntatu parendi cupidæ sine ulla prorsus disquisitione ferri.*

Simi Pontifices laudant obedientiam cæcam, & præcisè prohibentem discussionem.

38 His propositis, ostendit universam doctrinam hanc, omnemque illius expressionem in sacra Scriptura fundatam, atque à SS. PP. traditam fuisse. Inprimis *Lucæ 10.* Christus ipse dixit. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Alloquebatur autem Apostolos, qui loco ipsius pastoralem curam habituri erant, atque ita in illis omnes animarum Pastores alloquebatur. Hæc autem specialiter ad Superiores religiosorum applicant Patres, quos ibi citat Suarez. Unus Basilius sit loco omnium, qui *Constitut. Monasticarum cap. 22.* observat, Christum intelligendum per id, quod Apostolis dixit, *in commune legem sanxisse in posteros, qui aliorum futuri erant moderatores.* Quod æquè convenit religiosis Prælatis, ac Episcopis & Parochis. Mox *cap. 23.* eadem religiosis Prælatis expresè applicat. Sed & S. Paulus *ad Ephesios 6.* servos sic alloquitur, *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino & non hominibus.* Similia etiam dicit ad servos *ad Colloss. 3. Quodcumque facitis ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus, scientes, quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino Christo servite.* Unde Basilius loco citato *cap. 23. Antistes*, inquit, *personam Christi sustinet, & sequester est inter Deum & hominem.* Et *in reg. brevioribus, reg. 38. Quidquid contumaciæ aut obedientiæ subditus adhibet, non adversus hominem, sed adversus Dominum adhibet, qui dixit, Qui vos audit me audit &c.* Bernardus *lib. de præcepto & dispensat. cap. 12. Ipsum quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus.* & iterum: *Sive Deus, sive homo vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pariter reverentiâ deferendum, ubi tamen contraria Deo non præcipit homo.* Cassianus etiam de antiquis Monachis refert solitos fuisse, *universa complere, quæcumque fuerint à Præposito præcepta, tanquam à Deo sint cælitus edita.* Si plura cupias, lege Suarium, loco citato.

Hæc obedientia dicenda à Scriptura traditione.

Et à S. Basilio tributa tur.

Sine discussione cæca modo ubi obediendum

39. Rursus, quòd prompto animo, atque sine discussione, cæco quodam voluntatis impetu obediendum sit, tradit Aug. apud S. Bonaventuram *in opusculo octo collationum, Collat. 3.* ubi ex Aug. hæc scribit Bonaventura. *Ut obedientia Religiosi sit Deo acceptabilis, debet esse prompta sine dilatione, vera sine fictione, devota sine detractione, voluntaria sine contradictione, humilis sine*

Aug. Bon. vera fictio devota simplex

simplex sine discussione, perseverans sine cessatione &c. & S. Hieronymus *Epist. 4. ad Rusticum* dicit, *Credas salutare quidquid ille* (id est Præpositus) *præceperit; nec de majorum sententia judices, cujus officium est obedire, & implere, qua jussa sunt, dicente Moyse: Audi Israël & tace.* Cassianus de antiquis Monachis *cap. 10. Sine ulla*, inquit, *discussione festinant, ut nonnunquam etiam impossibilia, sibimet imperata, eâ fide ac devotione suscipiant, ut totâ virtute ac sine ullâ cordis hæsitatione ea perficere & consummare nitantur; & nec impossibilitatem quidem præcepti pro seniorū reverentia metiantur.* Et postea affert plura exempla taliter obedientium, quorum nonnulla etiam miraculo fuêre confirmata. S. Benedictus *in reg. cap. 68.* obedientiam exigit non solùm in rebus gravibus, sed etiam impossibilibus, vultque præceptum cum humilitate & mansuetudine suscipi: permittit autem causas aperire superiori, ob quas impossibile appareat, quibus tamen auditis, si superior in sua sententia persisterit, *Subditus*, inquit, *pro certo habeat, illud sibi conveniens, & cum charitate & spe divini auxilii obediat.* Cæsarius Arelatensis *in hom. 8. ad Monachos: Quidquid tibi à superioribus fuerit imperatum, accipe tanquam de cœlo, sicut de ore Dei prolatum, nihil reprehendas, nihil discutias, in nullo penitus murmurare præsumas, totum justum, totum sanctum & utile judica, quidquid tibi à Prælato videru imperari.* Præter hos Suarez adducit SS. Bernardum, Climacum, Nilum, Dorotheum, Laurentium Justinianum, Antoninum, & alios, quos videre est loco citato.

Cassianus

Obediendū etiam in impossibilibus.

S. Benedictus.

Cæsarius Arelat.

40. Ex hisce sic arguo. Ex communi SS. PP. atque DD. ipsiusque adeo Ecclesiæ consensu, eoque in citatis sacræ Scripturæ locis fundato, constat eam esse religiosæ obedientiæ securitatem, ut quamvis Prælatus temerè quidpiam, quod reipsâ sit illicitum, præcipiat, si tamen in eo nullum appareat peccatum, subditus bonâ fide obedire potest & debet, atque sic obediens potest & debet esse securus se non peccare taliter obediendo, quódque proinde securus esse possit, nullam à se in die judicii, sed solùm à superiore, de talibus rebus rationem à Deo esse exigendam.

Subditus promptè obediens certus est se nō peccare.

41. Rursus sensus Patrum, Doctorum, ac Ecclesiæ est, subditos religiosos, quoties nullum apparet peccatum in præcepto, debere obedire superiori promptè, & sine ulla discussione, aut hæsitatione, tanquam Deo; id est, debere obedire non aliter, quàm si præceptum immediatè ab ipso Christo latum fuisset. Quodque securi esse possint ac debeant, se taliter obediendo nullam peccati aut reprehensionis suspicionem vel periculum incursuros, quamvis contigerit Prælatum ex ignorantia, aut etiam ex malitia malum præcepisse.

Obediendū cum securitate conscientiæ, ac si nec immediatè præciperet.

42. Immò, quod plus est, sensus communis tam PP. quàm DD. ac proinde communis etiam Ecclesiæ sensus est, subditos obedire debere, non solùm quando præceptum superioris nullam peccati speciem præ se fert, sed etiam quando dubium est, an sit malum, necne; idque verum est non solùm de dubio negativo, sed etiam positivo; & quidem de dubio negativo, & utrimque positivo omnes conveniunt; quòd si dubium positivum solùm sit de inhonestate præcepti, & nulla ratio faveat honestati, adhuc ex mente expressa plurium SS. PP. qui nominatissimi Religiosorum instructores, aut Patriarchæ fuerunt, & omnium fermè vitæ spiritualis magistrorum, obediendum est, quia expressè dicunt, obedientiam præstandam esse in omnibus, de quibus certum non est quod sint mala. At nullum dubium positivum aufert certitudinem ejus de quo est dubium. Ergò in omni dubio obediendum est juxta dicta. Et sanè Patres antiqui mirum in modum extulere obedientiam hanc bonâ fide homini factam, etiam in iis, quæ ex se mala videri poterant & erant. Cassianus *lib. 4. cap. 27. & 28.* refert, Abbatem Mutium ex mandato sui superioris proprium filium octennem in profluentem abjicere voluisse. *Cujus fides & devotio*, inquit ille, *in tantum Deo accepta fuit, ut divino statim testimonio comprobata sit. Revelatum namque est continuò seniori, hâc eum obedientiâ Abrahæ Patriarchæ opus implêsse.* Sed & Tyroquidam apud Severum Sulpitium narratur ex obedientia ingressus fuisse in clibanum succensum, & illæsus exiisse, & ideo laudatur à Sulpitio. Sed & Maurus ad S. Benedicti præceptum aquas ingressus est, mersus autem non est, ut refert S. Gregorius *lib. 2. dial. cap. 7.* Similiter legitur in vitis Patrum, quòd quidam jussus leænam adducere, eam cœpit, & ad superiorem adduxit. Nec alia complura desunt in vitis Sanctorum, & antiquorum Monachorum gestis, quæ tamen omnia referuntur tanquam eximiâ laude digna, & plura eorum absque dubio fuêre talia, cùm Deus ejusmodi obedientiam miraculo comprobaverit. Hæc omnia secundùm se & materialiter sumpta erant mala; & tamen per superioris præceptum subdito obedienti facta sunt honesta, & laudabilia; ideoque rectè infertur, subditum laudabiliter obedire, etiam quando turpitudo rei ex se est certa, modò in hisce circumstantiis, & prout substat præcepto superioris, certum non sit quod res illa sit mala, sed spes effulgeat, quod sit bona, & Deo grata. Immo in omni ejusmodi casu expedit cæco quodam mentis impetu obedire, non examinando rem præceptam, sed superiorum probitati fidēdo, qui aut semper aut saltem plerumque in similibus à Deo diriguntur; quia proprium est superiorum ac Prælatorum altioribus ac universalioribus, peculiarisque providentiæ rationibus duci, quarum subditi capaces non sunt, vel certè quas eos scire non expedit.

Talis obedientia laudatur à Patribus.

Mala ex se per superioris præceptum fæpè fiunt licita.

43. Ratio à priori deducitur ex ipso fine ac statu religiosæ obedientiæ. Ideo enim Religiosi se subdunt homini vices Dei tenenti, ut ab illo plenè regantur, idque faciunt ex fiducia, quam habent de Dei misericordia, quòd hac ratione longè certiùs ac securiùs dirigendi sint per ejus vicarium in via salutis, ac in omnibus dubiis, quàm si proprio se judicio gubernarent. Atque hinc est, quòd superiores religiosi censeantur à Deo recipere peculiare lumen ad rectè gubernandum; quia regimen illud est magis divinum ac supernaturale, quàm regimen politicum. Secundò status isti, de quibus loquuti sumus, sine hujusmodi obedientiâ cum pace & tranquillitate subsistere ac administrari non possunt; sive sermo sit de politica, œconomica, vel militari, sive etiam de religiosa obedientia. Si enim tunc solùm obediendum esset, quando imperium subdito videretur honestum, aut postquam subdito clarè constaret, honesta imperari non solùm in sensu composito sed etiam in sensu diviso præcepti, eo ipso regimen evaderet moraliter impossibile; quia subditus facilè prætenderet, honestatem rei præceptæ nondum sibi constare, adeoque se licitè obedire non posse; atque hinc concordia, atque subordinatio servari non posset, sed continuum schisma, ac bellum superiores inter & subditos induceretur; quod ut avertatur, dicendum est, subditum in omnibus obedire debere, quæ certum non est

Ratio à priori, ex fine & statu religiosæ obedientiæ.

Sensus Ecclesiæ est, quod obediendum sit cum securitate, etiam in dubio, quando non est certum rem malam præcipi.

esse mala; quia ratio præcepti est circumstantia, per quam omnia ejusmodi ex vi status initi hoc e-
Prælatum Ciceronis Dictum. stantur. Nam præclarè in hanc rem scribit Cicero *lib. 3 de leg. Nil tam aptum est ad jus conditionemque naturæ, quàm imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec universum hominum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.* Ita est, nil tam aptum est naturæ humanæ, quàm imperium, quo solo inferiores ac subditi, utpote ob imbecillitatem ac ignorantiam infinitis erroribus obnoxii, tutò diriguntur, ac quodammodo defenduntur; adeo ut natura ipsa jure suo subordinationem hanc indispensabiliter flagitet, quâ semotâ, nil nisi contentiones & rixæ in familiis, seditiones & discordiæ in civitatibus, in gentibus bella, & in universo hominum genere ingentes ruinæ sperari possunt. Hisce malis avertendis necesse fuit, ut in omnibus obediendum sit, de quibus certò non constat ea esse mala & prohibita. Aliter talibus malis avertendis nullum remedium afferri posset; si enim in rebus incertis superior credat aliquid licitum esse, suoque jure id exigat, subditus ob suam ignorantiam & incertitudinem obedientiam negare non potest, quin maxima illa mala, ad quæ avertenda imperium & potestas constituta est, irremediabiliter consequantur.

Tres Celladei errores, contra communem Ecclesiæ sensum. 44. Ex hac unanimi SS. PP. Magistrorum vitæ spiritualis, ac totius Ecclesiæ consensu, infertur primò, subditos religiosos, sine ulla discussione obedientes, esse certiores de non peccato formali, quàm sint de non peccato materiali; quia ex omnium doctrina securissimi sunt se non peccare, quamvis superior ex ignorantia decipiatur, aut etiam ex culpa malum præcipiat. Infertur secundò ex eadem auctoritate prorsus irrefragabili, operationem esse posse bonam & honestam, quamvis opus ipsum materialiter sumptum sit malum. Nec enim dubium, quin Sancti Patres citati censeant, obedientiam, quam adeo extollunt, esse honestam ac laudabilem, quamvis Prælatus erret, ut dictum est. Infertur tertiò, certitudinem hanc Religiosorum in obediendo non esse directam, cùm nec sint, nec esse possint certi, malum materiale non latêre in opere, imò id sæpè dubium illis apparere supponitur. Ergò fundatur in certitudine reflexa, quæ in ipso statu obedientiæ fundamentum habet; quia illi licitè faciunt in eo statu, quæ licitè facere non possent extra statum illum, ut videre est in subdito bellante sub proprio rege, stante dubio de honestate belli. Non enim licet non subdito sic bellare, donec satis ipsi constiterit, bellum esse honestum. Ergò conscientia certa in hujusmodi casibus non per directa, sed per principia syndereseos reflexa formatur. Erravit ergò Celladeus, & contra sensum totius Ecclesiæ in toto fermè opere ubique erravit, quia magna pars operis eò collimat, ut eria asserta, tribus illis corollariis oppositis stabiliat. Sed quàm irrito conatu, suis in locis ostensum est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio. 45. OBJICIES. Obedires ne tu superiori præcipienti ingressum super aquas, aut alia ejusmodi, quæ commemorata sunt? Non existimo, quia cùm ita appareant mala, ut vix ulla ratio honesti appareat, non est undè conscientia ritè formetur. Cur ergò proponis aliis ut licita, quæ ipse practicè pro licitis pro teipso habere aut non potes, aut non audes? Præterea nónne imprudentiæ argueretur, qui sic obediret? Ergò in similibus obediendum non est, sicut nec in impossibilibus, quia conniti ad rem impossibilem, vel temerarium est, vel certè vanum & inutile; ac proindè stultum, & illicitum.

Respondeo inprimis, argumentum nimis probare, quia peccati condemnat potissima obedientiæ exempla, quæ non solùm à SS. PP. & spiritualibus Magistris, sed ab universo fidelium cœtu celebrantur tanquam Deo summè placentia, quæque Deus manifestis miraculis sibi gratissima fuisse comprobavit. Quod si illis licuit obedire in ejusmodi, quidni & nobis liceat? Cur nos ex obedientia cæca circa eandem rem exhibita peccatum incurremus, si ex eadem illi laudem meruerint, & præmium tulerint? Nil ergò probat. Respondetur.

46. Respondeo secundò disparem prorsus esse rationem de iis quæ impossibilia, & de iis quæ mala apparent; nisus enim ad impossibilia, quamvis stultus sit & inanis, si proprius & directus finis talis actionis inspiciatur (qualis erat diuturna illa ligni aridi irrigatio, & nisus ad ingens saxum loco movendum) & sub hac ratione honestari non possit; eadem tamen actio, idemque nisus, cùm in se malus non sit, multis de causis honestari potest, si ad bonum finem ordinetur, ut ad exercitium obedientiæ, humilitatis, mortificationis &c. ideoque in ordine ad tales fines non solùm sine culpa, sed cum magno merito obedire possumus in rebus naturaliter impossibilibus, quando superior conatum talem præcipit. Et hoc videtur esse, quod S. Benedictus à suis exigit, nempe ut in impossibilibus etiam obediamus, quod ita intelligendum videtur, ut studiosè & celeriter obediendum sit in arduis ac impossibilibus, quantum ad inchoandam actionem, quando est possibilis conanti, nec antea desistendum, donec reipsâ constiterit, rem præceptam esse impossibilem; tunc enim admonendus est superior, qui tamen si jam impossibilitatis conscius adhuc in suo imperio persistat, ei obediendum est ponendo actionem, quæ ad ordinarium quidem ipsius finem inutilis est, sed valdè utilis ad alios altiores fines, quos superior intendit, & ad quos perfectus obediens respicit. At aliter dicendum est de rebus malis, quia illæ honestari non possunt, quamvis ad bonum finem ordinentur. Itaque dispar longè ratio est de obedientia in impossibilibus, ac in malis. Relictâ ergò disputatione de obedientia in impossibilibus, quam certò constat esse sanctissimam, sermo restringendus est ad obedientiam in iis, quæ mala apparent. Itaque in hoc sensu. Obedientia in impossibilibus quando certò finis.

47. Respondeo tertiò cum Sancto Patre nostro Ignatio, in omnibus prorsus obediendum esse, de quibus mihi certò non constat, quod sint peccatum in sensu compositi præcepti, quamvis sciam, quòd sint in sensu diviso, si absque præcepto ex proprio arbitrio eligantur. Omnes enim vitæ ipsius scriptores narrant, cum, senem jam & multis infirmitatibus obnoxium, sæpè dicere solitum, se infirmum, ut erat, ad minimum summi Pontificis nutum iter pedibus suis Româ usque in Hispaniam confecturum; &, quod plus est, mox iturum ad Ostia Tiberina, atque in eo portu absq; ullo ad mare transeundum viatico navim remis velisque ac gubernaculo carentem statim conscensurum, idque se absque ulla difficultate, sed summa cum consolatione facturum. Hoc S. Viri dictum nonnemini displicuit, qui propterea quodammodò Sanctum arguens, Ecquæ, inquit, prudentia esset ista, Pater Ignati? cui mox ille: Prudentia rerum eligendarum virtus est superioris impe- In omnibus obediendo, quando non constat ut præceptum sublatum esse censeat.

imperantis, non subditi obedientis. Itaque respondeo, S. Ignatium in eo casu prudenter obtemperaturum fuisse, quia prudentia rerum eligendarum & convenientium discretio non est virtus obedientis, cui ea tantùm prudentia ac discretio convenit, quòd nolit suæ discretioni ac prudentiæ in rebus incertis inniti, maximè quando propria prudentia ac discretio obedientiam & obedientiæ meritum impediret. Jam urgeo argumentum in contrarium, & peto, quisnam audeat talem S. viri obedientiam improbare, quam omnes ut exemplum perfectissimæ subjectionis suspiciunt & admirantur? Constat tamen talia ex proprio capite citra peccatum fieri non posse, quia vita per illa evidenti mortis periculo sine necessitate exponitur; idque notorium erat non solùm Ignatio, sed etiam censori illi, qui prudentiam jubentis cum obedientis prudentia confundebat; & tamen quia illa objecta, ut substantia summi Pontificis præcepto, non erant certò mala. Ignatius absque ulla difficultate, immò cum summa alacritate ea præstitisset, quia confidebat, se per suum superiorem ad ea, quæ Deo placerent, & sibi congrua essent, dirigendum, ideoque paratus erat ad omnia, in quibus nullum erat manifestum peccatum; quia per hoc ipsum moraliter certus erat, talia objecta, ut superioris præcepto substantia, subdito licita evadere. Sed ut ista doctrina, atque S. Patris Ignatii obedientia planè mirabilis meliùs intelligatur:

Miranda S. Ignatii obedientia.

48. Respondeo quartò, me non omni superiori, sed aliquibus tantùm, si talia præciperent, obediturum. Ratio est, quia cùm illa objecta independenter à præcepto sint certò mala, utique obediendum non est, posito præcepto, nisi ipsa circumstantia præcepti aut ea reddat honesta, aut certè quoad subditum ea reddat non certò inhonesta. At quodvis præceptum, à quovis superiore profectum, non est ejusmodi circumstantia; quia fieri potest, ut quis habeat, & ex longa experientia sciat se habere superiorem imprudentem, quia talia sine ratione aliis sæpiùs præceperit, quique sit vir imperiosus, & parum cupidus boni subditorum, suamque tantùm dignitatem & imperium curet &c. hujusmodi superiori obtemperandū non esset; quia cùm ex una parte res præcepta, sine imperio accepta, sit certò mala, & ex alia parte imprudentia & improbitas superioris obstet, quò minùs subditus rationabiliter præsumere possit aliquid adesse, quod ipsum lateat, ratione cujus res illa & actio immediatè præcepta non sit mala, ideò in tali casu non magis licet illi talia facere ex obedientia, quàm ex proprio capite sine obedientia. At si dignitas, probitas, & prudentia Prælati talis sit, ut subditus meritò præsumere possit, eum talia non imperaturum, nisi ex providentia quadam superiori, aut ex peculiari Dei instinctu ductus sciret, actiones à subdito immediatè exercendas hîc & nunc malas non esse, sed Deo placere; absolutè pronuncio quòd subditus in tali casu absque scrupulo obedire possit, quódque rem Deo gratissimam facturus sit, si ex prompto obediendi studio homini talia imperanti tanquam Deo obediat; idque verum est, etsi superior ille hîc & nunc præter rationabilem subditi expectationē à recta prudentiæ regula deviaret. Jam quia S. Ignatius moraliter certus erat, summum Pontificem, quem solùm superiorem habebat, talia non imperaturum, nisi altioribus rationibus atque singulari providentiâ duceretur, ideo accessio talis præcepti fuisset circumstantia ipsum certificans, quòd actiones ab ipso immediatè ex obedientia ponendæ vel essent certò bonæ, vel certè quòd non essent certò malæ, & consequenter quòd hîc & nunc licitè ab ipso poni possent. Certè in tali casu quisquam prudenter præsumeret, summum Pontificem vel ex peculiari Dei instinctu talia præcipere, vel si ex providentia ac prudentia tantùm humana ea præciperet; alia media adhibiturum, quorum accessione nil mali ex obedientia esset secuturum. Si ex divino instinctu præciperet, & hoc prudenter præsumi posset, nulla in obediendo difficultas esset; si verò ex prudentia tantùm humana juberet, supponendum planè esset, eum solùm velle, ut subditus iter pedibus ingrederetur, aut navem illam conscenderet, ut sic obedientiam ac humilitatem subditi probaret in actione, quæ ex se præcisè mala non est, sed solùm ut conjuncta cum evidenti vitæ periculo; quod periculum ipsemet superior aliâ providentiâ, latente subditum, constituerat amoliri, mittendo exempli gratiâ paulò post triremem debitè instructam, quæ navem illam comitaretur, aut rhedam, quâ subinde, ubi opus esset, infirmus iter pedibus ingressus sublevaretur &c. Atque ideo in tali casu haud dubiè licitum esset obedire; quia subditus præsumere posset & deberet, superiorem alterutro ex istis providentiis gubernari; ideoque licitum sibi esse ponere actiones, quæ ex se indifferentes sunt, ut subsistent vel non subsistent extraordinariæ hujusmodi providentiæ; quæque proinde non sunt essentialiter malæ, sed posito tali præcepto sine peccato poni possunt, quia per illud aut per providentiam qua regulatur, evadunt bonæ.

Non obediendum est omni superiori jubenti ea, quæ citra obedientiam sunt certò mala.

49. Quòd si actiones, immediatè exercendæ à subdito, essent intrinsecè malæ, ut mentiri, blasphemare, votum castitatis violare &c. utique obediendum non esset, quia actiones illæ non sunt indifferentes, ut subsint extraordinariis circumstantiis, à quibus honestari possint. Jam qui ad exempla allata animum adjecerit, videbit illa in iis tantùm actionibus posita esse, quæ ex peculiari providentia honestari poterant, & de facto honestatę fuerunt. Noverat Maurus mirandam prorsus sanctitatem atque cælestem prudentiam S. Benedicti, ideoque absque ulla hæsitatione ad illius vocem aquas ingressus est, quæ obedienti solidum iter præbuerunt. Idem credibile est, eveniſſe in Tyrone illo, qui accensum clibanum est ingressus. Similia haud dubiè præsumi poterant, & virtualiter saltem præsumpta sunt ab eo, qui filium proprium ad superioris jussum arripuit, ut eum in profluentem injiceret; & sanè quod præsupponi poterat ac debebat, revera inventum fuit, quia ex providentia superioris factum est, ut nullum filio nocumentum ex Patris obedientia proveniret. Jam ergò qui tales superiores haberet, haud dubiè in omnibus ejusmodi, quæ stante præcepto, non sunt certò mala, laudabiliter obediret. In eisdem ipse etiam paratus sum obedire, quantum spectat ad superandam difficultatem obediendi ex timore peccati, si obedirem; quamvis fortassis ex vitæ amore difficultatem à me non superandam invenirem, aut ad gradiendum super aquas, aut ad me clibano ardenti immittendum &c. Sed hæc difficultas non est ad rem, quippe quæ defectum meum in obediendo, non defectum virtutis in obedientia præstanda argueret.

Nunquam obediendū est circa actiones intrinsecè malas.

Illi obtemperandum est, cujus præceptum efficit, ut res ex præcepto potè da non fit certò mala.

50. Dico ergò, quòd devota, cæca & fiducialis obedientia ab omnibus præstanda sit in simili casu, quando nimirum prudentia & probitas Prælati fundant præsumptionem, qualem obedientia in allatis exemplis contenta supponebat; quòd si

illa desit, in rebus certò malis in sensu diviso præcepti, obediendum non est, quia omnibus resistendum est, qui certò mala præcipiunt, nisi ipsi sua auctoritate efficiant, ut subditus meritò præsumere possit ea hîc & nunc non esse peccaminosa, aut certè non esse certò mala. Itaque quando hujusmodi exempla afferuntur, non proponuntur eo fine, ut per illa existimemus, quòd omnibus subditis liceat similia agere ad quemvis nutum cujusvis superioris, sed ut sciamus, quantum Deo placeat simplex obedientia, & ut incitemur ad hujus virtutis perfectionem procurandam, obediendo simpliciter & sine discussione in rebus ordinariè præceptis, quando aut nullo modo apparet rem præceptam esse malam, aut certè quando non est certum quòd sit mala. Cæterùm hujusmodi exempla solùm probant eodem modo obtemperandum esse in similibus casibus, quando scilicet circumstantiæ superioris præcipientis eodem etiam modo se habent. Et hoc probant quod nos concedimus.

Qui dubitat, an res ut subsit præcepto sit licita, peccat, si obediat.

51. Cæterùm, ut omnis æquivocatio tollatur, notandum est, duobus modis dubium esse posse de honestate rei præceptæ. Primò, prout consideratur secundùm se, antecedenter & independenter à præcepto. Secundò, prout consideratur ut substans præcepto, seu prout se habet consequenter ad præceptum, dubitando an liceat rem facere, etiam stante præcepto, quod idem est ac absolutè dubitare, an liceat obedire in tali materia. Hoc posito, doctrina allata solùm procedit in casu prioris dubii, quia dubitare secundo modo, est practicè dubitare de honestate operationis hîc & nunc ponendæ: in tali autem dubio nunquam licet operari ob periculum, cui homo se exponit juxta dictamen suæ conscientiæ, ut omnes unanimiter fatentur, & ego fusè exposui *quæst. 18. de Conse. prob.* per totam. Itaque non licet obedire, nisi tale dubium deponatur per judicium, quo homo judicet, licitum esse obedire, seu, rem præceptam ut substantem præcepto hîc & nunc esse licitam, non obstante priori dubio de honestate rei illius secundùm se, & independenter à præcepto; per tale enim dictamen rationabiliter conceptum formatur conscientia, quæ immediatè regulat volitionem terminatam ad rem ut præceptam, seu ad rem in istis determinatis circumstantiis. Porrò, stante isto dictamine, priùs dubium evadit purè speculativum; quia non est amplius directivum operationis, utpote quæ amplius non versatur in illis circumstantiis, relatè ad quas dubitatur, sed in aliis in ordine ad quas non dubitatur; ac proinde prius dubium practicè deponitur per principia reflexa, per quæ conscientia formatur.

ASSERTIO QUINTA.

Propositum sit explicare, an & quomodo liceat obedire contra propriam opinionem, dictantem rem præceptam esse peccatum.

Obediendũ est contra proprium judicium actuale, quãdo res præcepta, nec est, nec apparet mala.

52. DIXI, *contra propriam opinionem, dictantem rem præceptam esse malam*, quia indubitatum est, quòd in rebus bonis aut indifferentibus liceat contra propriam opinionem obedire. Cùm enim res præceptà nec sit nec appareat mala, haud dubiè subditus, saltem quoad executionem, regulandus est per judicium & voluntatem superioris, cui obedientiam debet, non per proprium judicium & voluntatem, quibus renunciavit. Itaque in tali casu obediendum est, quamvis subditus non concordet in suo judicio cum superiore, eò quòd superior judicet rem esse fini proposito valdè utilem, atque ideo illam præcipit; cùm subditus è contrario existimet, rem ejusmodi nullatenus ad talem finem, sed ad oppositum prorsus conducere. Nec solùm obediendum est in tali casu, sed sanctissimè fecerit subditus, si proprium judicium neget, atque illud deponat, seque per omnia superioris judicio conformet, quousque intellectus ex vi piæ voluntatis flecti potest ad assentiendum superiori, ut solidè ac efficaciter probat S. P. N. Ignatius in *Epistola de obedientia*, allatis rationibus & auctoritatibus, quibus nemo meritò refragari potest. Et sanè, quod in tali casu eæo modo obediendum sit, subjiciendo se homini loco Dei, credendo omnia esse justa & recta, omnes consentiunt. Immò SS. PP. & Magistri vitæ spiritualis perfectionem obedientiæ in hoc ipso magna ex parte constituunt, cùm apertè dicant, neminem absque tali dispositione posse ad perfectionem obedientiæ pervenire. Videatur Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 4. cap. 15.* ubi innumeros fermè in hujus rei confirmationem adducit. Mihi sufficiat hæc insinuasse, quia in re indubitata non est opus diutiùs insistere.

Sensus dictus.

Tota ergò difficultas est, an liceat obedire contra propriam sententiam, quando scilicet subditus existimat, rem esse illicitam, quam superior præcipit & arbitratur esse bonam. Porrò, ut res clariùs examinetur, supponendum est, subditum sic opinantem opinari propriè, & non habere certitudinem de inhonestate rei præceptæ, quia tunc haud dubiè obediendum non esset. Similiter si habeat probabilitatem de inhonestate, & nullam de honestate rei, tenetur suas rationes proponere, atque superior juxta dicta eas audire tenetur; quod si, illis auditis & consideratis, superior (de cujus probitate & prudentia subditus meritò confidit, eò quòd sciat illum non ex passione & præcipitanter solere præcipere) adhuc in sua sententia persistat, credatque rem esse licitam, illamque præcipiat, tunc quæstio locum habet, sicut habet à fortiori, quando de rebus utrimque probabilibus subditus & superior dissentiunt in suis judiciis. Jam in ejusmodi casibus dico universaliter, subditum & posse & debere obedire, modò opinio illius solùm dictet rem secundùm se consideratam esse malam, & nil enunciet de ejusdem malitia etiam posito præcepto; quia si crederet rem illam, non solùm secundùm se, sed etiam ut præcepto substantem, esse malam, utique peccaret obediendo, quia operaretur contra ultimum & practicum conscientiæ dictamen. Jam dubium nullum est quin subditus obedire possit, si propriam opinionem deponat; cùm enim simpliciter teneatur obedire, tenetur etiam media ad obediendum necessaria adhibere. Ergò si conscientia dictans rem esse malam conjungi non possit cum bona fide de honestate obedientiæ, utique tenetur eam deponere, & sic conscientiam de suæ operationis honestate formare. Et sanè optimum consilium est, ut in rebus incertis omne ejusmodi judicium suspendat. Sed jam quærimus, an obedire possit, quamvis actualem suam opinionem retineat. His positis.

53. Probatur assertio. Inprimis *ex cap. inquisitioni, de sent. excom.* constat, debitum conjugale reddendum esse consorti illud exigenti, non solùm quando quis dubitat, sed etiam quando probabiliter & discretè opinatur, matrimonium esse nullum,

trimonium esse malum.

nullum, exigit quidem Pontifex, ut levis credulitas nullitatis matrimonii explodatur, antequam liceat debitum petere; quia stante tali credulitate, nulla sunt principia, quæ applicari possunt ad formandam conscientiam permittentem. At ubi loquitur de obligatione reddendi debitum, non postulat talem explosionem, quia rationem dat, vi cujus conscientia potest & debet formari per principia reflexa, quæ æqualem vim habent practicè formandi conscientiam, sive actu existimet, sive actu non existimet impedimentum adesse. Ratio, quam Pontifex affert, his verbis exprimitur. *Verùm cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifesta; debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Ex qua ratione sic formatur conscientia. Reddendum est debitum quoties exigitur, quando non est evidens & manifestum, impedimentum intervenire, quamvis ille, à quo debitum petitur, probabiliter & discretè sed formidolosè existimet tale impedimentum adesse, ne lex matrimonii, quæ petenti & possessori bonæ fidei favet, violetur. Sed debitum hîc & nunc exigitur à me, & non est evidens, impedimentum intervenire, quamvis probabiliter sed formidolosè existimem illud adesse. Ergò hîc & nunc reddendum est debitum, ne lex matrimonii, quæ petenti & possessori bonæ fidei favet, violetur. E contrario, stante tali credulitate, petere non potest, quia nullum adest principium reflexum, ex quo aliter formare possit conscientiam, quàm sicut ex directis eam formavit; ideoque illa ipsa credulitas in tali casu est practicum conscientiæ dictamen, cui absque peccato nemo potest contravenire. At eadem prorsus ratio locum habet in obedientia, quando superior bonâ fide præcipit; quia subditus, non obstante suo probabili judicio de inhonestate rei præceptæ, potest & debet per principia reflexa formare practicum conscientiæ dictamen de honestate obedientiæ suæ hîc & nunc, etsi speculativè loquendo & in ordine ad alias circumstantias probabiliter existimet actum illum esse malum.

Idem dicendum de obedientia.

Idipsum ex PP. consensu probatur.

54. Probatur secundò auctoritate unanimi PP. & Theologorum dicentium, obediendum esse, quamdiu non est certum, rem præceptam esse malam. Sed non est certum quòd sit mala, etsi probabiliter credatur esse talis secundùm se, & independenter à circumstantia præcepti. Ergò obediendum est, non obstante tali judicio in subdito.

Non minùs licet obedire contra propriam opinionem, quàm in dubio.

Et sanè quoad hoc eadem prorsus est ratio de dubio, ac de judicio actuali. Nam æquè non licet facere, de quo dubitatur an sit honestum, ac de quo quis probabiliter existimat, quod sit malum; in utroque enim casu haud dubiè peccatur. At, non obstante dubio de honestate rei præceptæ secundùm se & independenter à præcepto, juxta omnes obediendum est, quia illo non obstante, dantur principia reflexa, ex quibus consequenter ad præceptum conscientia debitè formatur. Unde fit, ut dubium illud antecedens non sit practicum sed solùm speculativum, contra quod agere licet. At eadem est ratio de judicio incerto; illud enim non est proxima regula operationis, stante præcepto, quia conscientia ex aliis principiis formatur, ex quo fit, ut prius illud judicium in ordine ad istam operationem in istis circumstantiis, sit merè speculativum non practicum, contra quod proinde agere licet.

Lex certa præferenda est legi incertæ, quãdo utraque versatur circa idem objectum.

55. Probatur tertiò, standum est legi certæ potiùs quam incertæ, quia certum prævalet incerto, quando lex certa præcipit idem objectum, quod lex incerta prohibet. At certum est, quòd existat lex seu mandatum superioris, qui loco Dei præcipit illud, quod lex incerta & solùm opinata vetat. Ergò standum est præcepto certo superioris contra legem incertam & opinatam subditi.

Huc accedit illud aliud argumentum, quod superior, utpote certus ac indubitatus possessor bonæ fidei, non sit privandus jure ac possessione sua certâ, ob incertas subditi exceptiones. Sed opinio subditi in contrarium supponitur esse solùm probabilis & incerta. Ergò propter illam superior suo jure ac possessione privandus non est. Ergò subditus, non obstante suo illo judicio, obedire debet.

Judicium de inhonestate rei secundùm se non repugnat cum judicio de ejusdem honestate quãdo præcipitur.

56. Probatur quartò à priori. In casu præsenti, conscientia dictans obediendum esse non fertur ad idem prorsus objectum, ad quod fertur opinio dicens illud esse malum; quia ratio dictans obediendum esse considerat objectum ut subsistans speciali circumstantiæ, nempe prout bona fide imperatur à superiore, & prout subditus agnoscit, se multam habere certitudinem quòd objectum præcisè secundùm se sit vetitum. At opinio subditi non fertur ad hoc objectum, prout afficitur abistis circumstantiis, sed præscindit ab illis. Ergò duo ista judicia sibi non contrariantur, sed simul existere possunt in intellectu. Ergò obediendum est, etiam in sensu composito dictæ opinionis in subdito; quia judicium considerans objectum illud ut præceptum, est judicium ultimum, seu practicum conscientiæ dictamen, contra quod nunquam agere licet. At prius judicium est merè speculativum in ordine ad operandum in istis circumstantiis, quia nullo modo illas respicit, ideoque nullo modo praxim dirigit. At juxta omnes (& Celladeus *in hac quæst.* fatetur idipsum) licet operari & consulere contra propriam opinionem merè speculativam, quando judicium practicum considerat rem in ordine ad circumstantias speciales, variantes rem in ordine ad moralem existimationem; quia illa judicia non opponuntur, & unum solum ex illis hîc & nunc dirigit opus. At hic est casus noster. Ergò subditus obedire debet contra propriam opinionem.

Ultima ratio.

57. Probatur quintò. Nisi hoc liceret, tota vis obedientiæ labefactaretur, neque subditi pacificè gubernari possent. Quia unusquisque facilè prætenderet, opus præceptum sibi videri malum. Et sic eluderet præceptum superioris. Uno verbo omnia inconvenientia, quæ sequerentur, si non liceret obedire in dubio, æquè sequerentur, si non liceret obedire contra propriam opinionem. Ergò æquè licet contra illam ac in dubio obedire.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

OBJICIES primò. Ita discurrendum est de ratione & opinione subditi contra jussa superiorum, sicut discurrunt Theologi de conscientia erronea vincibili; quia talis est omnis nostra conscientia, qualis est ratio. Atqui de conscientia vincibiliter erronea duo tradunt Theologi cum S. Thoma *1. 2. quæst. 19. art. 6.* Alterum est, quòd homo simpliciter & absolutè non teneatur implere conscientiam taliter erroneam, quia simpliciter & absolutè potiùs tenetur ad eam deponendam. Alterum est, quòd in sensu composito ejusmodi erroris

erroris homo obligetur ad non contraveniendum conſcientiæ ſuæ erroneæ. Unde conſequens eſt, ut talis homo neceſſariò peccaturus ſit, faciat quodcumque voluerit, ut tradit S. Thomas *loco citato ad 3. & de verit. quæſt. 17. art. 4. ad 8.* Ita pariter dicendum de ſubdito, ſcilicet quod per ſe loquendo & ut plurimùm teneatur obedire, quia abſolutè & ut plurimum tenetur ad deponendam ſuam opinionem & conſcientiam. Ratio eſt, quia opinio ſubditi contra juſſa ſuperiorum per ſe loquendo & plerumque eſt ratio errans, & conſequenter per ſe loquendo & plerumque conſtituit conſcientiam erroneam. Ergò per ſe loquendo & plerumque tenetur ſubditus eam deponere, & obedire; quod ſi eam non depoſuerit, peccabit quodcumque fecerit; peccabit enim niſi obediat, cùm conſcientia erronea non excuſet; peccabit autem ſi obediat, quia contra conſcientiam operabitur. Ita Celladeus *lib. 3. quæſt. 14. § 2.*

Doctrina Celladei falſitatis arguitur

Reſpondeo totam hanc Celladei doctrinam & ſpeculativè falſam eſſe, & ad ſubditos circa obedientiam practicè dirigendos prorſus inutilem. Eſt ſpeculativè falſa, quia ſupponit conſcientiam ſubditi obedientiam præſtituri conſtitui per opinionem, quam habet de malitia objecti præcepti. Niſi enim hoc ſupponatur, totus diſcurſus, prout doctrina de conſcientia erronea applicatur ad opinionem illam, procedit de ſubjecto non ſupponente. At falſum eſt, quod talis opinio conſtituat conſcientiam in ſubdito; conſtat enim, quod illa merè ſpeculativè ſe habeat, cùm nil enunciet de objecto relatè ad præſentes circumſtantias, in quibus verſatur operatio; nil enim dicit de objecto illo prout ſubſtat præcepto, ſed præſcindit ab omni ejuſmodi circumſtantia; & tamen operatio ſubditi in caſu præſenti verſari debet circa objectum illud ut præceptum. At conſcientia practicè conſtituta eſt judicium de objecto, prout ſubeſt omnibus circumſtantiis, in quibus eſt operatio. Ergò talis opinio non eſt conſcientia. Ergò doctrina de conſcientia ad illam applicari non poteſt. Uno verbo, ut argumentum urgeat, debet procedere ſolùm de opinione ſubditi, quando ſubditus opinatur, quod objectum illud ſit ipſi illicitum, etiam ſtante præcepto. At in hoc ſenſu omnes admittimus, quòd neceſſariò peccaturus ſit, ſi ſtante tali judicio obediat; quia operatio erit contra conſcientiam. At ſi non obediat, non illicò peccaturus erit, quia quamvis illud judicium ſit erroneum, ille tamen error poteſt eſſe invincibilis in aliquo; in quo caſu non peccaret non obediendo, ut patet.

Doctrina Celladei inutilis ad gubernandos ſubditos.

59. Eadem doctrina ad ſubditos circa obedientiam dirigendos eſt prorſus inutilis, quia cùm non ſit univerſalis reſolutio, nil eſt in quo ſubditus figere pedem poſſit. Certè ex eò quòd ſolùm ſciat, opinionem contra juſſa ſuperiorum eſſe plerumque deponendam, quia eſt plerumque erronea, non poteſt determinari ad exiſtimandum, quòd hîc & nunc obligetur ad eam deponendam, quia propria cujuſque opinio eſt ipſi probabilior, ut Celladeus in hac ipſa quæſt. fatetur; unde ipſi probabilius eſt, quòd ſuperior hîc & nunc erret, quamvis ſub aliis terminis per notionem generalem exiſtimet, judicia ſubditorum contra juſſa ſuperiorum eſſe plerumque falſa. Porrò hæc exceptio locum habet reſpectu ſubditi in omni caſu, de quo procedit objectio; quia procedit in ſenſu compoſito judicii dictantis rem præceptam eſſe malam. Ergò nunquam ſcire poterit ſubditus, an obediendum ſit hîc & nunc, quia per adverſarium aliquando non tenetur conſcientiam deponere; ſed peccat eam deponendo & obediendo. Quod ſi verum ſit, nulla erit poſſibilis via ad illum liberandum à timore peccati; quia nunquam ſcire poterit, an ſuperior hîc & nunc erret potiùs quàm non erret; cùm ipſi longè veriſimilius ſit, quòd erret. Ergò hæc doctrina praxi inutilis eſt, & ad aliud non deſervit, quàm ad dubia & perplexitates creandas.

60. Præterea peto à Celladeo, quodnam ſit principium, ex quo ſubditus in ſententia ipſius poſſit ac debeat conſcientiam, ſeu potiùs opinionem ſuam deponere? an illud, quod ſubditus plerumque erret damnando juſſa ſuperiorum? ſi hoc: contrà; quia jam non aliquando, non plerumque, ſed ſemper tenebitur obedire; ſemper enim debebit conſcientiam deponere, quia illud principium, non obſtante apparentiâ maximâ de errore ſuperioris, urget conſcientiam per ſe. Ergò ſemper urget. Ergò ſemper obediendum eſt. Quod ſi non huic ſed alteri principio ſubditus nitatur, afferat illud, ſi poſſit. Interim nullum eſt, niſi quod probat, obedientiam eſſe univerſaliter præſtandam, quod verum eſt, ut conſtat ex dictis. Nec inde ſequitur, quòd ſubditus obligetur ad deponendam ſuam opinionem, quia, illa non obſtante, obedire poteſt, ut dictum eſt. Quod ſi non poſſet obedire, illâ ſtante, quia non poſſet formare conſcientiam de honeſtate ſuæ obedientiæ, tunc certè ſemper obligaretur ad eam deponendam, & eâ depoſitâ ad obediendum. Sed antecedens falſum eſt. Non ſubdit. discernit Celladeus.

61. Eſt & aliud notatu dignum, ſcilicet Celladeum in hac doctrina inconſequenter diſcurrere ad ea, quæ antea ut inconcuſſa novæ ſuæ opinationis fundamenta tradiderat; nempe unum Doctorem contra alium, & multò magis unum contra plures non facere opinionem probabilem, quæ ſumi poſſit pro formanda conſcientia. Atqui doctrina præſens prorſus contrariatur doctrinæ illi. Peto enim, quid ſibi velit quando dicit, opinionem ſubditi contra juſſa ſuperiorum eſſe plerumque falſam? ſeu quod idem eſt, opinionem ſuperioris contra opinionem ſubditi eſſe plerumque veram? Eſtne ſermo de tota collectione opinionum ſuperioris, involvendo tam eas in quibus neminem contradicentem habet, quàm eas in quibus habet contradicentes? An reſtringitur ſermo ſolùm ad opinionem Prælati, contra quam probi & periti contrarium ſentiunt? ſi primum: iterum peto, an ideo ſubditus poſſit conſcientiam ſuam deponere & ſubſcribere ſuperiori, quia ſuperior plerumque non errat in ſenſu jam explicato, & conſequenter quia ſubditus ſic operando ſequitur regulam plerumque non errantem? ſi hoc dicat, idem neceſſe eſt dicat de opinione cujuſvis Auctoris probi & periti, quia ille plerumque verum dicit. Ergò qui ſequitur illius auctoritatem, nititur regulæ verè probabili, ſeu plerumque non erranti; & conſequenter tam liber erit à peccato, quàm ſubditus obediens ſuo ſuperiori, modò conſcientia utriuſque non ex principiis reflexis, ſed ſolùm ex directis, ut vult Celladeus, formetur. Ergò tota illius doctrina, de diſtinctione probabilis veri & uſualis, ſeu probabilis ſecundùm eſſe & dici corruit, quia quod ille contendit eſſe probabile ſecundùm dici, jam eſt verè probabile ſecundùm eſſe, & conſequenter probabilitas fundata in auctoritate unius doctoris eſt ſufficiens regula conſcientiæ debitè formandæ etiam quando opinatur contra alios. Inconſequentia quæ in Celladeo, ejusque doctrina.

62. Si dicat ſecundùm, & ſermo reſtringatur ad res incertas & utrimque opinabiles, peto à Cella- Sophisma refutatur.

bilibus æquè obnoxius est erroni ac alius.

Celladeo, ut non assumat, sed probet, quòd opinio superioris plerumque verum dicat, & opinio subditi contra superiorem plerumque erret. Hoc nisi probaverit, nil concludet; incertum enim erit, an subditus sequatur regulam plerumque non errantem, quia incertum erit, an opinio superioris in rebus incertis, quæ utrimque à peritis in dubium revocantur, sit plerumque vera. Et sanè officium superioris in hujusmodi quæstionibus nil conducit ad hoc, ut ipsius resolutio in rebus ejusmodi sit potiùs vera, quàm resolutio non superioris, quia superioritas nullum dat privilegium non errandi; quod & per se patet. & ex eo colligitur, quòd superiores ipsi non minus differant in suis opinionibus circa res ejusmodi, quàm non superiores. Ergò subditus titulo superioritatis præsumere non potest, suum Prælatum non errare, cùm noverit alios tam superiores, quàm subditos tenere oppositum. Unde ergò probabit, superiorem in tali casu plerumque non errare? viderit ipse, ego quidem existimo, id etiam verum esse, sed nullatenus fundor in ratione Prælaturæ. Ratio ergò est, quia omnes probi Auctores, omnesque etiam viri periti & pii plerumque verum dicunt, etiam in resolutionibus hinc inde controversis, si tota collectio talium resolutionum in unum colligatur. Moveor ad hoc dicendum, quia lumine naturæ notum est, Auctorem gravem, materiæque quam tractat peritum, dignum esse fide circa suam resolutionem, quam tenet contra alios oppositum sentientes, modò eorum rationes discusserit, & præsumi non possit ex passione aut negligentia sententiam tulisse. Ergò lumine naturæ notum est, quòd plerumque non erret in hujusmodi resolutionibus; alioquin ejusmodi resolutio non esset digna fide.

Objectio 2.

63. Ob. 2. Ponamus, superiorem præcipere subdito malè valenti solutionem jejunii in quadragesima, manente subdito in actuali opinione, quòd sit peccaturus, nisi per quadragesimam jejunet. Talis subditus inevitabiliter peccabit, si stante tali judicio obediat, & jejunium solvat. Ratio est multiplex. Inprimis subditus ille ageret contra propriam opinionem & conscientiam, quia actu existimaret omnem ejusmodi fractionem jejunii esse illicitam in universali; nec quidquam haberet speciale, cur non idem judicet de hac sua solutione jejunii. Secundò, sic judicans existimat Deum nolle ut solvat jejunium. Ergò non potest simul judicare Deum velle, ut illud solvat, seu ut obediat superiori, qui Deo contrarium jubet. Ergò non judicat præceptum superioris esse obligatorium, cùm judicet illud contrariari præcepto ac voluntati divinæ. Quomodò enim obligare potest, cùm tota virtus obligandi in superiore in eo sita sit, quòd voluntati superioris adsit voluntas divina, illamque roboret. Tertiò, hinc sequitur, eos nimis superficialiter sententiam suam tradidisse, qui dicunt obediendum esse præcepto, quia præceptum est certum, quod ideo prævalet exceptioni incertæ. Præceptum enim non verbale, sed verum, reale, ac certum est, quod habet vim obligandi ob suam rectitudinem & conformitatem cum voluntate divina. At hoc non est certum subdito in casu nostro, maximè cùm subditus stante illâ suâ opinione, non possit mentaliter enunciare; quòd voluntas superioris sit conformis voluntati divinæ. Quartò demùm, hic est casus Prætoris & Imperatoris, quem ex Aug. & S. Thoma Theologi usurpant. Ita Celladeus *hic* §. 3.

Celladeus

Respondeo, casum indebitè propositum esse; proponitur enim, ac si subditus vel formaliter vel æquivalenter existimaret, nullo modo sibi licitum esse frangere jejunium, etiam stante præcepto, quo superior jejunii solutionem exigit. At in hoc sensu frustra prætendit Celladeus. se communem sententiam impugnare, quia hoc ipsum omnes communiter docent, & nos illis assentimur. Itaque ut casus sit ad rem, debet ita proponi, ut subditus solùm judicet causam solvendi jejunium, quàm superior sufficientem existimat, non esse sufficientem, superioremque in hoc suo judicio directo errare, adeo ut hæc persuasio subditi prorsus præscindat ab eo, an liceat vel non liceat obedire hîc & nunc, stante præcepto. Jam quæstione sic legitimè constitutâ, tota objectio procedit de subjecto non supponente. Inprimis falsum est, quod subditus obediendo faciat contra suam conscientiam; quia talis ejus opinio merè speculativè se habet in ordine ad praxim, quia perfectè præscindit ab eo, an solutio jejunii hîc & nunc, stante præcepto, sit vel non sit licita. Jam licitum est subdito agere contra suam opinionem speculativam, Celladeo ipso fatente, quando hîc & nunc in ordine ad praxim datur peculiaris circumstantia mutans moralem considerationem objecti, quod ille per se loquendo reputat esse malum. incongruè proponit argumentum.

Et quidem falsum est, subditum in hoc casu non habere quidquam speciale ad existimandum, quòd hîc & nunc hæc solutio jejunii sit ipsi licita; quamvis in universali credat, causam hîc & nunc directè prætensam non esse sufficientem; ipse enim status subjectionis & præceptum superioris existimantis rem præceptam esse directè licitam (contra quam opinionem superioris subditus non habet exceptionem nisi fallibilem, & purè opinativam) sunt circumstantiæ adeo mutantes dispositionem subditi in ordine ad obediendum, stante præcepto, ut ob illas, omnes fermè Auctores existimaverunt, subditum obedire debere hîc & nunc stante præcepto, non obstante peculiari ipsius opinione, quod superior erret in sua opinione de sufficientia motivi ad solvendum jejunium. Nullâ ergò specie veritatis dixit Celladeus, nullum in hoc casu adesse peculiare motivum pro formanda conscientia, stante præcepto, quod non habetur in universali illo judicio, quo subditus existimat, causam solvendi jejunium non esse sufficientem, quam superior sufficientem existimat. Dicine potest, eam causam esse nullam, quæ omnes fermè Auctores traxit ad existimandum, quod liceat subdito obedire contra suam privatam ac universalem opinionem? Patens Celnon error.

64. Eâdem æquivocatione laborat illud, quod subditus existimet, Deum nolle ut solvat jejunium: Ergò non potest simul judicare Deum velle ut solvat jejunium; subditus enim solùm judicat, Deum nolle ut solvat jejunium, si præscindatur à præcepto superioris, & causa solvendi jejunium directè consideretur. Verùm hoc judicio non obstante, existimare potest solvendum sibi esse jejunium stante præcepto, quia existimare potest, Deum velle ut stante præcepto solvat jejunium, quamvis existimet, Deum nolle jejunium solvi, si præscindatur à præcepto. Dubium enim nullum est, quin in Deo sint duæ voluntates, una quæ improbat aliquod opus ut malum, si spectetur secundùm se; alia qua eandem non improbat, stantibus quibusdam circumstantiis. Sic Deus improbat petitionem & redditionem debiti inter personas verè non conjugatas. Et tamen non improbat, sed probat utrumque, quando conjuges Eadē æquivocatio in aliis argumentis latet.

conjuges existimati nullam habent rationabilem suspicionem de nullitate contractûs; imò Deus præcipit reddi debitum conjugi bonæ fidei illud exigenti, quamvis reddens debitum dubitet, in ò existimet matrimonium esse nullum, dummodò non sit certus de nullitate. Idem penitus valet in casu nostro, aliisque similibus. Nec mirum, quia non solùm homines, sed etiam Deus ipse, sæpè aliter & aliter volunt & enunciant de eadem re secundùm diversas circumstantias, ut contingit in casu nostro.

Præceptum humanum quomodo sit titulus certus, dum versamur in

65. Neque superficialiter, sed solidissimè locuti sunt, qui dixerunt, obediendum esse præcepto, quia præceptum est certum, & ideo prævalet exceptioni incertæ. Quid enim clarius, quàm quòd homo, qui certò est superior, & in possessione sui superioratûs, atque actu jubet illud, quod post debitam diligentiam credit & fortasse certò scit esse honestum, non sit privandus possessione ac jure suo ob incertam subditi exceptionem? quis non videt illud à sacris Canonibus expressè tradi ac juberi in ordine ad reddendum debitum? Eadem porrò ratio est de casu nostro, aliisque similibus. Nec dicas, præceptum non verbale, sed solùm verum & reale & certum habere vim obligandi ob rectitudinem & conformitatem cum voluntate divina. At hoc non est certum subdito in casu præsenti, cùm subditus, stante illo suo judicio, non possit ne quidem mentaliter enunciare, quòd voluntas superioris sit conformis voluntati divinæ. Ergò præceptum non est illi certum. Nam contra est, quia certum est subdito, quod existat præceptum humanum, non solùm verbale, sed verum ac reale; quo scilicet superior non verbaliter tantùm, sed etiam realiter & actualiter vult subditum obligare, saltem hoc constare potest subdito, & quoad nos debet id ipsum constare, eò quòd præsumendum sit, superiorem habere voluntatem quam verbis exprimit. Jam hoc solum est, quod nos nomine præcepti certi intelligimus, & dicimus, tale præceptum certò existens, junctum possessioni actuali indubitati superioris, esse titulum præferendum omni incertæ exceptioni subditi. Jam non est necesse, ut hoc præceptum sit reverâ conforme voluntati divinæ directæ, quam superior existimat adesse, aut quòd ab illa robur accipiat, quia per omnes, etiam per ipsum Celladeum, certò obediendum est, quando inferior absque ulla dubitatione credit superiorem verum dicere, maximè si nullam habeat rationem de eo dubitandi; & tamen neque in eo casu certum est, quòd præceptum superioris sit conforme tali voluntati divinæ, quia fieri potest ut & superior & subditus errent in suis judiciis. Ergò certitudo obligationis hîc & nunc non oritur à certitudine conformitatis inter præceptum superioris & directam Dei voluntatem, quæ antecedit præceptum superioris, sed aliunde; nempe à conformitate præcepti cum divina voluntate reflectente supra ipsum præceptum humanum, seu à voluntate divina, quæ non enunciat de re secundùm se, sed de re ut substante opinioni & præcepto superioris. Atqui subditus enunciare potest, præceptum superioris esse conforme huic voluntati divinæ reflexæ, & ab illa robur accipere, quamvis illud enunciare nequeat de voluntate Dei directa & antecedente. Hinc consequens est, quòd præceptum superioris non solùm possit esse certum subdito quoad ejus existentiam, sed etiam quoad vim obligandi ortam à divina voluntate reflexa, etsi nulla sit certitudo de

Præceptum humanum in incertis robur accipit à voluntate Dei reflexa.

obligatione, quam trahit à voluntate Dei directa.

66. Demùm certum est, quòd iste non sit casus Prætoris & Imperatoris, quem ex Augustino & D. Thoma Theologi accipiunt; nam casus ille solùm procedit, quando certum est, Imperatorem aliud velle, aliud Prætorem; tunc enim indubiè obediendum est Imperatori. At longè aliud esset, si quis certò audiret jussionem Prætoris, quam ille diceret esse conformem voluntati Imperatoris, dum miles aliquis fallibiliter opinaretur, sed non sciret, voluntatem Imperatoris esse aliam; in hoc casu malè faceret miles non obediendo Prætori, quia præsumendum est Imperatorem nolle milites ob tales suspiciones incertas eximi ab obedientia Prætoris. Neque Augustinus, aut S. Thomas, aut Theologi docent aut insinuant contrarium. Ecce paritas ista non improbat, sed probat nostram sententiam.

Prætextus

67. Ob. 3. Distinctio illa divinæ voluntatis directæ, antecedentis, ac primariæ à voluntate divina reflexa, consequente, secundaria, & ex suppositione (de qua locuti sumus tam in probatione conclusionis, quàm in responsione ad præcedentem objectionem) nulla est. Ergò tota nostra doctrina ruit. Probatur antecedens. In primis distinctio illa locum non habet in rebus per se malis; in iis enim Deus nullam voluntatem habet, nisi purè permissivam, non tollentem sed supponentem rationem peccati. Ergò Deus ne quidem voluntate consequente vult talia fieri à nobis, si præcipiantur à superiore.

Objectio 3

Secundò, si Deus haberet tales voluntates, obediendum esset superioribus, etiam quando præcipiunt quæ manifestè repugnant voluntati divinæ; quia etsi illa contrariarentur voluntati Dei antecedenti, adhuc conformia essent voluntati consequenti, quia retractaret omnes voluntates antecedentes. At consequens & per se absurdum est, & repugnat communi doctrinæ Patrum, docentium non obediendum esse homini præcipienti contrarium Deo. Probatur antecedens, quia Deus in iis, de quibus ipse, nemine consulto, per se legem tulit, non potest aut legem aut voluntatem suam subordinare legi & voluntati superiorum, alioquin se spoliaret primatu suo, & superiores divinitate donaret. Itaque voluntas superiorum resolvi debet in voluntatem divinam tanquam in primam regulam, & non vice versâ. Eadem ratio probat, sapientiam divinam spoliari non posse primatu in gubernando dirigendóque homines in finem suum. Unde omnis ratio humana dirigens & regulans resolvi debet in divinam sapientiam. At nulla falsa est resolubilis in divinam, nec participativè, nec conformativè. Nullaergò falsa dirigit & regulat, id est rectè. Ita Celladeus §. 4. qui ad assertum hoc suum tam singulare ac novum comprobandum, rationes alias non affert; cùm procul dubio in re tanti momenti unusquisque validissimas expectasset; sed condonandum ei est, quia meliores non habuit.

68. Unum tamen ibidem in confirmationem adducit, scilicet S. P. nostrum Ignatium *in Epistola de obedientia*, & notam habuisse, & suppolusse, hanc doctrinam. Hoc inde probat, quòd S. Pater, intendens suos formare ad ultimum ac perfectissimum obedientiæ gradum, qui in conformitate judicii subditi cum judicio superioris consistit, nullam talem voluntatem consequentem Deo affinxit; quia, illâ admissâ, nulla erat ratio discordandi, nulla secus opinandi & judicandi; per ipsam enim voluntatem superioris subditus noscret illam voluntatem Dei consequentem

An S. Pater Ignatius [illegible] ignoverit [illegible] reflexam?

quentem, ideoque fatuum esset ulteriùs quærere, an bonum esset, quod jubebatur, supponit ergò nil tale dari. Proinde totus in eo est, ut subditis persuadeat, judicium superioris esse conforme sapientiæ & voluntati divinæ, ad quod probandum multa adducit, quæ omnia vana essent, si dictæ duæ voluntates distinguerentur. Una ergò tantùm est, quam ut subditus assequatur, conformare se debet judicio superioris, quod plerumque non errat. Itaque præclarus obedientiæ Doctor omnia resolvit ad conformitatem cum voluntate Dei, & ideo nec dixit, nec innuit, quòd salva sit obedientia, sive superior erraverit sive non erraverit, sed totus in eo versatur, ut ostendat, judicium superioris non errare, & conformitatem judicii in subdito cum judicio superioris esse medium ad habendam conformitatem cum sapientia & voluntate divina. Ita Celladeus.

Aliquando Deus habet voluntatem excusantem à peccato in rebus per se malis.

69. Respondeo, Celladeum malè supponere tanquam principium per se notum, quòd Deus in rebus per se malis nullam habeat voluntatem nec antecedentem nec consequentem, nisi purè permissivam, non tollentem sed supponentem rationem peccati; ideoque Deum non habere voluntatem, ut illa fiant, tametsi à superiore præcipiantur. Tantùm enim abest, ut hoc sit principium per se notum, ut sit certò falsum, & Celladeus in hoc ipso sibi aperte contradicat. Est certò falsum, quia certum est, quòd ex suppositione erroris invincibilis circa talia objecta, Deus sæpè habet voluntatem non solùm auferentem rationem peccati ab objecto per se malo, sed etiam exigentem positionem talis operis sub pœna peccati. Exemplo sint conjuges bonæ fidei invincibiliter existimantes matrimonium suum esse validum, nullamque suspicionem habentes se ullo impedimento teneri, quò minùs ad prolem gignendam debitum licitè petere & reddere possint. In hoc casu qui certè aliquando datur, Deus obligat consortem ad reddendum debitum petenti, quia irremediabiliter peccat, si debitum neget. Ergò Deus habet voluntatem aliquam, non solùm purè permissivam, non auferentem sed supponentem rationem peccati, verùm, habet etiam voluntatem absolutè permittentem, & tollentem rationem peccati ab illo actu, imo habet voluntatem strictè obligantem ad ponendum illum actum. At ista voluntas non est voluntas primaria & directa, quæ fertur in illam rem, illa enim aversatur rem illam ut malam, eamque prohibet, non jubet. Ergò diversitas hæc voluntatum negari non potest in Deo, etiam circa res per se malas. Præterea ponamus casum, quod tam superior quàm subditus invincibiliter errent circa rem præceptam, nec ullam suspicionem habeant de illius malitia, cùm tamen verè sit mala & prohibita; in hoc casu peto à Celladeo, an subditus peccet obediendo? imò an non sit peccaturus, si obediendo? Celladei cõtradictio.

tiam neget? Respondebit utique eum non peccaturum obediendo, sed peccaturum si obedientiam neget, quia hæc est expressa ipsius sententia. Ergo jam in materia obedientiæ admittit in Deo diversas istas voluntates, quas tamen in hac ipsa materia, & in omni alia, Deo denegat. Et sic in hac ipsa materia sibi & indubitatæ veritati contradicit.

Deus nullã habet voluntatem, ut faciamus ea, quę certò novimus esse mala.

70. Ad 2. Resp. Mirum esse, hanc Celladeo apparere potuisse necessariam illationem, quòd locus dandus sit istis voluntatibus in Deo circa evidenter mala, si detur circa mala invincibiliter credita bona, aut etiam præcepta; vel si detur circa mala, quæ non sciuntur, sed solùm opinativè creduntur mala. Mirum, inquam, est, cùm summi Pontifices contrarium viderint, ac declaraverint, omnesque Theologi claram inter illa duo repugnantiam agnoverint. Pontifex quidem *in cap. inquisitioni, de sent excom.* declarat, conjugem certum de impedimento Matrimonii, non posse debitum reddere citra peccatum mortale, quamvis consors bonâ fide illud exigat, & Ecclesia, rationibus consorti illi faventibus mota, sub pœna anathematis jubeat illum reddere debitum. Ergò Pontifex vidit & declaravit, nullam esse in Deo voluntatem secundariam & reflexam, exigentem redditionem debiti à consorte, ne quidem consequenter ad conjugis petitionem & Ecclesiæ præceptum, modò ille certò sciat Matrimonii impedimentum adesse. Declarat enim Pontifex, eum peccaturum, si meritò exigenti, & Ecclesiæ contra Deum certò præcipienti obediat. At idem Pontifex longè aliter sentit de illis, qui aut invincibiliter ignorant, impedimentum adesse, aut solùm dubitant de validitate contractûs, aut quòd plus est, suspicantur, vel etiam probabiliter existimant impedimentum adesse; nam de primis supponit, quòd licitè possint petere debitum, quódque consors teneatur illud reddere; idem docet de leviter dubitante & suspicante, si ad consilium sui Pastoris levem illam & temerariam credulitatem explodat; de ultimo autem decernit, quòd non possit debitum petere, sed debeat illud redere, *ne vel contra legem conjugii, vel contra conscientiam committat offensam.* Ecce Pontifex hîc agnoscit in Deo voluntatem quandam secundariam, & quodammodo reflexam ac consequentem ad petitionem debiti, per quam exigit debitum reddi; cùm tamen directa ac primaria voluntas Dei circa tales actus sit prorsus contraria, quia aversatur ac prohibet conjunctionem eorum, qui validè non contraxerunt Matrimonium.

Secus quãdo mala creduntur bona, aut non sciuntur esse mala.

71. Sed & Theologi viderunt repugnantiam inter illa duo; nam & in casu allato Matrimonii, & in materia obedientiæ expressè docuerunt, & debitum reddendum, & obedientiam præstandam, non obstante probabili judicio de materiali inhonestate rei, quæ exigitur; cùm tamen uno ore dixerint, neutrum faciendum, quando certò constat Deum directè velle contrarium. Ergò omnes agnoverunt distinctionem illam voluntatum in ordine ad casum dubii & opinionis incertæ, quam tamen negaverunt in ordine ad certitudinem & evidentiam de contraria Dei voluntate directa. Ratio disparitatis est clara, quia quoties creatura certò novit Deum aliquid velle, statim infert, Deum ita illud exigere, ut nolit contra hanc tam claram suæ voluntatis manifestationem homines audiri. Deus enim clarè intimans suam voluntatem præferendus est iis, qui certò cognoscuntur falsò prætendere, Deum velle oppositum. Præterea in eodem casu certò constat, homines non habere ullam vim obligandi ad oppositum; quia certum est, homines obligare non posse ad id, quod certum est Deum prohibuisse. Itaque certum est, quòd errore decepti facultatem suam excedant, ideoque nullam obligationem inducant. At quando res est dubia & incerta, non constat, Deum nolle ut obtemperemus homini vices ejus gerenti, ac præcipienti rem nobis dubiam, aut de qua opinamur quòd sit mala; imò oppositum constat, quia provida dispositio Dei debuit id determinare pro illo etiam casu, quia hoc necessarium est ad bonam & congruam statuum illorum administrationem modo humano

Theologi agnorũt ea esse repugnãtia, quæ Celledeus connexa putat.

peragen-

peragendam. Illa autem in casu præsenti postulat & redditionem debiti in conjuge, & obedientiam in subdito; alioquin pax servari non posset, sed homo certa sua possessione nolens privaretur, idque ob exceptionem fallibilem, & læpenumero erroneam, quod est inconveniens.

Deus non cõpletè gubernaret, nisi voluntates aliquas reflexas haberet.

72. Sed & ratio Celladei nulla est, quia Deus per hoc, quòd secundarias istas, indirectas, atque quodammodò reflexas, & consequentes voluntates habeat, non ideo donat homines divinitate, aut se primatu spoliat, sed summum primatum atque supremam prudentiam exercet; per illas enim condit leges pro casibus indirectis, qui propter ignorantiam humanam necessariò ac sæpè interveniunt. Et sanè nisi leges pro illis etiam casibus statueret, à perfectione supremæ ac universalis providentiæ deficeret. At voluntates divinæ pro istis casibus non possunt esse illæ eædem, quæ primariò & per se ac directè Deo insunt, quia illæ aliter enunciant de rebus, quàm istæ, ut patet. Illæ aversantur rem, quam istæ non aversantur, sed sæpè imperant, positis illis circumstantiis, quæ per accidens & præter directum Dei intentum interveniunt. Tantùm ergò abest, ut per istiusmodi voluntates Deus se primatu suæ providentiæ privet, ut si illas non haberet, supremo providentiæ munere non gauderet. Fateor itaque, voluntatem ac rationem humanam semper resolvi debere in divinam, tanquam in primam regulam, & non è contra; voluntas enim humana superioris, quæ regulat subditum, resolvitur in aliquam Dei voluntatem vel directam & primariam, vel indirectam & secundariam, & ab ea robur suum accipit. Idem valet de ratione humana regulante; illa enim si regulet, resolvitur in rationem divinam vel directam vel reflexam, etsi non semper resolvatur in directam, cùm ab ea nonnunquam discordet. Participat ergò vim regulandi à ratione reflexa, quâ Deus judicat congruum esse, ut subditus sequatur rationem sui superioris etsi falsam, quando invincibiliter putat illam esse veram, aut quando illi non constat quòd sit falsa, sed probabiliter præsumere potest quòd sit vera.

S. P. Ignatius agnovit voluntatem reflexam, qua Deus vult subditum obedire, etsi judicet superiorem errare.

73. Nec minùs perspicuè fallitur Celladeus in doctrina S. Patris Ignatii proponenda, quàm deceptus est in iis, quæ præcesserunt. Certum enim est, S. Patrem expressè agnovisse in Deo voluntatem illam secundariam, quam Celladeus consequentem appellat, quia in illa ipsa Epistola de *virtute obedientiæ*, ubi hortatur suos ad ultimum gradum perfectionis obedientiæ, quæ in conformitate judicii subditi cum judicio superioris consistit, atque ubi expressè probat, perfectionem obedientiæ haberi non posse, ubi deest judiciorum conformitas, notanter supponit, & tradit, substantiam obedientiæ haberi posse, stante dicta judiciorum difformitate. Hæc enim habet *nu. 12. Præterea nisi hæc obedientia judicii existat, fieri non potest, ut vel consensus voluntatis, vel executio talis sit, qualem esse oporteat; naturâ enim ita comparatum est, ut animi nostri vires, quæ appetitivæ dicuntur, sequantur apprehensivas; & nisi adhibitâ vi voluntas, judicio repugnante, diu obtemperare non poterit. Quòd si fortè quis aliquo temporis spatio obediat per communem illam apprehensionem, quâ censetur, perperam etiam præcipienti parendum esse, certè id stabile ac fixum esse non potest, atque ita perseverantia deficit, vel saltem obedientiæ perfectio, quæ in promptè & alacriter obediendo consistit &c.* Pergit enim declarando imperfectiones obedientiæ, nisi oriatur ex conformitate judicii subditi cum judicio superioris. Ecce S. Ignatius apertè supponit subditum & posse, & debere obedire superiori, etsi existimet illum perperam ac mala imperare, quia communis omnium persuasio est, quod obediendum sit in rebus malè imperatis.

Mem. 3. n. 4. alterius.

74. Præterea in Constitutionibus antea citatis expressè tradit, obediendum esse in omnibus, in quibus manifestum peccatum non apparet. Itaque S. Pater supponit, hanc voluntatem secundariam ex hypothesi ignorantiæ nostræ dari in Deo, illamque sufficere ad hoc, ut subditus in casu dubii, imò & in casu dissensûs à superioris judicio obedire possit, modò non sit certus, superiorem mala præciperc. Neque hinc sequitur, nullam esse rationem discordandi in judicio directo, aut fatuum esse concordiam in illo ulteriùs quærere; quia quamvis hæc voluntas Dei innotescat subdito per imperium superioris, atque ideo de illa voluntate consequenti nulla sit opinionum varietas, nisi tamen consentiant in judicio directo, necesse est proprietates perfectæ obedientiæ deficere, uti S. Pater ibidem fusè demonstrat. Itaque hortatur omnes ad istam conformitatem; ut sic non solùm obediant, sed sine murmuratione, atque aliis imperfectionibus obedientiam præstent. Cæterùm inter reliquas rationes eam affert, quod sequi judicium superioris sit medium opportunum, ut judicium nostrum conformetur rationi ac judicio divino; quia potiùs alienæ quàm propriæ prudentiæ standum est in causa propria; maximè autem illius, quem loco Dei præpositum habemus, confisi Deum per illum certiùs ac meliùs nos directurum, quàm si proprium judicium sequamur. Itaque haud dubiè S. Pater salvam putavit plenitudinem obedientiæ, quamvis per accidens superior erret; si ipse, & potissimùm si subditus, invincibiliter existimet illum justa ac Deo placentia jubere. Imò salvam existimavit substantiam obedientiæ, tametsi obediens dubitet, aut etiam existimet, superiorem in suo judicio directo errare; modò ex universali illa persuasione formet sibi conscientiam, quòd obediendum sit in rebus etiam perperam præceptis, quando manifestum non est, quod sint malæ. Atque ita demum constat, Celladeum in omnibus ac singulis istis probationibus & confirmationibus à vero deviasse.

ASSERTIO SEXTA.

Propositum sit Celladei de obediendi obligatione doctrinam proponere, illiusque falsitatem, insufficientiam, & inconsequentiam aperire.

Celladeus tenet subditum in certis dubiis ut plurimùm teneri.

75. In primis Celladeus asserit, subditum absolutè & simpliciter teneri ad obediendum per se loquendo, & ut plurimùm; quia quamvis peccet, si contra actualem opinionem suam, opinioni superioris contrariam, operetur, nihilominùs tenetur ad suum judicium deponendum; sicut quamvis omnis homo peccet, qui agit contra conscientiam vincibiliter erroneam, nihilominùs simpliciter loquendo tenetur ad oppositum, quia tenetur conscientiam deponere, & sic legi obedire; ita pariter in casu nostro, subditus plerumque & per se tenetur superiori obedire, & suum judicium illi submittere, quia judicium subditi contra judicium superioris plerumque est falsum, & erroneum. Ergò plerumque & per se tenetur deponere opinionem suam, utpote quæ plerumque erronea est.

76. Deinde

Hoc verum putat, etſi ſubditus certò credat id præceptum eſſe malum.

76. Deinde aſſerit, ſubditum teneri ad obediendum contra omne proprium judicium *omnibus in rebus quæ cum manifeſto peccato conjuncta non ſunt.* Quales non ſolent eſſe res utrimque controverſæ. Et hoc verum reputat etiam pro caſu, quo certum ſubdito videretur peccatum eſſe, quod jubetur; quia etiam reſpectu talium judiciorum verum eſt, quòd ſubditus plerumque erret, quando contra ſuperioris judicium judicat. Et ſanè, ſi quælibet exiſtimata certitudo eſſet legitima exceptio contra præceptum ſuperioris, non eſſet difficilè talem certitudinem & prætendere & comparare, & ſic obedientia nimis facilè evacuaretur. Atque hinc non eſt difficilè ſubdito judicium ſuum deponere, quia judicia ſubditorum contra mentem ſuperiorum plerumque ſunt falſa. in iis autem, quæ plerumque falſa ſunt, facilè quis credit ſe falli, niſi irregularem aliquam & ſpecialiſſimam rationem habeat. Atque hinc ſequitur quòd per ſe loquendo, & plerumque ſubditus teneatur ſuum judicium, utpote erroneum, deponere, & obedire. Dixi *plerumque*, quia omnes ſuperiores, præter Concilium generale & ſummum Pontificem ſunt fallibiles, & conſequenter præcipere poſſunt contraria voluntati divinæ; & tamen ex alia parte habemus legem Dei clarè præcipientem, ut obediamus ſuperioribus. *Lucæ 10. Math. 23. ad Epheſ. 6.* Item *1. Petri 2. ſubjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive regi tanquam præcellenti, ſive ducibus tanquam ab eo miſſis.* Jam concordiam quærere non poſſumus diſtinguendo illas duas voluntates, alioquin faceremus quemlibet ſuperiorem infallibilem, utpote cujus voluntas connexam haberet voluntatem conſequentem approbativam Dei. Sicut ergò ſuperiores dicti errare poſſunt, ita dari poteſt exceptio contra illorum imperium; ſed ad hoc requiritur magna & particulariſſima probatio. Nec mirum, quia ejuſmodi ſuperiores non ſunt minùs defectibiles, quàm leges purè humanæ. At illæ nonnunquam deficiunt, ideoque ubi peccant emendatione indigent, & corriguntur per epiikiam. Idem prorſus dicendum de ſuperioribus fallibilibus; nonnunquam enim errant, ideoque præceptum illorum correctione indiget; quæ correctio per ſpecialiſſimam & irregularem rationem habetur. Ita Celladeus §. 5. & 6.

Ratio communis per Celladeum non excuſat ab obediendo, ſed ratio ſpecialis excuſat.

Duo falſa principia Celladei.

77. Hæc doctrina duobus falſis principiis nititur: primum eſt, quòd ſubditus ſimpliciter teneatur ſuam opinionem deponere, & ſic obedire; ſicut habens conſcientiam vincibiliter erroneam, ſimpliciter tenetur eam deponere, & legi divinæ obedire. Hoc falſum eſt, quia judicium illud ſubditi non eſt judicium conſcientiæ regulans opus, ſed merè ſpeculativè ſe habet, ut oſtenſum eſt. Nec argumenta Celladei valent ad ſuadendum oppoſitum. Unde non eſt neceſſe ſubditum deponere judicium ſuum, ſed, eo ſtante, poteſt & debet obedire. Alterum eſt, quòd non dentur duæ illæ voluntates in Deo, quod etiam conſtat eſſe falſiſſimum. Nullius autem momenti eſt, quod dicit quemlibet ſuperiorem eo ipſo fore infallibilem, ſi talis voluntas conſequens daretur in Deo. Id enim non ſequitur: primò, quia ſuperiores, quos fallibiles novimus, ex malitia præcipere poſſunt, quæ tam ipſi quàm ſubditi certò norûnt eſſe contra præceptum Dei. Secundò, errare poſſunt ea præcipiendo, quæ ipſi falsò putant eſſe honeſta, quæ tamen ſubditi certò nôrunt eſſe inhoneſta, ut videre eſt in Epiſcopo præcipiente conjugi redditionem debiti, quando conjux certò novit impedimentum interveniſſe, quamvis illud probare non poſſit. Tertiò, etſi nec ipſe nec ſubditus dubitent de honeſtate rei præceptæ, fieri poteſt ut alii errorem detegant atque ſubdito manifeſtent, in quibus aliisque ejuſmodi caſibus obediendum non eſt, quamvis ſuperior humanus obediendum exigat, neque in iis caſibus adeſt voluntas Dei reflexa approbativa. Itaque clarè falſum eſt, quòd quivis ſuperior in ea hypoteſi eſſet infallibilis, quia certum eſt, quòd Deus voluntate conſequente non ſemper approbet omnes ejus juſſiones, ſed ſolùm aliquas. At qui infallibilis eſt, eam prærogativam habet, quòd Deus infallibiliter omnes illius juſſiones approbet.

Opinio Celladei de obedientia SS. PP. contrariatur.

78. Nec falſis tantùm fundamentis nititur hæc doctrina, ſed ipſa quoad ſe eſt etiam falſa. Vult enim plerumque ſed non ſemper obediendum eſſe. Et ſanè haud dubiè loquitur in caſu incertitudinis de inhoneſtate præcepti; nam ſi ſermo ſit pro caſu evidentiæ & certitudinis de malitia rei præceptæ, res eſt extra controverſiam. At loquendo pro caſu incertitudinis, qualem nos in progreſſu diſputationis propoſuimus, Patres & Theologi univerſaliter loquuntur, nec ullam exceptionem ponunt, ut ponit Celladeus; ſed & rationes allatæ æqualiter convincunt de omni caſu incerto. Itaque errat Celladeus, auctoritatique irrefragabili rationibusque convincentibus ſe opponit, dum, ſtante incertitudine de honeſtate rei præceptæ, aſſerit aliquando eſſe, aliquando non eſſe obediendum.

Doctrina Celladei totam obedientiæ vim evacuat.

79. Falſitas hujus doctrinæ ex eo etiam probatur, quòd doctrina iſta, etſi videatur practica, & ad praxim dirigendam tradita, tamen ſi ſubſiſtat, prorſus inutilis eſt ad praxim, atque in rebus incertis totam obedientiam evacuat. Ratio eſt, quia ſubditus nunquam in particulari ſcire poteſt, an hîc & nunc poſſit ac debeat propriam opinionem deponere & obedire; aliquando enim non debet obedire, quando ſcilicet habet rationes particulares apud ipſum prævalentes. At ſemper has habet, quando eſt contrariæ opinionis cum ſuo ſuperiore, quia ſuum cuique opinatum probabilius eſt. Quamvis ergò habere poſſit hoc judicium univerſale, *quòd plerumque erret opinando contra ſuperiorem*, tamen ex hoc principio nil inferri poteſt in particulari hîc & nunc, quia, illo non obſtante, aliquando immò ſæpè datur exceptio, qua ſtante, nec poteſt nec debet ſubditus opinionem deponere & obedire. At ſi hoc dicatur, nunquam ſciri poteſt in individuo, an hîc & nunc deponenda ſit propria opinio, ſed potiùs ſemper in individuo retinenda eſt, quia illa apud ſubditum peritum, etiam poſt diligentem rei diſcuſſionem, multum prævalet opinioni contrariæ, quam falſam reputat, ac reputavit non ſolùm conſequenter, ſed etiam antecedenter ad præceptum ſuperioris. Unde enim, quæſo, ſcire poterit, ſe hîc & nunc debere deponere hanc, non verò illam opinionem, ſi non minùs una quàm alia ipſi vera videatur, & ſuperior in utraque apud ipſum æquè deceptus habeatur? Ecce ſi doctrina iſta admittatur, ſubditus per eam dirigi non poterit, ſed ſemper perplexus manebit, an debeat opinionem deponere & obedire, an verò eandem retinere debeat, & obedientiam negare. Ergò Doctrina hæc datur pro regula, quæ omni regulandi vi caret; quales ſunt aliæ etiam Doctrinæ a Celladeo in hoc opere propoſitæ, ut ſuis locis oſtenſum eſt.

Opinio Cel.

80. Præterea, ex hac ipſa poſſibilitate excep-

Iadei discolis favet eosque fovet.

ptionis tota vis obedientiæ facilè evacuaretur, quia in rebus hujusmodi incertis nulli unquam discolo defuerunt, aut deesse poterunt rationes irregulares, & apud ipsum specialissimæ in favorem partis, quam sequitur. Ergò licitè non poterit opinionem deponere & obedire. Ergò ex hac doctrina tota obedientia in incertis evacuabitur. Ergò doctrina ista est falsa, utpote quæ & prætendit salvare vim obedientiæ, quam destruit, & regulam pro debitè obediendo proponit, quæ tamen neminem in ullo casu particulari regulare potest ad obediendum, sed potiùs deterret homines ab obedientia præstanda, omnesque in miram perplexitatem inducit, atque, quod caput est, discolis, & iis, qui vehementi passione moventur, maximè favet, sternitque eis viam ad pertinaciter inhærendum suæ opinioni, obedientiamque negandam. Dicendum ergò est, nullam dari exceptionem, sed in omnibus dubiis obediendum esse, opinionemque subditi, si id esset necesse, semper in omnibus ejusmodi casibus esse deponendum, quod etiam ex ipsis Celladei principiis mox evincetur.

Celladei cõtradictio.

81. Neque falsa tantummodò est, falsisque principiis nititur hæc opinio Celladei, sed in ea tradenda ipse sibi revera contradicit. Inprimis asserit certitudinem existimatam de malitia rei præceptæ non eximere subditum ab obligatione obediendi, à qua tamen eximitur ob rationem irregularem & specialissimam. Hæc inter se pugnant, quia ratio illa specialis non ultra progredi potest pro conscientia formanda, quàm ad certitudinem existimatam, & ratiò ad eam pertingit. Ergò non magis eximere potest ratio irregularis & specialis, quàm rationes quæcumque, quæ vim habent inferendi, & actu inferunt certitudinem existimatam; quia quod eximit, non est ratio præcisè, sed ratio valida magnam faciens præsumptionem veritatis. Sed ista præsumptio non est major in ulla ratione speciali, quàm ut inferat certitudinem existimatam. Ergò si certitudo existimata non tollit obligationem obediendi, neque ratio specialis eam auferre poterit. Præterea ratio irregularis ex suo conceptu non est melior & efficacior ratione regulari & ordinariâ, neque specialissima melior est aut validior communissimâ. Ergò tota diversitas aut excessus in eo est, quòd una magis certificet, seu vehementiùs moveat, quàm alia. At in casu nostro specialis ratio non magis certificat, nec vehementiùs movet quàm communis, quæ supponitur ita subditum movere, ut certò existimet rem præceptam esse malam. Ergò vel utrumque vel neutrum eximit subditum ab obligatione obediendi.

Ratio specialis & irregularis ex suo conceptu non est melior ratione regulari & communi,

Alia Celladei inconsequentia & cõtradictio.

82. Præterea sic arguo; si ratio irregularis & specialissima excusat, ideo est ex mente Celladei, quia plerumque contingit rationes ejusmodi esse veras, etiam quando superior judicat oppositum. At si hoc sit verum, verum etiam est, quòd rationes certitudinem existimatam inferentes, plerumque veræ sint, etiam quando superior judicat oppositum; quia non est minor connexio cum veritate in istis, quàm in illis, quando superior æquè in utroque casu à subdito dissentit. Imò si rem examinemus, existimo rationes, quæ apud subditum doctum & non improbum, nec vehementi passione ductum, ad certitudinem existimatam pertingunt, plerumque esse veras. Ratio est, quia sunt tales, si loquamur independenter ab imperio superioris; quod adeo clarum est, ut si de hoc dubitetur, nil sciri possit de connexione illius motivi verè incerti cum suo objecto. At adjectio imperii non mutat res, aut rationes independenter ab imperio stabilitas ac habitas. Ergò, etiam stante imperio, sunt plerumque connexæ cum veritate. Ergò Celladeus ad consequenter loquendum dicere debuisset, certitudinem existimatam eximere subditum ab obligatione obediendi, quia si contra talem certitudinem obediat, plerumque errabit, & Dei legem violabit. Et sanè ita est, haud dubiè enim peccaret, qui contra talem certitudinem obediret, quia faceret, quod certò credit esse malum. Unde quamvis concedam licitum esse obedire contra propriam opinionem actualem, illud tamen intelligendum est de opinione, quæ apud subditum est opinio, & habetur pro judicio incerto, non autem de opinione, quæ apud ipsum & quoad ipsum est certa, & pro certa habetur; hic enim, stante tali persuasione, non minùs urgetur ad non obediendum, quàm si reverà haberet veram certitudinem & evidentiam de inhonestate rei præceptæ. Quòd si loquamur non in sensu composito, sed in sensu diviso, non apparet quomodò subditus aut debeat, aut possit talem opinionem deponere; quia quando ad illam reflectit, rationes faciunt fidem certam, & illæ superioris, etiam adjuncto præcepto, hanc non impediunt. Quomodò ergò tenetur tunc opinionem deponere. Ratio ad hoc sufficiens non est, quòd subditus plerumque erret, si contra superiorem judicet; quia quamvis hoc in universali admitti possit ut verum, tamen certò videtur verum non esse, quando rationes subditi periti & probi eòusque prævalent, ut rem ipsi certam faciant. Ergò in eo casu nullum habet principium, ex quo juxta sententiam Celladei mutare possit suam sententiam, aut eam deponere, quamdiu rationes, quibus motus est, vim suam retinent. Itaque Celladeus ex hac parte dicit quod probare nequit, nempe subditum debere opinionem deponere, & obedire, cò quòd in tali casu plerumque erret. Tenetur quidem subditus rationes suas examinare, easque superiori proponere. Quod si superior illis non moveatur, sed in sua sententia permanserit, & subditus consequenter ad hoc & ad novum examen suarum rationum, eas invenerit certitudinem apud se ampliùs non facere, tenebitur obedire juxta dicta, sive deponat sive non deponat opinionem. Sed si rationes examinatæ fidem plenam, ut antea, & certitudinem apud illum afferant, peccabit si obediat, quia faciet quod certò malum reputat; neque ullum est principium, ex quo, stante tali judicio, conscientiam debitè formare possit, ut constat ex dictis.

Opiniones apud subditum peritũ certæ, plerumq; connectuntur cum veritate, etsi superior contrarium judicet.

83. E contrario, si sermo sit de rationibus irregularibus & specialissimis, quæ magnam vim intellectui subditi faciunt, vel superior eas ignorat, vel scit. Si ignoret, subditus regulariter loquendo debet eas superiori manifestare, fietque, plerumque ut superior opinionem mutaturus sit & subdito consensurus, si illæ sint tam validæ ut Celladeus videtur supponere. Quòd si superior antea earum conscius sit, vel certè postea eas à subdito audierit, & tamen post maturam earum considerationem in sententia sua permanserit, tunc subditus tenetur obedire, idque ex regula ac mente Celladei, quia subditus ille in tali casu dissentiens à suo superiore plerumque errat, neque ulla est ratio excogitabilis cur plerumque erret, quando uterque rationibus communibus movetur, & non erret plerumque quando uterque easdem prorsus rationes

Eadem inconsequentia & contradictio cum hac, in tantum hæc specialissima & irregularis.

tiones speciales & irregulares considerat. Ergò tunc subditus ex illo principio potuit suspendere sententiam, & tenebitur obedire, sive illam suspendat, sive non. Ergò tantùm abest, ut stantibus rationibus specialissimis, subditus eximatur ab obedientia, quia plerumque contingit eum verum dicere, etsi à superiore dissentiat, ut ex opposito plerumque erret juxta principia Celladei, si illis à superiore rejectis adhæreat. Itaque Celladeus non solùm sibi contradicit, sed ex omni parte falsa tradit, atque rem adeò confusè proponit, ut nemo ex vi doctrinæ ab eo traditæ scire possit, quid in rebus incertis agere, aut quando obedire teneatur.

Insufficientia doctrinæ ipsius ulteriùs proponitur.

84. Confirmatur hoc ipsum. Aliquæ rationes speciales & irregulares sunt invalidæ, nec plerumque connectuntur cum vero. Aliæ, etsi videantur plerumque connecti, non tamen plerumque connectuntur cum vero, & hoc scitur, quando, iis auditis, periti & probi & maximè superiores contrarium sentiunt. Nihilominùs omnes istæ rationes sæpè approbantur à subdito ut veræ ac probabilissimæ. Jam ergò unde sciet subditus, quænam sint illæ rationes speciales, quæ illum eximant, quænam, quæ illum non eximant ab obedientia? Nulla certè ei suppetit via in sententia & doctrina Celladei, qui ita rem proponit, ut timoratis & obedire cupidis scrupulum injiciat, ne contra rationes sufficienter eximentes obedientiam præstent, discolis autem & malè morigeratis viam laxet ad frequentem inobedientiam & præstandam, & honestandam. Discolis enim, ut dictum est, & hominibus passione irretitis nunquam desunt rationes irregulares, & apud istos specialissimæ, pro rebus & opinionibus, ad quas afficiuntur. Absurda ergò & falsa est sententia Celladei, à qua talia necessariò sequuntur.

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-SEPTIMA.

Vtrùm liceat Confessario pœnitentem absolvere contra propriam opinionem?

Status quæstionis rectè proponitur.

1. HAC de re agit Celladeus *lib. 3. quæst. 15.* putatque à fortiori non licere Confessario absolvere pœnitentem contra propriam opinionem in sensu composito illius, cùm subdito contra eandem obedire non liceat. Verùm sicut *in superiore quæst.* erravit circa subditum, ita & in hac à vero aberrat circa Confessarium, uti mox ostendetur. Interim noto, eum in propositione quæstionis ita loqui, ac si sermo esset de sensu composito opinionis, quâ Confessarius crederet pœnitentem non esse absolvendum, sed esse indispositum ad absolutionem recipiendam. Verùm hic non est status quæstionis: haud dubiè enim peccat, qui dat absolutionem illi, quem absolutè credit esse indispositum ad eam recipiendam. Sensus ergò quæstionis est, utrùm Confessarius probabiliter actu existimans, v. g quòd illicitum sit scribere lucri causâ in die festo, absolvere possit pœnitentem, qui bonâ fide sequitur opinionem contrariam, quam constat esse probabilem; adeo ut opinio Confessarii feratur ad rem illam secundùm se, & præscindat à modo, quo illa apprehenditur, atque hîc & nunc à pœnitente exercetur. Jam quod hic sit sensus quæstionis, certum est ex mente Theologorum, qui quæstionem tractant, & ex eo evincitur, quòd si concedatur licitum esse Confessario absolvere pœnitentem contra talem suam opinionem, contenti erimus, cùm aliud cum communi sententia non intendamus. Communem ergò hanc sententiam quibusdam rationibus stabiliam, ut sic aperiatur aditus tam ad refutanda ea, quæ Celladeus, quàm quæ Theologus ille (contra quem egi *quæst. 2.*) contra nostram communemque sententiam afferunt.

ASSERTIO UNICA.

Licitum est Confessario absolvere pœnitentem, qui bonâ fide sequitur opinionem certò probabilem de directa honestate rei, opinioni Confessarii contrariam. Idq. licitum est Confessario, etiam in sensu composito suæ opinionis directæ de objecti illius inhonestate.

Cõfessarius licitè absolvit pœnitẽtem contra propriam opinionem.

2. PROBATUR primò. Illa Confessarii opinio est merè speculativa, & impertinenter se habet in ordine ad judicium, quo Confessarius practicè dirigi debet ad dandam absolutionem, id est, in ordine ad judicium determinans, an pœnitens peccaverit peccato formali ac imputabili, & an ipsi liceat eodem modo in posterum operari. Ratio est, quia omnes benè norunt, quòd pœnitens in operando non reguletur opinione Confessarii, sed propriâ. Rursus omnes sciunt, fieri posse, ut pœnitens veram sequatur opinionem, quamvis Confessarius putet eam esse falsam. Et quod plus est, omnes sciunt, pœnitentem taliter bonâ fide procedentem posse invincibiliter errare, si erret, & consequenter posse non peccare, etsi sequatur opinionem falsam. Imò sæpè scire possumus ac præsumere, quod vel non erret, vel erret invincibiliter, eò quòd diligentiam adhibuerit, & ab alio Confessario aliisque peritis didicerit rem esse licitam, illisque fidem dederit, nec ullam habeat rationem credendi potiùs Confessario, quem hîc & nunc accedit, quàm priori, aliisque peritis, quos consuluit; cùm vel ipsemet nôrit, vel fama communis ferat, eos esse sapien-

Opinio Cõfessarii impertinenter se habet ad judicium, quo regulatur ad absolvendum pœnitẽtem.

sapientiores isto determinato, quem jam accedit. Ergò Confessarius scire potest, pœnitentẽ vel non erasse, vel certè invincibiliter erasse; atque etiam in posterum erraturum etiam invincibiliter, si tamen erret, quamvis Confessarius actu existimet, talem actionem secundùm se consideratam esse prohibitam. Ergò, stante tali judicio, scire potest, pœnitentem non peccasse sectando contrariam opinionem, nec peccaturum, si eam in posterum sequatur. Ergò prior illa opinio componi potest cum judicio practico, quòd pœnitens sit benè dispositus ad absolutionem. Et in tali casu Confessarius non solùm potest, sed etiam debet pœnitentem absolvere contra propriam opinionem directam. Ergò opinio illa Confessarii est merè speculativa, & impertinenter se habet in ordine ad judicium, quo Confessarius practicè dirigitur ad absolvendum pœnitentem. Ergò Confessarius absolvere potest pœnitentem etiam contra propriam opinionem actu existentem & non depositam.

Æquè absolvendus est pœnitens, qui operatur contra ac juxta opinionem Confessarii.

3. Probatur secundò. Confessarius absolvere potest pœnitentem, quando sequitur opinionem probabilem, quam Confessarius etiam veram reputat. Ergò potest eundem absolvere, quando sequitur opinionem probabilem, quam idem Confessarius falsam existimat. Probatur consequentia. Eadem datur causa absolutionis in utroque casu; non enim ideo præcisè absolvendus est pœnitens, quia fecit & facere intendit, quod Confessarius licitum putat, sed quia fecit & facere vult, quod ipsemet licitum putat; idque in talibus circumstantiis, in quibus præsumi potest ac debet, quod aut non erraverit, aut certè erraverit invincibiliter. At utraque causa æquè locum habet in pœnitente, quando operatus est & operari intendit contra opinionem Confessarii, ac quando operatus est ac operari intendit juxta illam. Imprudens enim & superbus est, qui putat, cæteros debere potiùs sibi, quàm aliis fidere, eosque, si errent sibi credendo, invincibiliter errare; errare verò vincibiliter, si in aliorum rationibus ac auctoritate conscientiam deponant. Ergò Confessarius in casu præsenti eandem prorsus habet rationem excusandi pœnitentem, eumque absolvendi, quando operatur contra, ac quando operatur juxta sententiam ipsius Confessarii. At absolvi potest & debet, quando bonâ fide operatus est illud, quod Confessarius licitum putat, etsi non directus fuerit ab illo Confessario, sed ab aliis peritis & probis. Ergò eodem penitus modo absolvendus est, quando eandem auctoritatem ac rationem sequutus, operatus est contra opinionem Confessarii; quia ille in operando nullo modo directus fuit, aut dirigendus est à tali persuasione Confessarii. Ergò omnis pœnitens, qui bona fide conscientiam deponit in opinione certò probabili, æquè dignus est absolutione, & eodem modo absolvendus, sive operetur juxta, sive contra opinionem Confessarii. At absolvendus est si concordet, ipso Celladeo non diffitente. Ergò absolvendus est, etsi dilcordet, cùm eadem penitus ratio manifestè valeat in utroque casu. Ergò Celladeus in hoc ipso inconsequenter locutus est.

Pœnitens, qui sequitur benignam sententiam absolvẽdus est contra opinionem Confessarii.

4. Probatur tertiò. Si pœnitens non solùm sequatur opinionem, cui ut probabiliori ac unicè veræ ex vi rationum directè probantium assensum præbet, sed rationibus etiam atque auctoritatibus reflexè probantibus nitatur; adhuc clariùs absolvi potest contra opinionem Confessarii, quàm quando directis tantùm rationibus utitur; quia pœnitens jam considerat opus ut substans circumstantiis, auctoritatibus, atque rationibus diversis ab iis, sub quibus Confessarius, rem tantùm directè considerans, enunciat illam esse illicitam. Ergò hæc Confessarii opinio merè speculativè se habet in ordine ad opus & conscientiam pœnitentis, ut *in quæstione superiore* ostensum est in simili de subdito obediente contra propriam opinionem. Eadem enim ratio, æquè valet in utroque casu. Perspicuum proinde est, Confessarium posse enunciare ac credere, pœnitentem, operantem ex vi illius opinionis reflexæ, nec peccasse, nec peccaturum esse peccato propriè dicto, & verè imputabili, quamvis ipse existimet actionem, quam pœnitens posuit, secundùm sepræcisè consideratam esse malam & peccaminosam; quia ista judicia sibi non contradicunt, cùm diversa enuncient de eodem objecto relatè ad circumstantias valdè diversas.

Confessarius potest absolvere pœnitentem contra propriam opinionem actu existentem.

5. Probatur quartò. Ponamus, Confessarium post multum studium & diligentiam adhibitam sequi opinionem benignam, quæ docet, licitum cuique esse sequi opinionem quamcumque directè probabilem; supponamus etiam quòd idem Confessarius existimet, rem aliquam directè consideratam esse malam, quam tamen pœnitens & directè & indirectè acceptam, reputat esse veram: iste Confessarius absolutè putat pœnitentem esse benè dispositum, etsi existimet, actionem ab illo positam, secundùm se consideratam, esse malam; quia existimat eum nec peccasse operando, nec peccaturum pergendo in suo opere. Ergò potest, imò debet eum absolvere contra propriam opinionem de malitia rei secundùm se consideratæ. At omnes fermè Confessarii, sicut omnes ferè Doctores, sequuntur benignam sententiam. Ergò omnes ferè absolvere possunt pœnitentes contra propriam opinionem actu existentem. Quòd si fermo sit de Confessario, qui sequitur opinionem rigidam, & negat licitum esse sequi opinionem directè æquè aut minùs probabilem, sed solùm probabiliorem, quando actu creditur vera; adhuc ille contra suam opinionem directam formare potest judicium de pœnitente, quod non peccaverit, quia scilicet pœnitens sequutus est opinionem sibi probabiliorem, quamque veram reputavit. Ergò judicare potest pœnitentem non peccasse formaliter & imputabiliter. Ergò judicare potest, quòd sit rectè dispositus. Ergò potest & debet eum absolvere, quia tenetur omnem pœnitentem absolvere, quem putat esse benè dispositum.

Ex principiis Celladei sequitur Confessarius posse absolvere contra propriam opinionem.

6. Probatur quintò. Ex ipsis Celladei principiis si pœnitens sequatur auctoritatem certò plerumque non errantem, Confessarius potest & debet supponere, pœnitentem aut non errare, aut invincibiliter errare, si erret; & hoc maximè verum est, quando talis præsumptio rationabiliter haberi non potest de auctoritate Confessarii, maximè prout accipitur contradicere auctoritati, quam pœnitens sequitur. Nulla enim melior regula est in incertis, per quam dirigi possimus ex mente Celladei. Jam pœnitens qui sequitur opinionem, quam S. Thomas, Suarez, aliique decem præstantissimi Theologi tenent esse veram, nititur hujusmodi auctoritate; talis enim auctoritas plerumque non fallit; & hoc quidem locum habet, si res tantùm directè consideretur; quòd si rationes etiam atque auctoritates reflexæ de usu licito talis opinionis certò probabilis, immò & probabilioris apud pœnitentem, quamque pœnitens veram reputat, considerentur, pœnitens

habet

habet unanimem omnium consensum pro honestate suæ operationis, & longè plures quàm decem contra unum. Ergo sequitur auctoritatem plerumque non errantem, nam universa Doctorum multitudo, aut pars eorum longè maxima, plerumque non errat. Ponamus jam Confessarium esse contrariæ opinionis, tam in directa, quàm in reflexa consideratione. Certè auctoritas Confessarii ea non est, ut pœnitens, qui illum falli arbitratur, rationabiliter reputare possit illum in contradictione tantæ auctoritatis plerumque non errare. E contra auctoritas, quam sequitur, tanta est, ut meritò præsumi possit plerumque non errare, etiam quando Confessarius iste est in contraria opinione. Jam Confessarius, etiam stante sua opinione, nosse potest, imò ignorare non potest, pœnitentem sic procedentem sequi regulam plerumque non errantem. Ergò potest & debet supponere, eum vel non errare, vel invincibiliter errare, si erret. Ergò potest & debet eum reputare benè dispositum, & consequenter potest & debet eum absolvere, non obstante sua opinione. Ergò Celladeus & fallitur in hac quæstione, & ex propriis principiis falsitatis convincitur.

Idem ex aliis Celladei principiis probatur.

7. Probatur sextò ad hominem contra Celladeum. Subditus simpliciter loquendo tenetur obedire superiori contra propriam opinionem, quamvis illa certa ipsi videatur, quia plerumque errat subditus, quando opinatur contra suum superiorem. Ergò plerumque, per se, & simpliciter loquendo tenetur conscientiam atque opinionem suam, utpote erroneam, deponere & obedire. Hæc est doctrina Celladei *quæst. superiore* fusè tradita. Atqui eadem ratio longè clariùs probat, Confessarium debere opinionem suam deponere & pœnitentem absolvere. Debet, inquam, suam opinionem deponere, modò illa vel explicitè & signatè, vel virtualiter & exercitè dicat pœnitentem peccasse, & esse indispositum; nam si hoc non dicat, talis opinio nullatenus obstat, quò minùs pœnitens judicetur sufficienter dispositus. Ratio est, quia pœnitens sequendo opinionem probabilem, quam veram reputat, maximè si reflexis etiam argumentis & auctoritatibus innitatur, sequitur auctoritatem plerumque non errantem. Ergò auctoritas Confessarii, ac cujusvis privati Doctoris, quatenus tali auctoritati contradicit, per Celladeum plerumque fallitur. Ergò talis opinio privata plerumque est erronea. Ergò si constituat conscientiam, ut vult Celladeus, constituit conscientiam plerumque erroneam. Ergò de illa discurrendum est, sicut de conscientia erronea, ut Celladeus contendit. Ergò plerumque, per se & simpliciter loquendo, deponenda est, non solùm quia erronea est, sed quia est etiam injuriosa proximo quem injustè condemnat, & pœnitens absolvendus. Ecce Celladeus iterum inconsequenter loquitur, quia ponit assertionem, cujus falsitas ex propriis illius principiis immediatè ante stabilitis efficaciter evincitur.

Celladei inconsequentia.

Argumentum optimum à Celladeo sibi objectum.

8. Demùm ex hisce principiis sic formo argumentum. Confessarius tenetur absolvere pœnitentem ritè dispositum, quique præsumi potest & debet ritè dispositus: sed pœnitens in casu quæstionis & est & præsumi potest ritè dispositus. Ergò Confessarius tenetur eum absolvere. Major ex se patet, quia Confessarius sine injuria tali pœnitenti absolutionem negare non potest. Minor apertè constat ex dictis. Huic argumento à se proposito Celladeus minorem non negat, unde videtur supponere pœnitentem esse ritè dispositum; nec contrariam Confessarii opinionem huic rectæ dispositioni obstare, alioquin negasset minorem, aut eam distinxisset, cùm nil magis ejus intento conducere potuisset, quàm ostendere minorem esse falsam. Itaque aliud non respondet, quàm hoc modo distinguendo majorem. Confessarius tenetur absolvere pœnitentem ritè dispositum, quem ipse Confessarius credit esse ritè dispositum; concedo majorem; quem non ipse, sed pœnitens credit esse ritè dispositum, nego majorem; quia Confessarius & quilibet suâ conscientiâ non alienâ regulari debet, sicut & per suam non per alienam judicandus est.

Sed ab eo non solum.

9. Hæc responsio est præter, immò contra statum quæstionis præsentis, quia non quæritur, an Confessarius absolvere possit pœnitentem in sensu composito opinionis, seu potius conscientiæ suæ dictantis id esse illicitum; seu, quod in idem recidit, in sensu composito conscientiæ dictantis, pœnitentem non esse dispositum; sed solùm quæritur, an absolvere possit pœnitentem, quem novit bonâ fide sequi opinionem probabilem, quam ipse Confessarius falsam reputat, quando considerat objectum illud secundùm se, nihil enunciando de ea quæstione, an pœnitens excusetur, illam sectando. Ergò Celladeus præter, immò contra statum quæstionis procedit, dum supponit, Confessarium existimare pœnitentem non esse ritè dispositum. Quòd si contendat, judicium hoc de indispositione pœnitentis necessariò inferri ex judicio directo de malitia illius objecti secundùm se, fallitur, quia clarè constat ex dictis, illud non solùm non inferri, sed oppositum & posse præsumi, ac legitimè inferri, non obstante tali judicio.

SOLVUNTUR OBJECTIONES CELLADEI.

Objectio 1.

10. OBJICIES primò. Nemini licet agere contra propriam opinionem, nisi adsit peculiaris ratio variandi hîc & nunc judicium particulare. Ergò neque Confessario. Nec recurras ad rationes reflexas, quia illæ jam rejectæ sunt. Ita Celladeus § 2.

Cõfessarius debet variare suum judiciũ quando pœnitens sequitur opinionem contrariam.

Respondeo primò, me *in tract. de Consc. prob. quæst. 30.* atque etiam hîc *quæstione superiore* ostendisse, quousque cuique liceat agere contra propriam opinionem; pluribus etiam locis ostendi, doctrinas reflexas esse verissimas, atque Celladeum in iis confutandis frustra laborasse. Itaque ex illis capitibus præsens assertio non refutatur, sed stabilitur. Præterea in præsenti casu evidentissimè adest peculiaris ratio variandi hîc & nunc particulare judicium Confessarii circa pœnitentem, atque enunciandi aliter de illo, quàm in universali enunciat de objecto secundùm se considerato. Rationes istæ particulares sunt. Prima: pœnitens bonâ fide sequitur opinionem probabilem, quam veram reputat. Secunda: pœnitens tam benè dispositus est ad absolutionem recipiendam, quàm esset, si Confessarius eandem cum pœnitente opinionem sectaretur. Tunc esset sufficienter dispositus. Ergò & nunc. Tertia: opinio Confessarii nullo modo dirigit pœnitentem, nullaque ratione influit in moralitatem operationum ipsius. Ergò pœnitens non debet judicari secundùm apparentiam & assertionem talis opinionis, sed per alia principia. Quarta: pœnitens, ob diligentiam adhibitam, rationesque

atque auctoritates quibus nititur, præsumendus est, vel non errare, vel certè errare invincibiliter, si erret. Et hæ quidem sunt rationes peculiares, ob quas dictum Confessarii judicium alterari debet, quamvis res ipsa, de qua Confessarius & pœnitens dissentiunt, directè tantùm consideretur. Quòd si reflexè etiam consideretur, & pœnitens tam rationibus quàm auctoritatibus benignæ sententiæ moveatur, evidentiùs adsunt peculiares circumstantiæ, in ordine ad quas pœnitens enunciat rem esse licitam, in ordine ad quas opinio Confessarii nullo modo se extendit, ut dictum est. Præterea in eodem casu evidens est, pœnitentem sequi regulam seu auctoritatem plerumque non erratem, illiqué aliam non opponi, quàm auctoritatem plerumque errantem, si utraque sumatur pro casibus, in quibus una alteri contradicit; quæ circumstantiæ non solùm fundât rationes peculiares aliter judicandi de pœnitente, quàm de objecto secundùm se, sed etiam juxta propria Celladei principia, &, quod plus est, juxta veritatem ipsam obligant Confessarium ad suum de insufficienti dispositione pœnitentis judicium, utpote per se loquendo erroneum pœnitentiqué injuriosum (si tale judicium habeat) deponendum, illoqué deposito, ad pœnitentem absolvendum.

Objectio 2. 11. Ob. 2. Quando inter Confessarium & pœnitentem occurrit casus controversus, qui dicitur utrimque probabilis, non est sermo de vera & reali probabilitate, quæ est regula morum, sed de alia, quæ ad conscientiam dirigendam non sufficit. Ponamus eos dissentire in sua opinione de restitutione facienda. In hoc casu Confessarius putat pœnitentem falli, Deumqué velle ut restituat. Ergò debet obligare pœnitentem ad restitutionem; quia Confessarius jubetur verum præhabere falso, sententiamqué dicere, prout ipse judicat legem Dei exigere, & non contra quod putat legem Dei postulare. Ita Celladeus §. 2.

Cõfessarius non debet judicare, Deum obligare pœnitem ad id, quod Confessarius verum putat.

Respondeo, sermonem semper procedere de vera ac reali probabilitate utrique parti favente; supra enim *quæst. 29.* ostendi, utramque partem contradictionis simul esse posse probabilem, omniaqué in contrarium à Celladeo allata perspicuè dissolvi. Jam ergò nulla in argumento est difficultas, si Confessarius sectetur opinionem benignam, credatqué usum cujusvis opinionis probabilis, saltem probabilioris, esse licitum; quia talis Confessarius existimat, pœnitentem absolutè & omnibus inspectis non obligari ad restitutionem, quamvis considerando rem directè, existimet restitutionem esse faciendam. Uno verbo, etsi dissentiat à pœnitente in judicio directo, quod merè remotè & speculativè se habet ad conscientiam formandam, tamen cum eo consentit in judicio ultimo, quo post omnia considerata conscientia formatur. Sed ut detur locus argumento, ponamus Confessarium discrepare à pœnitente in judicio directo, & nullo modo reflectere ad opinionem benignam, quæ docet usum, cujusque opinionis probabilis esse licitum, sed, solùm considerare statum pœnitentis, modumqué quo conscientiam formavit ac format; adhuc dico, Confessarium debere absolvere pœnitentem, quia rationes allatæ id evincunt. Nec obstat, quod Confessarius putet pœnitentem falli in suo judicio, quia non ideo judicat, Deum absolutè velle restitutionem fieri à pœnitente, quia adhuc scit fieri posse, ut pœnitens non erret, & ut erret invincibiliter, si erret: immò videre potest eum diligentiam adhibuisse, atque auctoritati majori, quàm sit illa Confessarii inniti, ideoqué non teneri ad se incertæ ipsius opinioni conformandum; unde & potest & debet præsumere pœnitentem non errare; vel certè errare invincibiliter, si erret. Jam autem Confessarius & præsumit & scit Deum non obligare hominem ita dispositum, quamvis fortasse legem tulerit, quæ ex directa ipsius intentione deberet afficere omnes, illosque obligare.

12. Atque hinc est, quod Confessarius nec debeat, nec possit obligare pœnitentem ad restitutionem; scit enim opinionem suam incertam esse, & fortasse etiam falsam; ideoque se non posse obligare pœnitentem ad eam pro vera habendam, quando ipse, post diligentiam factam, à peritis & probis æquè doctis aut etiam Confessario doctoribus audivit contrarium, ac eorum auctoritati fisus, bona fide processit. Certum enim est, pœnitentem in tali casu non obligari ad Confessario credendum; ideoque certum etiam est, pœnitentem non ideo obligandum ad restitutionem, quia Confessarius sequens suam opinionem pronunciat illum obligari. Ergò Confessarius in tali casu non potest pœnitentem obligare; quia si posset, pœnitens teneretur illius sententiæ stare, obligatio enim activa & passiva sunt correlativæ. Atqui certum videtur, nullam dari talem obligationem passivam in pœnitente. Ergò in tali casu nulla datur potestas in Confessario ad obligandum Pœnitentem, ut restituat.

Casus in quo Confessarius non potest obligare pœnitentem ad restitutionem.

13. Porrò æquivocat Celladeus, dum dicit Confessarium obligari ad præhabendum verum falso, & ad sententiam dicendam prout ipse judicat, & non contra quod judicat legem Dei postulare; confundit enim judicium Confessarii de materiali operatione pœnitentis secundùm se, cum judicio de eadem operatione prout elicita à pœnitente ex vi opinionis probabilis, dictantis illam esse bonam, cui opinioni pœnitens inculpabiliter assensum præbuit. Similiter confundit legem & voluntatem Dei directam cum lege reflexa, quæ se habet per accidens & ex suppositione. Porrò Confessarius non debet judicare pœnitentem juxta opinionem suam incertam de bonitate vel malitia rerum secundùm se consideratarum, tum quia pœnitens non tenetur illi fidem dare, tum quia ob ipsam incertitudinem propriæ opinionis, & notoriam probabilitatem oppositæ, talis opinio nec potest nec debet in casu Confessionis Sacramentalis sumi tanquam regula directiva pœnitentis, quia potest habere, & sæpè habet longè potiorem rationem & auctoritatem pro formanda sua conscientia, quàm sit illa Confessarii. Itaque debet ferre sententiam secundùm illud, quod judicat Deum & legem Dei hîc & nunc exigere à pœnitente circa hanc actionem, stante dispositione mentis & cordis, quam pœnitens inculpabiliter habet. At si ferat sententiam secundùm hoc judicium; judicabit pœnitentem non peccare, sed esse benè dispositum, quamvis existimet, directam pœnitentis opinionem esse falsam.

Æquivocatio Celladei.

14. Et quidem hæc vera sunt, etsi tantùm loquamur de probabili judicio, quo pœnitens directè enunciat talem operationem esse honestam, & absolutè contradicit opinioni Confessarii. Quod si pœnitens præter opinionem directam utatur etiam opinione reflexa, atque sectetur opinionem benignam, magis perspicuum est, quòd Confessarius possit ac debeat aliter enunciare de operatione pœnitentis, quàm de operatione illa secun-

Alia solutio objectionis.

secundùm se. Ratio cur possit est, quia pœnitens considerat actionem illam in ordine ad circumstantias, quæ directæ Confessarii opinioni non objiciuntur. Ergo aliter potest enunciare de illa operatione in istis circumstantiis, quàm de illa secundùm se. Jam autem ex eò quòd possit hoc modo judicare tenetur id ipsum præstare, alioquin temerè condemnaret pœnitentem, illumque absque fundamento delusum & afflictum demitteret.

Objectio 3. 15. Ob. 3. Si Confessarius posset ac deberet contra suam opinionem absolvere pœnitentem, nil esset infirmius ad obligandum, & nil potentius ad deobligandum, quàm opinio probabilis. Nil potentius ad deobligandum, quia actus ab opinione probabili regulatus juxta Auctores benignæ sententiæ est tam infallibiliter non peccaminosus sed bonus, quàm si regularetur a revelatione divina. E contra nil per eos est tam infirmum ad obligandum, quia Confessarius & alii operari debent contra suas opiniones probabiles, nec eas pluris facere, quàm si non haberentur. Profectò nulla in hoc dicendi modo reperitur æquitas. Nisi æquum dixeris, quod opinio probabilis Confessarii nullius momenti sit ad obligandum, quia est incerta & formidolosa; è contra verò probabilis opinio pœnitentis, quamvis incerta & formidolosa, sit infallibilis morum regula, illumque infallibiliter deobliget. Ita Celladeus §. 2.

Omnis opinio probabilis directiva oppositi parem vim habet ad obligandum & deobligandum.

Respondeo, omnem opinionem probabilem de honestate & inhonestate sui objecti vim habere non quidem eandem, sed aliquo modo parem vel similem. Non eandem, quia una obligat, alia deobligat, ut ipsemet Celladeus fateri debet. Nam juxta illum, si habeam opinionem probabilem quòd hodie non sit jejunandum, liberor ab obligatione jejunandi; si autem cras habeam opinionem probabilem, quòd sit jejunandum, teneor jejunare. Ecce non eadem est vis omnium opinionum probabilium, tamen omnium vis quodammodò par est & similis, sicut enim una obligat, sic alia vel obligat, vel deobligat. Nec hoc solùm verum est de opinionibus probabilibus circa objecta diversa, sed etiam de opinionibus prorsus contradictoriis de eodem objecto, modò practicè se habeant ad opus, & constituant conscientiam, tales enim opiniones parem omninò vim habent, quia sicut ille liberatur ab onere restituendi v. g. qui probabiliter putat se non teneri ad restituendum, sic ille obligatur ad restituendum, qui absolutè existimat se obligari ad restituendum; neque enim licitum est operari contra propriam opinionem, quando illa absolutè enunciat de inhonestate rei, & est dictamen, quo conscientia dirigitur, ut latè ostendi *quæst. 30. de Consc. prob.* Itaque nulla est diversitas inter onus & levamen opinionum probabilium, quando illæ practicè dirigunt opus, & conscientiam constituunt. Quæ cùm perspicua sint, mirandum prorsus est, Celladeum ad ea non advertisse, sed ex subjecto non supponente argumentum formâsse.

In quo sensu opinio gravans nullam habet vim ad obligandum.

Illud, in quo æquivocationem passus videtur, est, quòd non distinxerit inter opinionem seu judicium presè practicum, quo conscientia proximè formatur, & opinionem quodammodò speculativam, quâ scilicet nec conscientia constituitur, nec operatio hîc & nunc dirigitur. Si loquamur de priori opinione, argumentum procedit de subjecto non supponente, ut ostensum est; si de posteriori sit sermo, verum est, sed non mirandum, quòd opinio probabilis docens aliquid esse illicitum nullam vim habeat contra aliam probabilem ad gravandum, quódque omnis opinio probabilis de honestate operis vim habeat ad excusandum. Inprimis nulla talis opinio habet vim gravandi conscientiam, quia nulla talis constituit conscientiam, sed vel solùm existit objectivè in intellectu & consideratur reflexè; vel certè si existat exercitè, solùm enunciat de honestate operationis secundùm se consideratæ, non autem de honestate operationis prout hîc & nunc est exercenda, ideoque nullam habet vim immediatè & directè obligandi. E contrario omnis opinio probabilis de honestate operis habet vim deobligandi, non solùm quando exercitè existit in seipsa, & enunciat operationem hîc & nunc ponendam esse bonam, atque conscientiam constituit; sed etiam quando reflexè consideratur, dum quæritur ad quid teneamur in casu incertitudinis & probabilitatis faventis utrique parti contradictionis. Omnis enim opinio probabilis excusans præbet argumenta longè potiora ad dicendum, quod omnibus consideratis hîc & nunc nulla detur obligatio onerans, quàm ulla opinio probabilis gravans præbeat ad inferendum, quòd ullâ obligatione hîc & nunc absolutè premamur ad abstinendum ab opere, ut fusè ostensum est, tum in hoc, tum *in tract. de Consc. prob. quæst. 22. & 23.*

Argumentum retorquetur.

16. Cæterùm Celladeus ipse hoc qualicumque argumento premitur, nam ille contendit nullam opinionem probabilem, juxta communem ejus acceptionem, excusare. Unde sic arguo: nil potentius est ad obligandum, quàm opinio probabiliter dicens aliquid esse illicitum; nil infirmius ad deobligandum, quàm opinio probabilis affirmans aliquid esse licitum. Illa enim inevitabiliter neminem liberat. Ecce Celladeus ipse tenetur argumentum suum solvere, & ostendere, cur opinio probabilis, dictans aliquid esse licitum, sit prorsus impotens ad deobligandum, quamvis opinio probabilis contradictoriè opposita efficacissimè & inevitabiliter obliget. Jam si citra æquitatis læsionem admitti potest, nullam opinionem probabilem excusare, eodem jure admitti potest nullam opinionem probabilem enunciantem, quod res secundùm se considerata sit mala, habere vim obligandi, modò ex adverso detur opinio probabilis, quæ alteri expresè contradicat.

Alia Celladei æquivocatio.

17. Est & alia Celladei æquivocatio in hoc argumento; absurdum enim reputat, quòd opinio Confessarii nil valeat ad obligandum, cùm contraria pœnitentis opinio illum infallibiliter deobliget. Sed esto; absurdum sit, opinionem Confessarii non æquè obligare Confessarium, ac opinionem pœnitentis illum deobligare, quia uterque opinione illâ in sua operatione dirigitur. Verùm non quæritur in præsenti, quid obligationis opinio Confessarii ipsi Confessario afferat, in ordine ad regulandam propriam ipsius conscientiam; sed quid obligationis afferat Confessario, in ordine ad judicandum de conscientia pœnitentis, & ad necessariam illius directionem. Jam ad hunc finem nil conducit probabilis ac incerta Confessarii opinio, sed perindè se habet ac si non existeret. Nec mirum, quia pœnitens nec directus fuit, nec dirigendus est in operando per opinionem aut conscientiam Confessarii, sed per suam. Ergò si ille probabiliter & invincibiliter judicet rem esse licitam, utique evadit illi licita, quidquid judicaverit Confessarius, qui proinde, ut judicet ac dirigat pœnitentem, non debet respicere

Opinio Confessarii non obligat pœnitentem, qui sequitur opinionem contrariam.

spicere ad suam opinionem fallibilem prorsus ac incertam, quando pœnitens fundatur in auctoritate ac ratione æquivalente, & apud illum potiore pro opinione contraria; sed eodem modo debet judicare de pœnitente, eodemque modo potest illum absolvere, ac si ipse eandem cum pœnitente secutus esset opinionem: sed hinc.

Objectio 4. 18. Ob. 4. Quando in casu quæstionis Confessarius & pœnitens discrepant circa restitutionem faciendam, pœnitens se habet instar subditi, rei, & peccatoris; Confessarius verò se habet instar superioris, & Judicis, qui Christi locum tenet. At æquum est, subditum, reum, & peccatorem veniam flagitantem consentire superiori, ac Judici, qui Christi locum tenet, non è contra. Ita Celladeus ibidem.

Processus fori interni ex sola pœnitentis informatione & dispositione faciendus est.

Respondeo, Confessarium esse quidem judicem, vindicem, & medicum pœnitentis, atque ad illum etiam comparari instar superioris Christi locum tenentis; assero tamen, Confessarium in judicio fori interni faciendo ac terminando debere se accommodare opinioni pœnitentis. Ratio est, quia quamvis Confessarius in hoc judicio sit superior, Judex, Medicus, ac Minister Christi, ita tamen hæc munera ipsi attributa sunt, ut processus & judicium totum alia informatione niti nec possit nec debeat, quàm solius pœnitentis conscientiâ ac testimonio. Similiter remedium, non nisi juxta indigentiam & ægritudinem à pœnitente judicatam, præscribi debet. Itaque Confessarius in judicando respicere debet ad conscientiam pœnitentis, & ad modum, quo illa formata est. Ergò si invenit pœnitentem bonâ fide procedere, atque conscientiam suam in opinione probabili, atque in ratione & auctoritate plerumque non errante deposuisse, non potest illum condemnare, nec illum obligare ad sequendam propriam opinionem Confessarii, quam pœnitens irreprehensibiliter & invincibiliter cum communi omnium fermè Doctorum sententia falsam reputat; sed pronunciare debet, illum hîc & nunc nec peccasse, nec peccaturum esse non restituendo, quidquid demum ipse privata sua opinione censet de operatione illa secundùm se considerata. Et sanè eodem modo judicare debet de pœnitente, ac si eandem cum ipso opinionem sequeretur, ut ostensum est; quia pœnitens nec magis nec minùs rectè operatur, eò quòd Confessarius privatâ suâ opinione, putet illum exercuisse actionem secundùm se bonam vel malam. Itaque in hoc judicio Confessarius non aliter ablolvit ac judicat pœnitentem, quàm sicut coram Deo intelligit & putat pœnitentem debere absolvi; quia intelligit ac putat Deum velle ut pœnitentem judicet non ex sua peculiari opinione fallibili, sed ex conscientia ac testimonio pœnitentis. Quod si in hæc respiciat, non potest citra temeritatem & injustitiam judicare, pœnitentem esse in malo statu, & absolvi non posse. Præterea Confessarius debet aliter judicare de pœnitente, quàm opinio ipsius dictat, quia pœnitens, maximè si sequatur benignam sententiam, operatur in ordine ad circumstantias, quas propria ac directa Confessarii opinio non considerat, ut etiam supra ostensum est.

Objectio 5. 19. Ob. 5. Mentiretur, qui diceret Petrum egressum foras, si crederet illum domi manere. Nec salvari posset à mendacio per reflexas ullas. Ergò Confessarius mentitur, qui contra suam opinionem pronunciat pœnitentem non teneri restituere, sed esse benè dispositum; illumque absolvit. Ita Celladeus ibidem.

Respondeo, neminem per ullam reflexam persuasionem salvari posse à mendacio materialiter sumpto, si enunciet oppositum ejus, quod absolutè judicat esse verum, quia in ordine ad hoc impedimentum nullæ reflexæ juvant. At in ordine ad mendacium impediendum, prout est formaliter peccaminosum, reflexæ non solùm juvant, sed illud prorsus amoliri possunt; quia ipso Celladeo fatente, si quis invincibiliter crederet mendacium non esse malum sed bonum, utique non peccaret mentiendo. Ergò reflexæ juvare possunt ad impediendum peccatum, quidquid sit, an tollant, vel non tollant rationem mendacii, aut alterius peccati materialiter sumpti. At aliud non contendimus præstari per considerationes reflexas, quàm ut, stante malo materialiter sumpto, nulla sit imputabilitas, aut ratio malitiæ moralis in actione. Cæterùm admisso antecedente, quia formaliter mentitur, qui contra propriam opinionem loquitur, consequentia etiam concedi potest, si termini sumantur ut jacent, nam si Confessarius absolutè crederet pœnitentem, non obstante bona fide & opinione contraria ipsius, hic & nunc obligatum esse ad restituendum, ac proinde nolendo restituere esse malè dispositum, utique mentiretur dicendo oppositum, quia loqueretur contra id quod sentit, & peccaret illum absolvendo; verùm quæstio non procedit in hoc sensu, sed solùm an pœnitens absolvi possit, & verè dici hîc & nunc non obligatus ad restituendum, non obstante opinione Confessarii, quæ considerando rem secundùm se, dicit illam esse illicitam. Probatum est autem efficaciter, quòd possit absolvi & credi non obligatus ad restituendum, directa illa ac universali Confessarii opinione non obstante, quia judicium de peccato vel non peccato pœnitentis respicit circumstantias longè diversas ab iis, quas opinio illa Confessarii respicit, ac proinde aliter enunciare debet de actione pœnitentis in illis circumstantiis, quàm enunciat de operatione illa secundùm se. Ergò non mentitur, dum dicit pœnitentem non teneri ad restitutionem, sed esse ritè dispositum ac absolvi debere, quia hoc ipsum judicat. Uno verbo, Celladeus per totam quæstionem eâdem æquivocatione decipitur, quia confundit judicium Confessarii de re secundùm se considerata, cum judicio ejusdem de eadem re in sensu composito opinionis contrariæ, cui pœnitens inculpabiliter assensum præbet, quod in sequentibus argumentis etiam observandum erit.

20. Ob. 6. Judex fori externi, tam in criminalibus quàm in civilibus, non potest judicare secundùm probabilem sententiam rei vel partis, contra propriam opinionem. Ergò neque Confessarius, utpote judex fori interni, absolvere potest pœnitentem contra propriam opinionem. Tenet consequentia, quia militat ratio utrobique eadem; Judicis est judicare, rei judicari, & non è contra. Ergò judicis est propriam sententiam sequi, & secundùm eam judicare, non autem contra propriam opinionem opinioni personæ judicandæ se accommodare; alioquin debitus rerum & officiorum ordo inverteretur. Reus enim esset suimet judex, & judex evaderet rei minister. Ergò in quæstione de restitutione facienda pœnitens Confessarii judicio stare debet, non autem Confessarius se pœnitentis judicio conformare. Debet quidem Confessarius stare judicio pœnitentis circa factum & non factum, quia solus pœnitens est testis contra se, & ideo solus tam pro se quàm contra se auditur. At in quæstionibus aliis,

aliis, quæ non sunt facti (quales sunt, an hoc sit mortale, vel veniale? an hujus vel illius speciei? &c.) non est pœnitentis, sed Confessarii judicare, alioquin nulla harum rerum scientia requireretur in Confessario, sicut nulla ei necessaria est scientia, quid quisque fecerit; sed sicut notitiam de facto accipit à pœnitente, sic etiam de aliis ab eodem notitiam accipere deberet, quia Confessarius juxta illius opinionem deberet judicare, atque ita nil formæ judiciariæ servaretur in administratione Sacramenti Pœnitentiæ; quia pœnitens non judicio Confessarii, sed potiùs suo absolveretur. At de fide certum est ex Trid. *sess. 14. cap. 6.* quòd *Absolutio Sacerdotis sit instar actus judicialis, quo ab ipso, velut à judice, sententia pronunciatur.*

Confirmatur primò ab absurdis in casibus ad tertiam personam spectantibus.

21. Confirmatur objectio in casibus ad tertiam personam spectantibus. Nónne absurdum esset, si judex, in causa debiti vel furti vel illatæ injuriæ, contra propriam opinionem debitorem vel furem vel offensorem absolveret? Immò absurdum augeretur, si judicium fieret, audito solo debitore, & alterâ parte non auditâ. Ergò Confessarius in ejusmodi casibus debet esse medius inter utrumque prætendentem; quia in quo uni nimium favet, alteri injustè præjudicat. Ergò tenetur eos non absolvere contra propriam opinionem, sed debet partem absentem fulcire ac defendere, & sic tandem rectum judicium facere, sequendo quod in Domino justum videtur, sicut faciunt judices qui rectè judicant. Et sanè nil plus juris competit Confessario in ordine ad disponendum de bonis aliorum, quàm judici; quia nec Sacramentum Pœnitentiæ ad hoc erectum est, nec fusus Sanguis Christi. Ergò circa hæc nil plus potest Confessarius quàm judex fori externi.

Confirmatio 2. ab alio absurdo.

22. Confirmatur secundò. Si Confessarius deberet sequi opinionem probabilem pœnitentis contra propriam, poterit similiter & debebit potestas Ecclesiastica, id est sancta & pia mater Ecclesia, contra suam opinionem stare opinioni probabili filiorum suorum, scilicet Principum sæcularium & Ministrorum, qui sine Doctorum ac peritorum consilio nec bella movent, nec delinquentes ex loco sacro extrahunt, nec ea agunt, quæ Ecclesia solet improbare. Ergò Ecclesia contra suam opinionem stare debebit opinioni filiorum subditorum; eadem enim ratio eundem locum habet in hoc judicio & in judicio sacramentali. At si hoc semel dicatur, statim omnes controversiæ cessabunt, & vix ullus erit locus excommunicationi, aut pœnis Ecclesiasticis.

Confirmatio 3. ex periculo audiendi confessiones principum.

23. Confirmatur tertiò. Si liceret Confessario contra propriam opinionem pœnitentem absolvere, munus Confessarii regum ac principum non esset adeo periculosum, quia regibus non desunt consilia Senatorum, ac placita Theologorum sive pro bello inferendo, sive pro gabellis imponendis &c. Ergò Confessarius tutus esset eos absolvendo, etiam contra propriam sententiam. At omnium sensus est, tale munus esse periculi plenissimum. Ergò illis non licet absolvere ne quidem reges contra propriam suam opinionem, Ita Celladeus §. 3.

Æquivocatio Celladei.

24. Respondeo, eandem hîc etiam intervenire æquivocationem, quæ in superioribus observata fuit; nempe confusionem judicii, quod Confessarius habet de re secundùm se, cum judicio ejusdem de eadem re in sensu compositio opinionis contrariæ, cui pœnitens inculpabiliter assensum præbet. Hoc prænotato, ad singula respondeo.

Primus ejusdem error.

Inprimis, omisso antecedente, (quod non est verum nisi de judice in rebus civilibus, nam in criminalibus, si constiterit reum sequi opinionē probabilem, judex non potest eum condemnare, quamvis ipse contrariâ sententiam sectetur; quia in criminalibus requiritur probatio plena, aut certè semiplena, quæ in vehementi præsumptione consistit, quâ nemo habet, quamdiu videt oppositam præsumptionem esse probabilem, validisque rationibus munitam) negatur consequentia, si sermo sit de opinione circa malitiam rei secundùm se, de qua tantùm hîc loquimur; sed conceditur consequentia, si sermo sit de opinione circa dispositionem pœnitentis, quam Confessarius habet de illa re in sensu compositio opinionis contrariæ, cui pœnitens inculpabiliter assentitur; quia Confessarius indubiè peccaret, si contra talem opinionem vel judicium pœnitentem absolveret, quia absolveret quem putaret non esse absolvendum. Disparitas est, quòd judex fori externi judicare debeat de re secundùm se; non enim quærit utrùm pars, quam condemnat, peccârit nec ne retinendo rem verè alienam? hoc enim impertinens est ad ejus judicium; sed solùm quærit, an res illa verè pertineat ad alium nec ne? officiumque illius ad hoc institutum est, ut illi rem adjudicet, ad quem, omnibus consideratis, illam spectare judicaverit. Ad hoc autem non regulatur ab opinione aut bona fide partis, aut ab ulla cognitione reflexa, sed solùm à judicio de re secundùm se spectata, ut patet. At confessarii munus non est judicare causam pœnitentis ex opinione quam habet de re secundùm se consideratā, maximè quando res est incerta, & probabiles atque oppositæ de illius qualitate hinc inde existunt opiniones; munus enim illius exigit, ut discernat, an & qualiter pœnitens peccaverit, an peccaturus sit si in sua fide permaneat, & in posterum eadem vel similia agere statuat. At ad hæc discernenda, respiciendum est ad dispositionem pœnitentis; si enim ille bonâ fide processit, atque secutus sit opinionem probabilem, cui inculpabiliter assensum præbuit & præbet, certum est, quòd nec peccaverit, nec peccaturus sit retinendo rem, quam possidet. Ergò Confessarius, seu judex fori interni debet eum absolvere.

Disparitas inter judicē fori externi & Confessarium.

Cō fessarius non potest pœnitētem erroris arguere, eò quòd sectetur opinionem suæ cō trariam.

25. Nec dicas, Confessarium debere pœnitentem admonere erroris, (existimat enim illum errare) & pœnitentem obligari ad obediendum Confessario, quando ab illo erroris admonetur. Hoc enim verum non est, nisi quando res vel est certa, vel ita probabilis ex una parte, ut altera non sit probabilis; nam si utrimque detur probabilitas, & pœnitens sequatur opinionem probabilem, nullo jure tenetur stare opinioni Confessarii, qui plerumque est vir minoris doctrinæ ac auctoritatis, quàm sint Doctores, quorum sententiam pœnitens sectatur. Præterea, sæpè contingit pœnitentem à pluribus gravissimis ac doctissimis Confessariis audiisse, quòd opinio, quam sequitur, sit non solùm vera, sed tuta; absurdum autem est dicere, quod eorum auctoritatem deserere teneatur, quia Confessarius, quem nunc accedit, sequitur contrariam opinionem. Præterea, pœnitens sæpè habet rationes & auctoritates longè majores, quàm Confessarius, facilliméque solvit omnia illius argumenta. Immò habere potest demonstrationem, cujus intelligendæ Confessarius sit incapax. Quid autem? ánne in istis etiam casibus tenetur pœnitens Confessarii opinioni se accommodare? quid absurdius dici potest? stat ergò pœnitentem non obligari ad

ad sectandam opinionem Confessarii. Ergò Confessarius nec potest nec debet exigere a pœnitente, ut eam sequatur. Hortari aliquando potest, cogere in casu nostro non potest, si pœnitens adhuc bonâ fide ita in priori sua opinione persistat, ut præsumi non possit culpabiliter illi inhærere. Ergò Confessarius debet eum absolvere, quia benè dispositus est ad absolutionem recipiendam.

Judex utriusque fori tenetur sequi propriam opinionem.

26. Cæterùm in hoc casu judex fori interni, non minùs quàm judex fori externi sequitur propriam opinionem; illam nempe, per quam regulari debet in suo judicio ferendo. Sed hoc interest inter illas opiniones, quod opinio, per quam judex fori externi dirigitur, colligi debeat ex consideratione rei secundùm se spectatæ; opinio autem Confessarii pro foro interno colligi debeat ex consideratione rei, prout illa à pœnitente accipitur & intelligitur; ex hac enim sola consideratione sciri potest, an pœnitens peccaverit, vel peccaturus sit, aut modum operandi mutare teneatur. Quare si Confessarius ex hac consideratione perceperit, pœnitentem nec peccasse nec peccaturum esse, nec obligari ad suam sententiam mutandam, debet illum absolvere, quia benè dispositus est ad absolutionem. Cæterùm falsum est, si presse loquamur, quòd in hoc casu Confessarius se accomodet opinioni pœnitentis; ad hoc enim deberet priorem suam opinionem directam mutare, quod necessarium non est; nam sic discurrit: quamvis ego probabiliter existimem rem hanc esse restituendam, tamen opinio mea incerta est, & pœnitens eam reputat falsam, atque bonâ fide, probabiliter ac inculpabiliter credit rem non esse restituendam, nec peccat huic sententiæ inhærendo, cùm non teneatur meam opinionem sequi. Igitur nec peccavit, nec peccaturus est non restituendo. Ergò dispositus est ad absolutionem recipiendam. Ergò absolvendus est. Si Celladeus hæc judicia distinxisset, atque ad modum diversum, quo diversi isti judices procedunt, respexisset, à communi sententia, nil fallor, non recessisset. Sed pergamus.

Cõfessarius solùm impropriè se accommodat opinioni pœnitentis.

Factum pœnitentis, ex quo Confessarius judicat, est multiplex.

27. Accipit quidem Confessarius notitiam facti à pœnitente, sed hæc notitia non solùm extendit se ad notitiam rei gestæ, v. g. quòd non restituerit, sed etiam ad modum & causam non restituendi; factum enim est, quòd pœnitens bonâ fide processerit; factum est, quòd diligentiam adhibuerit; quòd à probis & peritis consilium petiverit; quòd rationibus efficacissimis convictus eam opinionem sequutus sit & sequatur; & per consequens factum etiam dici potest, quòd vel non erret, vel erret invincibiliter, si erret. Jam ex hoc facto Confessarius totum suum judicium formare debet, quando res adeò ambigua est, ut pœnitens non teneatur opinioni Confessarii se submittere, sed propriæ inculpabiliter adhæreat. His omnibus stare debet Confessarius tanquam factis, atque iis etiam quæ necessariò cum illis connexa sunt, qualia sunt, an pœnitens ullo modo, etiam mortaliter peccaverit, an peccaturus sit propriam opinionem sectando, etsi in reliquis, quæ ab his non dependent, & necessariam cum illis connexionem non habent, non debet stare opinioni pœnitentis, aut suum judicium dependenter ab illa formare. Sed & quando in prioribus conformat se opinioni pœnitentis, solùm conformat se illi ut cuidam facto taliter se habenti, non autem opus est ut se conformet illi ut veræ, seu ut eam veram reputet; quia sive sit vera, sive per accidens præter intentionem & culpam pœnitentis sit falsa, eodem prorsus modo debet suum judicium formare, ut patet.

Pœnitens non est minister Confessarii.

28. Neque hinc sequitur, quòd pœnitens sit suimet judex, & Confessarius ejus minister, sed è contrario sequitur, quòd pœnitens ministret Confessario tanquam testis tam pro se quàm contra se, cujus testimonio nixus Confessarius formet judicium de dispositione ipsius pœnitentis, & juxta illud ad eum ligandum vel absolvendum procedit. Per accidens autem est, quòd Confessarius eodem modo judicet de dispositione pœnitentis sicut ipse pœnitens judicat; per accidens, inquam, quia hoc solùm evenit, quando pœnitens legaliter & inculpabiliter procedit; nam si pœnitens sequeretur opinionem improbabilem aut certò falsam, per se loquendo Confessarius deberet illum erroris admonere, & emendationem exigere, nec sine proposito emendationis illum absolvere.

Scientia necessaria Confessario.

29. Eodem modo non sequitur, scientiam non fore necessariam Confessario, si debeat sequi opinionem pœnitentis. Inprimis scientia illi necessaria est, ut se tali muneri exponat, atque ut dirigere possit pœnitentes rerum ac jurium ignaros. Cæterùm scientia prævia de juribus non esset illi magis necessaria, quàm scientia facti, si sciret se à pœnitente tam certò habiturum scientiam juris quàm facti; sed quia hoc difficile est, & vix sperari potest, ideo scientia juris prærequiritur, cùm scientia facti non prærequiratur ad exponendum se, quamvis utraque scientia absolutè requiratur ad formandum judicium Sacramentale. Cæterùm sæpè contingit, Confessarium stare judicio ac sententiæ pœnitentis, & ab illo illiusque auctoritate omnem suam opinionem formare. Hoc evenit quoties Confessarius fuit discipulus pœnitentis, & ab eo persuasus eandem cum ipso sententiam sequitur. Secundò id frequentiùs evenit, quando pœnitens est vir valdè peritus & probus, qui Confessario dubitanti dicit, eum tutò posse tali modo procedere; idque maximè locum habet, quando agitur de re valdè difficili, de qua Confessarius exiguam notitiam habet; tunc enim stare potest judicio pœnitentis, si ille sit peritus & probus; & Celladeus id ipsum fatetur. Peto ergò, an Confessarius in his casibus sit & dici debeat minister pœnitentis? an è contrario pœnitens dici debeat & sit minister Confessarii, illiq; serviat tanquà inferior superiori, ut illum debitè informet, & proximè capacem reddat, ut de rebus pœnitentis illiusque obligationibus judicet, & tandem judicium Sacramentale perficiat? si dicat primum, tenetur proprium argumentum solvere; si secundum, cogitur fateri argumentum nullius momenti, atque frustra allatum esse textum illum ex Tridentino, cùm optimè salvetur ratio judicii, etiam quando Confessarius non minùs accipit notitiam juris quàm facti à pœnitente. Et sanè haud dubiè ita est, quia sicut pœnitens minister est Confessarii narrando factum, neque comparatur ad Confessarium ut superior, sed solùm ut inferior, licèt Confessarius ab eo totam facti notitiam accipiat; ita pariter comparatur ut minister & inferior, etiam quando suggerit rationes vel auctoritates, quibus Confessarius movetur ad judicium formandum ac terminandum. Summùm enim se haberet pœnitens ad Confessarium, sicut se habet causidicus ad judicem, à quo judex rationes & auctoritates priùs ignotas audit, quibus movetur ad judicandum in favorem illius causidici. At causidicus, in illo etiam casu, comparatur ad

Cõfessarius sæpè tenetur suum judicium deponere & amittere, dico & non dico.

Celladeus vel sibi contradicit, vel propria argumenta solvere tenetur.

ad Judicem tanquam Minister & inferior. Ergò & pœnitens eodem modo, etiam in casu expresso, comparatur Confessario tanquam minister & inferior. Ergò à fortiori eodem modo comparatur in casu nostro, quando Confessarius nullam doctrinam aut opinionem, sed merùm factum accipit à pœnitente, & eo habito, ex propria scientia ac notitia finali discurrit, & juxta eam pœnitentem judicat.

Munerum inversio sequeretur, si Confessario non liceret absolvere pœnitentem contra propriam opinionem.

30. Nulla ergò officiorum ac munerum inversio sequitur ex eo, quòd Confessarius probabili pœnitentis opinioni contra propriam sententiam se accommodare teneatur; sed ex oppositio talis confusio sequeretur, si pœnitens deberet sequi opinionem Confessarii. Tunc enim judicium Confessarii terminaret lites ac prætensiones partium, & consequenter Confessarius judicis civilis munus & obiret & impleret; quo nil absurdius dici potest. Munus enim Confessarii non est lites terminare, atque jus uni parti tribuere, sed solùm inspicere, an pœnitens peccaverit, & peccaturus sit rem retinendo: si invenerit eum nec peccasse, nec peccaturum esse eam retinendo, debet illum in sua possessione relinquere & absolvere, quidquid sentiat de re secundùm se, modò pœnitens sequatur opinionem probabilem, nec teneatur eam deserere, ut opinioni Confessarii se accommodet. Cæterùm in tali casu rem uni parti judicare, aliumque ad eam illi tradendam obligare, non est munus Confessarii, sed solùm judicis civilis. Ecce absurda prætensa non ex nostra, ut contendit Celladeus, sed ex ipsius opinione sequuntur.

Cõfessarius quid agere debeat in favorem partis, quam pœnitens gravat?

31. Ad primam confirmationem, dico illam à Celladeo omitti potuisse, quia per totam quæstionem antea expresse egerat de casu restitutionis, quæ certè ad tertiam personam pertinet. Itaque jam responsum est ad casum tertiæ personæ; nec difficultas ulla supereset, si discrimen inter munus judicii externi & interni, & inter modum procedendi utriusque ante oculos habeatur. Stultum quidem esset, judicem fori externi judicium ferre non auditâ, vel citatâ parte adversâ. At æquè absurdum esset, judicem fori interni non debere judicium suum terminare, parte adversâ nec auditâ nec citatâ. Debet quidem Confessarius nonnunquam pœnitentes, maximè si sint rudes, examinare; tum quia illi sæpè evidenter falluntur in suo computu ac judicio, prout ipse experimento didici, illisque ipsis evidenter monstravi; tum quia ob vim passionis excæcantis vix quisquam est competens judex in propria causa, ideoque Confessarius in tali casu fulcire debet jus partis adversæ, donec pœnitens ostenderit se inculpabiliter processisse &c. Verùm hoc non est ad quæstionem præsentem; quærimus enim, quid sit agendum, quando post omnem industriam ventum est ad opiniones probabiles, & pœnitens inculpabiliter adhæret illi, quam Confessarius falsam reputat. Cùm eò ventum est, Confessarius suadere potest, sed non potest cogere pœnitentem ad restituendum, sed debet illum absolvere, nec tenetur ulteriùs causam partis adversæ fulcire, quia hoc ad munus ipsius non pertinet. Nec ideo ullum Confessario competit jus disponendi de rebus alienis; non enim de illis disponit, nec ullum circa illa jus pœnitenti tribuit; sed solùm relinquit ea in statu, in quo eadem reperit; unde incongruè dictum est à Celladeo, Confessarium non habere plus potestatis circa hæc, quàm judicem fori externi, quia Confessarius nullum planè circa illa jus habet, cùm judex civilis plurimùm habeat; quia ipsius est litem terminate, atque uni parti jus certum ad illam conferre, adeo ut alteri parti resilire non liceat, nec partem adversam amplius turbare &c. At nil simile fit per judicium Confessarii, quia per illud pars adversa non impeditur causam suam agere, sed licitè potest eam coram judice externo promovere, atque etiam victoriam obtinere. Itaque paritas hæc de judice externo, in qua Celladeus potissimùm nititur, est prorsus infirma.

Solvitur 2 cõfirmatio.

32. Ad secundam confirmationem. Judicium Ecclesiæ contra suos filios ad forum externum pertinet, in quo judex sequi debet propriam opinionem, & non accommodare se alienæ. Ideo longè dispar est ratio inter illud & judicium internum, ut ostensum est. Stat ergò sua potestas Ecclesiæ, Censurarumque vigor nullatenus imminuitur ex eo, quòd Confessarius absolvere possit ac debeat pœnitentem contra propriam opinionem. Cæterùm in hac ipsa objectione plura valdè incongrua congeruntur. Inprimis argumentum supponere videtur, opinionem Principum, in Senatorum ac Theologorum auctoritate fundatam, esse probabilem contra sententiam Ecclesiæ. Hoc autem in plerisque falsum est; nam judicium Ecclesiæ in rebus ad fidem & mores spectantibus est infallibile, & consequenter nulla auctoritas aut ratio in contrarium esse potest probabilis. Deinde supponit, talem dissensionem frequenter intervenire inter Ecclesiam & Principes temporales ejus filios, ut quamvis probabile sit, jus penes filios esse, tamen pia mater Ecclesia filios suos excommunicatione & aliis pœnis gravissimis cogat ad sententiam propriam deserendam, & ad subscribendum sententiæ suæ, quamvis illa sit solùm probabilis. Nisi enim hæc duo supponantur, argumentum procedit de subjecto non supponente, ut patet. At utrumque est falsum; primum quidem in ea universalitate, quam objectio exprimit, quia in rebus ad fidem & mores spectantibus universalis Ecclesia est infallibilis. Quod si restringatur sermo ad res facti, aut loquamur de Ecclesia particulari, quæ non est infallibilis, rarò prorsus evenit, ut Ecclesia quidquam à subditis exigat sub pœna anathematis, quando constat probabile esse, quod subditi injuriam passuri sint per talem sententiam. Quod si Episcopus aliquis, aut Judex Ecclesiasticus aliter procedat, id in exemplum trahi non debet, quia talis procedendi modus materna Ecclesiæ viscera non decet. Et sanè, si praxim observemus, videbimus Ecclesiam in probabilibus suam cuique opinionem relinquere, quamvis justis de causis nonnunquam disputationem de aliqua materia, aut thesium & librorum de ea impressionem prohibeat.

Celladeus in objectione supponit falsa.

Ecclesia nõ procedit cũ filiis suis ut Celladeus intimare videtur.

Periculum audiẽdi confessiones Principum, unde dependeat.

33. Ad tertium. Periculum in audiendis Principum confessionibus non dependet ab eo, an liceat vel non liceat Confessario eos absolvere contra propriam sententiam. Peto enim à Celladeo, an existimet, Confessarium Principum non exponi magno periculo, quamvis cum ipso opinetur, licitum sibi non esse quemquam contra propriam opinionem absolvere? si existimet eum carere periculo, manifestè errat; quia innumera sunt pericula, quæ ab illa opinione non dependent. Et præter hæc peculiari subjacet periculo operandi contra conscientiam suam, & alienæ opinioni se accomodandi, ne Principis aversionem incurrat, qui absolutionem in tali casu sibi negari ægerrimè ferret. Quod periculum haud dubiè maximum, & fermè continuum, longè superaret omne

periculum absolvendi Principem contra propriam sententiam, quando ille bonâ fide sequitur opinionem probabilem, quia in hoc secundo casu verè nullum in ipsa re est periculum, cùm Confessarius ita se gerere teneatur, ut ostensum est. Certè si aliud non esset onus Confessarii Principum, quàm periculum absolvendi eos contra propriam sententiam, quando illi bonâ fide post maturam deliberationem sequuti sunt & sequuntur opinionem verè probabilem, cui inculpabiliter fidem præbent, munus illud minùs periculi haberet quàm munus audiendi plebeios (quod certè periculis non caret) cùm absolutio hominis bonâ fide & inculpabiliter sectantis opinionem probabilem, omni prorsus periculo careat. Si dicat munus illud adhuc fore valdè periculosum, argumentum procedit de subjecto non supponente. Quòd si contendat, periculum illius muneris esse minùs in nostra quàm in ipsius sententia, id ego non nego, quia sequens opinionem nostræ contrariam, præter pericula utrique opinanti communia peculiari, gravissimoque ac continuo periculo subjacet, ut ostensum est. Sed ipsemet tale periculum sibi creat eligendo talem opinionem reflexam in regulam, ut patet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES illius Theologi, quem in procœmio hujus quæstionis citavi.

Utrùm Cõfessarius, ut judex, suam opinionem sequi teneatur.

34. OBJICIT primò. Confessarius minùs doctus contra propriam sententiam licitè absolvere potest pœnitentem, se multò doctiorem, qui magnis rationibus ductus contrariam opinionem tenet. Similiter quando opinio pœnitentis est communis, & opinio Confessarii est singularis, Confessarius licitè potest pœnitentem absolvere, quia in istis casibus prudenter deponere potest propriam sententiam, & pœnitentis opinionem ut propriam sectari. Sic enim meritò discurrit. Credibilius est falli me, quàm istum virum me longè doctiorem, & multò magis quàm plurimos Doctores sapientissimos, qui oppositum tenent. Ergò propriæ cognitioni fidere non debeo, talium Doctorum auctoritatem contemnendo. At quando Confessarius non est indoctior pœnitente, & quando opinio Confessarii communiter habetur magis aut certè tam probabilis quàm opinio pœnitentis, Confessarius si suæ opinioni adhæreat, & nulla occurrat ratio prudens ad deponendum illud judicium, non potest absolvere pœnitentem contra propriam opinionem; præsertim quando illa habet pro se plures & graviores Doctores, & communiter censetur probabilior, quàm opinio pœnitentis. Ratio est, quia absolutio, *ex Tridentino sess. 14. cap. 6.* est adinstar judicii actualis, quo à Sacerdote velut à judice sententia pronunciatur. Et quamvis hoc judicium non sit institutum ad condemnandum, sed ad absolvendum reum legitimè se accusantem de suis peccatis, Sacerdos tamen se gerit ut judex, & ut superior. Judex autem non potest proferre sententiam juxta alienam opinionem, quam judicat falsam, sed juxta suam, quam veram reputat, ut constat in foro litigioso. Ergò Sacerdos nequit proferre sententiam juxta opinionem pœnitentis contra propriam. Ratio est, quia quamvis Confessarius credere debeat pœnitenti in iis, quæ ad ipsum, ut pœnitens est, pertinent, nempe in quæstione facti, an commiserit talia crimina in talibus circumstantiis, &c. non tamen debet illi credere in iis, quæ ad ipsum, ut pœnitens est, non pertinent, nempe in quæstione juris, scilicet an detur vel non detur obligatio restituendi? an talis actio sit peccatum mortale? sed pœnitens in iis credere debeat Confessario, ad quem harum rerum cognitio spectat. Alioquin harum rerum cognitio illi necessaria non esset, sed posset munus suũ obire stando judicio pœnitentis. Ita Theologus ille, cujus mentionem fecimus *quæst. 2.* ubi in nos recepimus ea hîc examinare, quæ contra præsentem assertionem ponit.

Objectio inconsequenter discurrens dilucidatur.

Respondeo, Theologum istum in hoc ipso limine hujus quæstionis inconsequenter discurrere. Si enim Confessarius in duobus illis casibus suum judicium prudenter deponat, poterit etiam pari prudentiâ in omni casu suum judicium reflexum deponere, & absolutè credere, licitum sibi esse pœnitentem absolvere, etiam contra propriam opinionem directam; quia ut ipsemet fatetur, communissima opinio affirmat, Confessarium posse ac debere absolvere pœnitentem, qui sequitur opinionem probabilem contra directam opinionem Confessarii. Prudentissimè enim sic discurrere potest. Probabilius est pauculos illos recentiores (quos fatetur se sectari) & me cum illis falli, quàm quòd innumeri Doctores, tam antiqui quàm recentiores, in hac re falsi fuerint. Ergò propriæ opinioni fidere non debeo, contemnendo tot Doctorum auctoritatem. Ergò Confessarius semper potest prudenter absolvere pœnitentem contra propriam opinionem, etiam in illis casibus, contra quos Theologus excipit, quia communissima opinio docet, Confessarium in illis ipsis casibus posse ac debere pœnitentem absolvere.

In quo casu judex sententiam sequi non tenetur.

35. Quod autem ad rationes attinet, tam istæ quàm sequentes, non solùm quoad sensum, sed etiam quoad verba, ex Celladeo sumptæ videntur, quia & sensum & phrasim illius non tam sapiunt, quàm verbatim continent, nec quidquam novæ difficultatis afferunt. Itaque jam illis responsum est. Nihilominus in gratiam illius Theologi aliquid ad singulas illius objectiones reponam, ut plenius illi satisfiat.

Inprimis judex nunquam licitè judicat contra propriam sententiam, quam format ut judex, quamque ut judex sequi tenetur. At sæpè judicare debet contra propriam sententiam, quam elicit ut peritus. Aliquando enim judices fori externi jubentur judicium ferre juxta sententiam Bartoli v. g. & hoc sæpè expedit. In hoc casu, judex non debet sequi propriam opinionem de jure partium, quia illam non format ut judex, sed ut peritus; neque tenetur juxta illam judicare, ut judex est, sed solùm juxta sententiam Bartoli. Itaque opinio, quam judex in hoc casu format ut judex, est opinio, non quam format de jure partium, sed quam habet de sententia Bartoli. Similis prorsus est casus noster. Confessarius habet unam opinionem ut est Theologus peritus, eamque veram reputat. Sed illa non est opinio, quam formare, quamque sequi debet ut est judex, sed hæc opinio est judicium de dispositione pœnitentis, cujus qualitatem debet considerare, & de illa sententiam ferre, ac juxta hanc suam sententiam judicium terminare. Itaque videre debet, an pœnitens peccaverit sequendo aliquam opinionem, & an peccaturus sit eam sequendo in posterum. Si non peccaverit nec peccaturus sit eam sequendo, neque convinci possit erroris, ita ut

ut teneatur eam deponere, Confessarius debet eum absolvere, quia ut judex hujus fori ad alia respicere non debet. Porrò quia ex principiis hujus Theologi certum est, pœnitentem non peccare sequendo opinionem certò probabilem, quam probabiliorem reputat, ex illis sequitur, Confessarium debere judicare illum esse ritè dispositum, ac proinde debere eum absolvere; quia nemini nisi indisposito absolutio deneganda est. Itaque præsens hujus Theologi sententia inconsequens est ad priorem illam & primariam ejus opinionem de licito partis probabilioris usu.

His positis, omnia, quæ dicit, sponte corruunt. Inprimis Confessarius non juxta alienam opinionem, quam falsam reputat, sed juxta propriam, quam verissimam habet, quamque format ut judex, & quam ut judex sequi debet, judicium terminat, quamvis non procedat juxta suam opinionem, quam ut peritus elicit de re secundùm se considerata; quia juxta hanc non debet causam examinare, & judicium instituere. Jam quia hæc opinio Confessarii, ut est judex, dependet à judicio pœnitentis, de cujus qualitate enunciat, ideo dicitur sequi judicium pœnitentis, non quasi teneatur idem judicare cum pœnitente de rebus ipsis (hoc enim necessarium non est) sed quia reflexè scit, judicium illud pœnitentis esse ipsi sufficientem regulam ad licitè operandum in posterum, ideoque non debet illum obligare ad desistendum à tali operatione.

In quo Confessarius credere debet pœnitenti?

36. Rursus, quamvis Confessarius in rebus juris non teneatur stare judicio pœnitentis, si loquamur de directa opinione juris secundùm se, quam homines tamquam periti formare solent, tenetur tamen stare illius judicio tamquam unico objecto, ex quo ipse suam de jure sententiam formet. Sic si noverit, judicium pœnitentis non excusare illum à peccato, non debet stare judicio pœnitenris erroneè opinantis contrarium. Verùm si sciat judicium pœnitentis pœnitentem excusare, sequi debet hanc suam scientiam, per quam videt pœnitentem non obligari ad illud suum judicium relinquendum. Hoc modo per accidens Confessarius tenetur se accommodare judicio pœnitentis, quia contingit, judicium pœnitentis de sua dispositione conformari cum judicio Confessarii de eadem. Itaque quamvis non teneatur credere pœnitenti, quod hoc vel illud sit peccatum mortale secundùm se, aut materialiter sumptum, debet tamen illi credere, quòd bonâ fide sequutus sit opinionem certò probabilem, & consequenter debet judicare, quòd non peccaverit, quódque peccaturus non sit eam sequendo in posterum. Neque verum est, quòd pœnitens in rebus hinc inde probabilibus teneatur accommodare se judicio Confessarii, ut vir peritus est, cùm id sine fundamento, & contra veritatem efficaciter probatam dicatur; liberum enim illi est sequi illam opinionem, quam absolutè veram reputat, quamvis Confessarius, ut vir peritus, sectetur oppositam. Neque hinc sequitur, harum rerum notitiam non esse Confessario necessariam; sed oppositum planè infertur, quia nisi hæc sciat, ignorat, utrùm pœnitens in electione ac praxi opinionis peccaverit, necne. Neque debet universaliter fidere pœnitentibus, qui sæpè ob ignorantiam, sæpè ob passionem in causa propria non sunt apti judices. Hoc tamen non obstat, quo minùs Confessarius in multis occasionibus sequi possit ac debeat opinionem pœnitentis, quando pœnitens longè magis versatus est in illis rebus quàm Confessarius, & meritò præsumitur sibi ultra justum non favere. Quod cùm iste Theologus in multis casibus verum esse asserat, mirum est, eum hæc objecisse, quorum pleraque aut omnia ab ipsomet in talibus casibus solvenda sunt.

Objectio 2.

37. Ob. 2. Supponamus pœnitentem judicare illud esse solùm veniale, quod Confessarius arbitratur esse mortale; ac propterea pœnitentem nolle fugere occasionem proximam committendi talem actionem. Non poterit Confessarius illum absolvere, nisi eam occasionem dimittat. Quamvis enim pœnitens arbitretur se esse ritè dispositum, non tamen est ritè dispositus in opinione Confessarii, qui proinde non potest eum absolvere; non enim debet absolvere eum, quem judicat non esse ritè dispositum. De dispositione autem pœnitentis, solius est Confessarii judicium ferre.

Objicienssibi contradicit.

Respondeo, Theologum istum hac in objectione & sibi, & apertæ veritati contradicere. Supponimus enim pœnitentem sequi opinionem certò probabilem practicè, quam & veram reputat, & oppositâ probabiliorem. Jam constat hominem sequentem talem opinionem non peccare, quod Theologus iste ut indubitatum tradit, ut vidimus *quæst. 2.* Ergò scit pœnitentem esse dispositum; quia scit illum non peccaturum mortaliter, quamvis talem actionem posuerit. Ergò in doctrina hujus objectionis & sibi contradicit, & apertæ veritati repugnat.

Objectio 3.

38. Ob. 3. Quamvis opinio pœnitentis sit probabilis, potest tamen esse falsa. Ponamus autem Confessarium certò scire pœnitentem errare. In hoc casu pœnitens absolvi non potest, quamvis non peccet sequendo suam opinionem; quia Confessarius debet illum obligare ad obediendum legi divinæ certò sibi cognitæ. Ergò non potest illum absolvere, quando absolutè judicat dari legem tale quid præcipientem; quia licèt motivum judicii sit fallibile, absolutè scit pœnitentem, sequendo suam opinionem, agere contra legem Dei.

Quid agendum Confessario sciënti pœnitentem errare?

Respondeo inprimis, Confessarium in casu antecedentis per se loquendo obligari ad instruendum pœnitentem de veritate certò scita; & pœnitentem obligari ad credendum & obediendum Confessario certa docenti & exigenti. Quòd si nolit credere, sibi tribuat, si absolutio denegetur. Præterea Confessarius maximè seriò & asseveranter intimare illi debet, rem esse certam, & ultra omnem opinionem; ideoque se ab eo assensum exigere, ut ita pœnitens subterfugium non habeat. Verùm in rebus utrimque opinabilibus casus iste rarò contingit. Cæterùm quando casus evenit, si Confessarius non interrogatur, & aliunde non obligetur veritatem aperire (quod aliquando contingit, ut Auctores observant) tunc sæpè expedit ut pœnitens, si invincibiliter erret, relinquatur in sua ignorantia, & absolvatur. Ratio est, quia est sufficienter dispositus ad absolutionem, cùm doleat de commissis, & propositum habeat non peccandi de cætero; nec peccet retinendo ac sequendo opinionem suam erroneam. Ergò absolvi potest, nisi, ut dixi, Confessarius teneatur illi veritatem aperire. Tunc enim, veritate propositâ, non est ritè dispositus nisi eam amplectatur. Cæterùm ad majora mala vitanda sæpè expedit veritatem reticeri, ne, illâ detectâ, multa peccata formalia committantur, quæ certò non committentur, si veritas taceatur. Sed de his in particulari videndi sunt Theologi.

Cõsequentia objicientis est illegitima.

39. Resp. 2. Consequentiam ex antecedente non inferri; quia cùm Confessarius nesciat, an ipse vel pœnitens veram opinionem sequatur, non tenetur pœnitentem docere id, quod ipse non novit. Præterea etsi diceret pœnitenti sibi probabilius videri, opinionem ipsius esse falsam, non ideo pœnitens tenetur suam opinionem mutare, ut patet. Ergò cùm pœnitens sit dispositus, omnino absolvendus est. Nec obstat, Confessarium putare illum transgredi præceptum Dei, quia solùm putat eum materialiter transgressurum illud; scit autem illum formaliter non peccaturum. De violatione autem illa materiali, utpote incerta, non debet esse sollicitus, cùm sciat pœnitentem oppositum existimare, & non obligari ad conformandum suum judicium opinioni Confessarii, sed sine peccato propriæ opinioni inhærere.

Objectio 4.

40. Ob. 4. Quando Confessarius & pœnitens dissident in suis opinionibus, vel pœnitens Confessario, vel Confessarius pœnitenti debet se accommodare. At ubi agitur de restitutione, aut occasione vitanda, &c. potiùs dicendum est, reum judici, subditum superiori, & peccatorem Ministro Christi debere se conformare, quàm è contra.

An, & quando Confessarius sequi debeat opinionem pœnitentis?

Respondeo, neutrum in casu objectionis debere se alteri accommodare, sed unumquemque posse & servare & sequi suam opinionem directam. Verùm sicut opinio pœnitentis non dirigit Confessarium, ita opinio Confessarii non dirigit pœnitentem in ordine ad praxim objecti, quod proponit. Jam quia Confessarius debet judicare pœnitentem juxta opinionem, quâ pœnitens licitè dirigitur, non juxta opinionem quâ ipsemet dirigitur, ideo Confessarius dicitur se accommodare opinioni pœnitentis, non quòd illam veram reputet, sed quòd ex illa, & per illam actu informantem judicare debeat, an peccaverit pœnitens, an sit benè dispositus, &c. in quo judicio procedit ut superior & judex; sed & pœnitens, per se loquendo, stare debet hujusmodi judicio Confessarii; quod si nolit, Confessarius non debet eum absolvere, quia nunquam licet Confessario agere contra propriam conscientiam, uti ageret, si in eo casu pœnitentem absolveret. Nihilominùs talis esse potest peritia & probitas pœnitentis, ut Confessarius prudenter deponat suum judicium, & assensum præbeat opinioni pœnitentis; in quo etiam casu pœnitens finaliter stat opinioni Confessarii, quamvis Confessarius opinionem illam à pœnitente didicerit. Ecce in sententia nostra peccator, subditus, & reus in eo submittit se opinioni Ministri Christi, Superioris, & Judicis, in quo Minister Christi, Superior, & Judex suum officium exequitur; quamvis non submittat se illi in eo, quod hîc & nunc non dirigit eum ad suum officium implendum.

Objectio 5.

41. Ob. 5. Si Confessarius, qui personam Christi repræsentat, deberet se conformare opinioni pœnitentis, nec posset illum obligare ad id, quod ipse judicat esse à Deo præceptum, sequeretur, quòd Ecclesia non posset per Censuras obligare suos filios ad abstinendum ab actionibus, quas ipsa judicat esse injustas, si subditi haberent opinionem probabilem, quòd actiones illæ non essent injustæ. Hinc autem enervaretur potestas Ecclesiæ; quia in rebus incertis nunquam desunt opiniones pro utraque parte.

Ex superioribus soli Confessarii

Respondeo, mirari me, talia objici, quæ nullam prorsus habent connexionem cum quæstione præsenti: hoc tamen ut motivum præcipuum proponitur, propter quod tam Celladeus, quàm Theologus iste à communi sententia recedit. Dico ergò iterum Ecclesiam non solere per Censuras cogere subditos ad abstinendum ab actionibus, quas illa novit esse certò probabiliter licitas, subditosque suos illas sequendo non peccare; non, inquam, solet hoc modo eos cogere, si solùm respiciamus ad obligationem, quam habent Deum non offendendi. Cæterùm ob justas causas Ecclesia potest nova præcepta, aut leges novas statuere, quibus subditi obligentur ad abstinendum ab iis actionibus, quas antea licitè ponebant. Posito autem hoc præcepto, quod in similibus casibus semper involvitur, quando aliquid per Censuras exigitur, non ampliùs probabile est illud licere, quod antea probabiliter aut etiam certò erat licitum. Præterea in rebus ad fidem & mores spectantibus judicium decisivum supremi Pastoris & Ecclesiæ Universalis est infallibile. Ergò si tale judicium interponatur, nulla dari potest opinio probabilis de contrario, & sic semper sumus extra casum. Cæterùm, est & alia disparitas evidentissima, quia Ecclesia non debet formare suum judicium juxta judicium subditorum, nisi quando examinat an peccaverint, an peccaturi sint ita vel ita operando &c. Sed potest sequi proprium judicium, & omnes obligare ad secum sentiendum, & ad statutis suis obediendum. At munus Confessarii ad aliud non extenditur, quàm ad judicandum, an pœnitens ita operando peccaverit & peccaturus sit, & ad illum docendum, ubi constat eum errare. At ut hoc perficiat, attendere debet ad judicium pœnitentis, quando in rebus utrimque probabilibus & incertis ille sequitur opinionem, quam veram reputat.

Hæc & non alia argumenta affert iste Theologus pro sua sententia, contra communem omnium tum Antiquorum tum Recentiorum opinionem. Verùm quàm debilia sint hæc argumenta, quámque insufficientia ad hominem prudenter movendum, nemo non videt. Itaque ad illa aliud respondere non est opus. Addo tamen mirabilem prorsus, & nullatenus ferendam responsionem ipsius ad absurdum, quod meritò objicit contra se, quodque nostræ sententiæ Auctores objicere solent. Sic ergò discurrit.

Sententia nobis data est fidelibus nota.

42. Dices, nostra sententia est nimis dura, quia si pœnitens in extremo mortis articulo constitutus (qui sciret se sequi opinionem certò probabilem, quam veram reputat, ideoque conscius esset, se eam sequendo non peccare) confiteretur apud Confessarium tenentem opinionem contrariam, & Confessarius non posset se accommodare opinioni pœnitentis, per hoc salus æterna pœnitentis periculo exponeretur; quia Confessarius deberet eum obligare v. g. ad restitutionem, ad quam tamen faciendam ille induci non potest, ne filios in egestate relinquat &c. Itaque sententia illa noxia est animarum saluti, ac proinde non tenenda.

Respondet primò per instantiam, & petit, quid facere deberet Confessarius, si certò sciret, opinionem pœnitentis esse falsam? si non posset eum in illo casu absolvere, nec potest in isto. Si autem posset, non benè arguitur ab hoc casu extraordinario & particulari ad alios frequentes extra tales circumstantias.

In casu pœnitens absolvi potest cum

43. Verùm jam dictum est, ad quid in illo casu teneatur Confessarius; cùm enim agatur de damno tertii, per se loquendo tenebitur veritatem aperire. Quâ manifestatâ pœnitens non erit benè

certâ Confessarii.

benè dispositus, si restituere nolit. *Per se*, inquam, quia tales esse possunt circumstantiæ, ut Confessarius præsumere possit, creditorem in eo casu velle potiùs remittere debitum, quàm salutem debitoris in evidens discrimen conjicere. In quo casu Confessarius non videtur obligatus ad veritatem aperiendam, sed potest eum absolvere. Unde quamvis in tali casu rarò hoc licitè fiat, non inde sequitur, quòd in aliis casibus dissimilibus idipsum frequenter fieri possit, aut debeat. Cæterùm argumentum ab hoc casu ad casum utrimque probabilem nullius prorsus roboris est, ut vidimus.

44. Respondet secundò. Si Confessarius prudenter judicaret, pœnitentem illum ita filiorum commodis affixum ut admonitus de obligatione restituendi mallet damnari, quàm bona temporalia dimittere, hoc ipso judicaret, illum non bonâ fide amplexum esse opinionem deobligantem à restitutione, ac proinde absolutionis incapacem esse; quia qui sequitur opinionem favorabiliorem, debet ita paratus esse, ut oppositam amplectereretur, si illa proponeretur probabilior; qui enim adeò tenaciter adhæret opinioni sibi faventi, ut eodem modo eam sequutus esset, quamvis opposita ei proponeretur ut verisimilior, hoc ipso graviter delinquit, quia pluris facit suum commodum quàm Dei amicitiam. Itaque si timet, eum bonâ fide non adhæsisse illi sententiæ, debet eum admonere de obligatione restituendi, afferendo ei argumenta, quæ ipsi persuadeant falsitatem opinionis, cui adhæret; quia ut rectè ait Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 38. Concluſ. 1. Quoties ignorantia est vincibilis & culpabilis lethaliter, cujuscumque juris & facti sit, non potest Confessarius dissimulare, quamvis admonitio non sit profutura, & & quodcumque scandalum pœnitentis sequatur.* Hoc omnes fatentur, quia cùm talis ignorantia non excuset, pœnitens est in culpa lethali; ideoque si Confessarius dissimularet, absolutio daretur indigno. Hæc ille.

Pœnitens admonêdus est erroris, si vincibiliter erret.

Verùm, quorsum hæc dicta sint, non apparet. Nam inprimis quæstio procedit de eo, qui bonâ fide sequitur opinionem, quam absque temeritate veram reputat. Stultum autem esset Confessarium de hac re dubitare, eò quòd ipse contrariam opinionem sectetur. Sed si de eo prudenter dubitet, interroget pœnitentem; nam quoad hoc ejus testimonio stare debet, cùm ipse solus sit testis tam pro se, quàm contra se in hoc Sacramento. Si advertat illum esse malè dispositum, inducat eum ad affectum illum indebitum deponendum, quo deposito, si adhuc maneat in sua opinione, nil habet Confessarius quod culpet in eo. Idque vel maximè verum est, si ille argumenta Confessarii solveret. Quod affertur ex Sanchez non est ad rem, quia loquitur de eo, qui culpabiliter & vincibiliter errat. At nil simile est in casu nostro, quia fortassis Confessarius errat, non pœnitens qui sequitur opinionem certò probabilem; quòd si erret, non est cur ille potiùs censeatur vincibiliter errare, quàm Confessarius. Unde ergò potest Confessarius credere, quòd vincibiliter erret, ut doctrina Sanchez locum habeat? Demùm cùm utraque opinio sit certò probabilis, non est cur Confessarius sollicitus sit, quòd pœnitens sequatur potiùs suam, quàm oppositam opinionem, cùm in hoc pœnitens non teneatur opinionem suam deponere, ut Confessarii opinionem veram reputet. Dimittat ergò illum agere secundùm opinionem, quam sequitur, bonamque ejus fidem non turbet, ne frustra & sine necessitate,

Pœnitens non est turbandus quâdo sequitur opinionem probabilem.

immò contra charitatem & proprium officium operando, pœnitentis salutem in discrimen adducat.

45. Respondet tertiò. Ponamus Confessarium sibi persuadere, pœnitentem bona fide, & ordinato affectu eòusque tenuisse sententiam sibi favorabilem. In hoc casu, si Confessarius certus sit, se non ex passione, non ex perturbatione scrupulosa amplecti sententiam obligantem ad restitutionem, sed quia est manifestè probabilior, paternè admoneat moribundum, ut restituat, salutemque animæ suæ aliorum commodis anteponat. Tunc homo ille deserere debet priorem sententiam, cui adhærebat, ut probabiliorem Confessarii sequatur. Si autem pertinaciter renuat sequi admonitionem Confessarii, peribit quidem, sed eodem modo periturus, quamvis absolveretur, quia absolutionem indignè recipere; ignorantia enim illius non esset amplius invincibilis. Nam ut docet Adrianus *in 4. quæst. 5. de Confessione, dub. 7. Ignorantia solùm est homini invincibilis, quando facit, quod in se est apud Deum & homines, ut mereatur veritatem edoceri; volens efficaciter amplecti in quamcumque partem Dei præceptum declinaverit.* At in casu nostro moribundus non haberet hanc dispositionem. Ergò ejus ignorantia non esset invincibilis. Ergò interitus illius rigori Confessarii tribui non posset. Ut enim Toletus optimè observat ad illa verba Christi, *Joan. 6. Numquid & vos vultu abire? Veritas ad salutem necessaria non est dissimulanda propter incredulorum scandalum, exemplo Domini, qui scilicet non temperavit aliquid de rigore doctrinæ, ut occurreret scandalo discipulorum, qui dixerunt: Durus est hic sermo: Namque ut habetur in regulis juris, utiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas victa relinquatur.* Et sanè, ut habet Adrianus loco citato, ignorantia juris divini non manet invincibilis, quando adest à quo homo scire potest veritatem, si informationem peteret; immò tenetur eam exposcere, ne ignorans à Deo etiam ignoretur, *1. ad Corinth. 14.* Quamquam ergo Confessarius pœnitentem suis monitis minimè parituram intelligat, tenetur illum de veritate instruere, quomodo Ambrosius *serm. 84. Ego*, inquit, *interdum parcens vobis tacere vellem, sed malo vos contumaciæ causas reddere, quàm me negligentiæ sustinere judicium.* Itaque juxta Adrianum ignorantia pœnitentis non est invincibilis, quoties Confessarius doctus & prudens potest eum docere veritatem. Ergò qui ita adhæret opinioni sibi favorabili, ut quamvis Confessarius doctus rationibus urgentibus illi suadeat eum decipi, non tamen velit ejus ductum sequi, non habet ignorantiam invincibilem, sed affectatam, cui proinde tamquam indigno absolutio deneganda est.

Veritas aliquando non est dissimulanda ob aliorum scandalum.

Sed contra est, quia nil eorum, quæ hîc tam resolutoriè & dogmaticè asseruntur, vel apparenter probatur. Unde satis mirari nequeo, tam magna, tam periculosa, tam pœnitentibus pernicioſa, tam exiguis fundamentis nixa, à Theologo isto tam audacter proponi potuisse ut absolutè necessaria. Sed singula diligenter inspiciamus.

46. Inprimis destruit quæstionem, quia supponit excessum probabilitatis esse manifestum & certum Confessario; qui etiam supponitur certus, quod non ex ulla passione, sed præcisè ex merito causæ suam sententiam teneat. Peto ergò, utrùm sententia opposita, non obstantibus hisce rationibus, maneat certò probabilis, nec ne? si non maneat (ut verè non manet, si omnia illa admittantur, quæ in Confessario adesse supponuntur)

Objicienti destruit quæstionẽ.

sumus extra casum præsentis quæstionis. Si maneat certò probabilis, & à pœnitente bonâ fide credatur vera, ille molestandus non est, ut supra efficaciter probatum est; contra quod hîc allata nullam vim habent, ut mox apparebit. Interim, moraliter loquendo, numquam aut vix umquam contingere potest, ut Confessarius sit certus, se nulla æquivocatione decipi, nullaque ignorantiâ laborare, cùm videat oppositum à viris gravibus sibi non inferioribus doceri, ac non obstantibus rationibus, quibus ille movetur, verum reputari. Præterea, si Confessarius quando hanc de se certitudinem non habet, possit & debeat pœnitentem absolvere, Theologus iste frustra hanc quæstionem instituit, utpote quæ pro praxi nulli usui esse potest, cùm numquam eveniat in rebus incertis, ut Confessarius talem dispositionem habeat. Et quidem si de communi & non supremo Confessariorum ordine sit sermo, perspicuum est, eos tantum doctrinæ non habere, ut meritò possint hæc de se præsumere; si verò de peritissimo aliquo loquamur, ille etiam, nisi sciat oppositum non esse probabile, prudenter formidare potest ne decipiatur; ideoque non potest habere certitudinem quam Theologus iste requirit, nisi clarè videat oppositam sententiam esse improbabilem; in quo casu Confessarius & pœnitens ita se gerere debent, sicut communiter docetur eos in tali casu se gerere debere. Hoc autem non est meum nunc examinare, quia id ad præsentem quæstionem non pertinet. Itaque vel ex hac sola ponderatione constat, totum hujus Theologi laborem frustra impensum fuisse in ordine ad finem ab ipso intentum, scilicet ut doceret, quomodo in praxi Confessarii se gerere debeant.

Obiiciens frustra laboravit in hac quæstione.

47. Quòd si opinio pœnitentis sit certò probabilis, in quo solùm casu præsens controversia vertitur, Confessarius nullam habet obligationem admonendi pœnitentem, quòd ad restitutionem teneatur, sed potiùs tenetur docere veritatem oppositam; scilicet quòd cùm bona fide sequatur opinionem certò probabilem directè, & sibi quidem verisimiliorem, revera non sit peccaturus, si rem illam non restituat. Hoc dicere debet Confessarius, si de hoc interrogetur; quia scit hoc verum esse, quamvis fortassis in aliquo casu prudenter dicere possit se esse in opinione contraria, quæ tamen non obstat, modò pœnitens bonâ fide oppositam opinionem veram esse existimet. Jam verò si hoc sit verum ex mera directa rerum consideratione, multò magis id verum erit, si doctrina reflexa de licito probabilium usu adhibeatur.

Cõfessarius debet docere, quæ scit esse vera, si pœnitenti faveant.

48 Præterea pœnitens in tali casu, etiam à Confessario admonitus, non teneretur illi credere, sed dicere posset, se ab æquè doctis oppositam doctrinam accepisse, illisque fidem habuisse, ac habere. Quòd si sermo sit de absoluta obligatione, se omnino existimare, nulla se obligatione urgeri, cùm unanimis ferè omnium Theologorum consensus sit, quod cuique liceat sequi quamvis opinionem certò probabilem, etiam quam putat esse minùs probabilem; & nemo omnium neget, quin sequi possit eam, quam directè probabiliorem ac veram reputat, se proinde omnibus his potiùs quàm Confessario, qui illis æquiparari non potest, credere. Præterea scire se, quòd omnes fermè tam antiqui quàm recentiores dicant, Confessarium obligari ad se opinioni pœnitentis conformandum; pœnitentem verò non obligari ad incertam Confessarii opinionem sequendam. Se in illorum authoritate bona fide fundari, & exigere, ut Confessarius hanc suam obligationem impleat. Justius esse, ut in hac re ipse sibi diffidat, & tot sapientissimorum opinionem sequatur, quàm ut exigat pœnitentem, hisce relictis, viro minoris sapientiæ fidem dare.

Pœnitens non tenetur sequi opinionẽ Confessarii; sed Cõfessarius pœnitentis.

Neque Confessarius quidquam habere potest tanti ponderis ad urgendum pœnitentem, quantum habet pœnitens ad ipsum sui officii ac obligationis commonefaciendum. Rursus justè dicere potest, Tu ipse scis me, tantam auctoritatem contra tuam incomparabiliter minorem sequẽdo, non temerè sed prudenter judicare. Quâ ergò conscientiâ cogis me ad deserendam eam, ut tibi longè magis fallibili morem geram? Tu dicis me, non tibi credendo, sed majorem auctoritatem sequendo, esse pertinacem, ac debere meam opinionem deponere, ut tuam amplecter; sed vide, quæso, ne tu te pertinacem ostendas, qui minorem tuam auctoritatem manifestè majori nimis pertinaciter præponis, idque tribulando moribundum, quem solari debes, non vexare. Peto ego à te peccatorum absolutionem, hujus meæ dispositionis absolutionem non peto, quia de illâ mea me conscientia non remordet, cùm tantæ auctoritati prudens fidem præbeam. Si nolis absolutionem impertiri, time, ne Deus animam meam à te requirat. Ego illam in ejus manus commendo, & donec halitus supererit veniam deprecabor; teque etiam rogatum volo, ut impotenti etiam loqui absolutionem impertias. Alius Confessarius deest; me ergò ad Deum contrito corde convertere conabor, & sic tandem, tuâ pertinaciâ non obstante, me misericorditer salvandum spero. Hisce quid meritò reponat, nullus Confessarius habet. Quòd si pœnitens idiota hæc explicitè dicere non possit, à Confessario adjuvandus est, ut juxta sensus tam rationabiles conscientiam formet, & absolutionem recipiat.

Pœnitens aliquando obligatur non iuxta opinionem Confessarii.

49. Hæc convincunt, pœnitentem non obligari ad conformandum se opinioni Confessarii, ac proinde ostendunt, eum citra notam pertinaciæ opinioni suæ adhærere. Imò verò fieri potest, ut teneatur Confessoris opinionem respuere; tenetur enim jure naturæ filius suis, quantum licitè potest, sufficienter prospicere. Ponamus ergò, quòd si restitueret juxta opinionem Confessarii, suos filios rebus omnibus spoliatos relinqueret. Tenetúrne ille, in hoc casu, peculiari Confessarii opinioni acquiescere? nullo modo; imò tenetur illi resistere. Cùm enim evidenter habeat pro se majorem auctoritatem, quàm Confessarius, licitè ac prudenter potest illam sequi, & huic discredere; & consequenter tenetur hoc facere, ut sic jura sua quantum potest defendat, ne suâ incuriâ ac negligentiâ filios inevitabiliter in summam miseriam conjiciat. Absurdissimum autem ast dicere, talem hominem in isto casu pluris facere temporale bonum aliorum, quàm æternam salutem propriam; quia falsissimè supponitur, procurationem unius cum alterius cura conjungi non posse. Sed ex quo potest hoc colligi? an quia facit quod tenetur facere, procurando sufficientia media pro filiis? an ex eo, quòd ratione & auctoritate evidenter prævalente jus proprium tueatur? an quod potiùs mori velit absque absolutione quàm Confessario acquiescere? prioria ipsi favent; sed & ultimum duabus de causis non est unicum salutis remedium, cùm Sacerdote indebitè negante absolutionem, per contritionem & Sacramenti votum salvari possit. Secundò, obligatio ejus tanta esse potest ad providendum filiis, ut si Confessario acquiesceret, eo ipso pecca-

peccaret, & beneficium absolutionis recipere non posset. Itaque absque omni probabilitate mihi dici videtur, quod homo, sic dispositus, periturus sit, sive absolvatur, sive non absolvatur; cùm è contrario salvari possit, ac salvandum se sperare debeat, etsi Confessarius eum absolvere nolit. Quòd si pereat, anima ejus à Confessario requiretur, qui debebat eum absolvere, cùm ad absolutionem benè dispositus esset.

Adrianus nobis favet.

50. Quod affertur ex Adriano facit pro nostra sententia, quia supponimus pœnitentem implesse omnem suam obligationem circa veritatis indagationem, quódque efficaciter voluerit amplecti, & amplexus sit eam partem, ad quam Dei voluntatem declinare reperit. Ergò juxta Adrianum illius ignorantia est invincibilis. Ergò si pereat, Confessario id tribuendum erit: sed absit, quòd homo taliter dispositus necessariò pereat; omninò enim credendum est, Deum tali peccatori ita provisurum, ut non pereat; ad quod facit *caput, qui vult, distinc. 6. de Pœnitentia*, ubi dicitur, quòd per misericordiam Dei speranda sit salus ejus qui facit quod potest, ut peccata confiteatur & absolutionem obtineat, quando per ipsum non stat, quò minùs absolutionem recipiat: cæterùm quamvis contingat talem hominem salvari, Confessarius peccatum non vitat, quia absque necessitate & contra suum officium periculo damnationis illum exponit.

Objectiones istæ, ex auctoritate, nihil probant.

51. Illud ex Toleto nil facit ad rem, quia sermo est de veritate comperta & ad salutem necessaria. At in casu nostro veritas comperta non est; probabile est enim, Confessarium errare, & pœnitentem sequi opinionem veram, etiam directè sumptam. Quòd si loquamur de opinione reflexa, quam pœnitens sequitur, longè probabilissimum, & quodammodo moraliter certum est, quòd in illa non erret, & consequenter quòd in hisce circumstantiis nullo modo peccet. Præterea si contingat, Confessarium sequi veram opinionem directam, illa veritas, cùm non sit sufficienter cognoscibilis, non est necessaria ad salutem. Ergò doctrina illa Toleti ex nullo capite præsenti casui applicari potest.

52. Idem valet de eo, quòd ex Ambrosio & Adriano profertur. Ambrosius loquitur de veritate certa, cui auditores non acquiescentes verè sunt contumaces; quod certè de rebus utrimque probabilibus, & maximè de iis, quæ homini probabiliora videntur, dici non potest. Similiter Adrianus intelligendus est de jure certo, quia quod incertum est ex utraque parte, à neutra scitur, ideoque non est cur potiùs ille huic, quàm hic illi assensum præbeat, quando uterque sequitur opinionem certò probabilem, quam absolutè veram reputat. Jam in isto casu nemo adest, qui legem Dei declarare possit; nam fortasse Confessarius errat, & docet contra legem Dei. Incertis autem opinionibus nemo stare tenetur, quando oppositæ sunt certò probabiles, & ipsi videntur probabiliores. Ergò cùm nemo sit, qui pœnitentem de lege certò docere possit, non tenetur novam informationem petere; quod si illam à Confessario peteret, non teneretur illius resolutioni stare, nisi illa sufficienter probaretur, & ita ad minimum convinceretur, ut oppositum non maneret probabile, nec pœnitenti ut probabilius appareret. Itaque falsissimum est, quòd pœnitens in tali casu vincibiliter erret, quia fortasse non ille sed Confessarius errat; nec ullum argumentum ipsi proponitur, quo sufficienter moveri possit ad credendum, se potiùs falli, quàm Confessarium. Sed stupendum prorsus est dictum illud Theologi, quòd Confessarius in tali casu reputare debeat pœnitentem vincibiliter errare, cùm nesciat an erret, vel verum dicat; nec aliud motivum ad hoc affirmandum habeat, quàm fallibilem opinionem, contra quam datur opinio etiam certò probabilis, quâ pœnitens rationabiliter existimat non se, sed Confessarium errare. Qua ergo fronte, aut qua veritatis specie dicere potest Confessarius, quòd pœnitens vincibiliter erret? Quod si ad motiva reflexa respiciamus, certissimum videtur, pœnitentem aut non errare, aut invincibiliter errare.

Pœnitens sequens opinionem Confessarii non est in errore vincibili.

53. Sed idipsum adhuc magis stupendum videbitur, si rem ipsam paulò diligentiùs inspiciamus. Si Confessarius, ejusdem cum pœnitente opinionis, ejus Confessionem excepisset, tunc pœnitens juxta istum Theologum rectè dispositus fuisset, & vel non errasset, vel certè invincibiliter errasset. Jam nónne stupendum prorsus est dicere, quòd si accedat Confessarius alterius opinionis, qui nil certi hac in re novit, ex hoc præcisè judicandum sit, pœnitentem non esse ritè dispositum, sed decipi & vincibiliter errare? quid, quæso, hanc rerum & dispositionum auctoritatem in pœnitentem induxit? an fallibilis & probabiliter falsa opinio Confessarii? nil minus; illa enim nullam prorsus mutationem in pœnitentem induxit: an rationes, quas Confessarius pœnitenti proponit? non certè, quia illæ invalidæ sunt, & fortasse antea à pœnitente examinatæ & rejectæ fuerunt, nec illis tenetur stare, cùm oppositas absolutè veras existimet; omnesque prorsus Auctores dicant, eum sequendo opinionem suam sic constitutam non peccare. Quæ ergo species erroris vincibilis hîc elucet? At Confessarius rem benè examinavit. Quid inde? eandem & alii non minùs docti, & fortè ipse pœnitens eandem seriò examinavit, &, post diligentiam omnem, opinionem Confessarii falsam reperit. Ecce nil est, unde pœnitens rationabiliter præsumi possit vincibiliter errare. Absit ergò à nobis cum hoc Theologo, aut cum pauculis recentioribus benignam sententiam aversantibus sentire; qui enim illorum opinioni acquiescunt inidonei prorsus mihi videntur ad Sacramentum Pœnitentiæ debitè administrandum. In casibus innumeris tortores & Conscientiarum carnifices potiùs agerent, quàm medicos & misericordes judices; vexarent enim homines, atque in graviissimos scrupulos absque ulla necessitate conjicerent; &, quod plus est, animas periculo damnationis exponerent. Quæ omnia adeo in se mala sunt, ut Confessarii ab illis abstinere teneantur. Sententia enim dicens, eos debere se accommodare probabili pœnitentis opinioni, non est consiliativa, sed præceptiva; saltem respectu eorum, qui ex officio subditorum confessiones audire tenentur. Præterea arrogant sibi officium judicis externi, litesque de incerto & utrimque probabili partium jure privatâ suâ auctoritate & sententiâ terminant, ad quod illorum munus non extenditur. Prætererea Confessarii notitiâ legum ad tale judicium formandum prorsus necessariâ rarò sufficienter instructi sunt. Ergò absurdissimum est existimare, quòd Confessarius in casu præsenti obligare possit pœnitentem ad restitutionem; immò non apparet, quomodò ita procedendo à peccato excusetur, cùm ingerat se in munus sibi non commissum, idque cum ingenti gravamine pœnitentium. Unde Confessarii, qui taliter procedunt, teneri videntur ad omnia

Theologus iste efficaciter redarguitur.

Peccat Confessarius qui cogit pœnitentem ad sequendam suam opinionem.

mna reſarcienda quæ per ipſos illata ſunt, ſi poa conſtiterit, pœnitentem jus ad illa habuiſſe, quibus Confeſſarius, muneris ſui fines egreſſus, illum ſe abdicare coëgit.

Pœnitens moribũdus abſolvendus eſt, etiam quando dubitatur, an ſit bene diſpoſitus.

54. Sed eſto, ſit probabile, imò probabilius ſit Confeſſario, pœnitentem vincibiliter errare, & non eſſe ritè diſpoſitum; adhuc tamen id certum non eſt, cùm pœnitens ſequatur opinionem certò probabilem, & profiteatur ſe bonâ fide procedere, rationesque & auctoritates ad prudenter opinandum ſufficientes habere. Ergò, quamvis in mortis articulo Confeſſarii opinioni acquieſcere non vult, adhuc abſolvendus eſt, ſi Theologos audire, ſi Sancto Auguſtino, relato *in capite 2. & 4. diſtinct. 7. de Pœnitentia*, ſtare velimus:

Aug. quid ſentiat de abſolutione moribundis danda.

Si quis, inquit, *poſitus in ultima neceſſitate agritudinis ſuæ, voluerit accipere pœnitentiam & accipit &c. non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus quod benè hinc exit.* Rurſus *cap. 4* hæc habet. *Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus, &c. Sed unde ſcis, inquis, ne fortè Deus dimittat mihi? verum dicis. Unde? neſcio. Illud ſcio: hoc neſcio. Nam ideo do tibi pœnitentiam quia neſcio: nam ſi ſcirem tibi nihil prodeſſe, non tibi darem. Item ſi ſcirem tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem &c.* Ecce per Auguſtinum pœnitentia danda eſt, & ille eam dabat in mortis articulo, quando dubitabat & potiùs credebat, illam infructuosè dari; ſed quia neſciebat pœnitentem eſſe indiſpoſitum, & ſpes aliqua, etſi exigua, remiſſionis apparebat, pœnitentiam non negabat. Eadem longè expreſſiùs

Adverſarii Auguſtino repugnant.

tradit Auguſtinus *lib. 1. de Adulterenu conjugiu cap. 28.* Ubi expreſsè docet, Baptiſmum Catechumeno, qui in adulterio vixerat, licitè conferri, qui morti proximus pro ſe reſpondere nequit, idque ex ea ſolùm præſumptione, quòd fortè ipſum pœniteat, & nolit ulteriùs in adulterio vivere. Eandem doctrinam in fine capitis extendit ad pœnitentiæ adminiſtrationem, & reconciliationem baptizati morituri, qui peccatis publicè inquinatus ad mortem uſque vivit, quem locum latè explicatum invenies *de conſcient. probab. quæſt. 37. num. 8, & ſeq.* Unde patet Adverſarios, ſicut communem Theologorum opinionem repellunt, ita pariter doctrinam Canonum & Sanctorum auctoritatem & praxim ut falſam & illicitam condemnant.

Theologus malè citat Auguſtinũ.

55. Sed dices cum Theologo, Celebre dictum illud Auguſtini, relati *cap. Si quis 2. ex diſtinc. 7. de Pœnitent. Si ſcirem tibi non prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem*, non habet locum niſi in correctione fraterna, quia non teneor eum admonere, quem ſcio ex correctione nihil profecturum. Hoc autem locum non habet in Confeſſario, neque in doctore interrogato de veritate, quia veritatem aperire tenentur, ne confeſſarius canibus Sanctum, ſeu indignis Sacramentum conferat, & ne veritatis doctor magiſter falſitatis evadat. Rectè etiam huic auctoritati reſpondet Adrianus, quòd Sacerdos poſſit veritatem tacere, quando ſcit pœnitentem de veritate ſcandalum ſumpturum; non tamen poteſt ſimul Sacramentalem abſolutionem impendere; quia prohibemur Sacramenta dare canibus ſeu indiſpoſitis, qualis eſſet ille pœnitens, quia vincibiliter veritatem ignoraret. Ita Theologus iſte.

Reſpondeo, Theologum hunc nec Auguſtinum, nec canonem illum contuliſſe; alioquin non adeo patenter à vera verborum citatione, & ab Auguſtini mente deviaſſet. Inprimis citat propoſitionem prorſus diverſam ab illa, quam Auguſtinus poſuit. Ille dixit. *Si ſcirem tibi nil proaeſſe, non tibi darem.* Mox ſubjungit. *Item, ſi ſcirem tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem.* Errat ergò, dum aliam longè diverſam propoſitionem Auguſtino affingit, quaſi verò ille dixiſſet, *Si ſcirem tibi non prodeſſe non te admonerem &c.* cùm S. Doctor è contrario dixerit, *Si ſcirem prodeſſe, non terrerem &c.* In tantum enim terrebat in quantum dicebat, pœnitentiam in fine vitæ eſſe veriſimiliter infructuoſam. Unde ſi ſciviſſet talem pœnitentiam eſſe proficuam, ex hoc capite neminem terruiſſet.

Theologus ille falſum tradit.

56. Rurſus per hoc & affingit falſum Auguſtino, & ſibi contradicit. Falſum affingit Auguſtino, quia ſæpè veritas non eſt tacenda, quamvis doctor veritatis videat ſcandalum oriturum in eo, cui manifeſtatur. Et hoc nimis notum erat, ut ab Auguſtino ignoraretur. Ergò falſum Auguſtino affingit. Præterea ſibi contradicit, quia paulò ante ex Sanchez, Toleto, Adriano, & S. Ambroſio operosè contenderat, veritatem propter ſcandalum auditorum non eſſe tacendam. At jam citat Auguſtinum ad probandum contrarium, illiusque dicto, etſi citato, adhæret. Ergò ſibi contradicit.

Item qui errat in ponendo la gustino.

Præterea evidenter errat in exponendo Auguſtino, qui illo loco non agit de correptione fraterna, ſed de adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, ut evidens eſt ex contextu. Ergò reſponſio illius ad argumentum eſt prorſus inſufficiens; neque, ſtante ſuâ ſententiâ, poteſt illi reſpondere, niſi Auguſtino adverſetur, illumque in hac ſua doctrina ac praxi erraſſe dicat.

Illiqueto tradit.

57. Quod ad Adrianum attinet, ſi ille Theologo huic præluxit, & ita citavit textum, ut ille, dico mendum in citationem irrepſiſſe, quia Adrianus in citandis Auctoribus eſt valdè exactus. Cæterùm doctrina Adriani non videtur tangere præſentem quæſtionem, quia intelligi debet de caſu, quando veritas certò conſtat, nam in aliis caſibus, quando utraque pars eſt certò probabilis, non eſt vera. Tunc enim unuſquiſque licitè abundat in ſenſu ſuo, nec reſpici poteſt ut canis indiſpoſitus, qui opinionem certò probabilem reputat veram, illamque ſequitur. Præterea Theologus iſte in hac ſua reſponſione apertè repugnat Auguſtino; quia in caſu illo dubio non vult abſolutionem conferri, ne Sanctum detur canibus. Auguſtinus verò è contrario, *loco citato de adulterinis conjugiis*, hoc ipſum attulit ut fundamentum ſententiæ ſibi contrariæ, eoque non obſtante, expreſsè dicit, Sacramenta eſſe illis conferenda, quia non eſt certum quod ſint indiſpoſiti, ſed ſpes aliqua utilitatis per Sacramentum conſequendæ affulget. Hæc contra hunc Theologum in omnibus iſtis Auguſtino repugnantem & à veritate aberrantem, dicta ſufficiant.

QUÆ-

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-OCTAVA.

Vtrùm veritas sit omnibus commoda? & an ejusdem certitudo optanda sit præ illius Probabilitate.

Quæstio hæc cur instituta?

1. VULTA de veritate & veritatis commodo congerit Celladeus *lib. 3. quæst. 16. & 17.* quæ quia ad scopum nostrum de licito opinionis usu non deserviunt, absque examine missa facio; maximè cùm aut omnia aut fermè omnia nobis & adversariis sint communia; eadem enim dicimus, nempe veritatem in omnibus quærendam, veritatem absolutè esse omnibus commodam, falsitatem incommodam; viam veritatis tenendam & desiderandam &c. nec dicimus tantùm, sed ubi opus est probamus. Verùm quia ex communibus nil inferri potest circa quæstionem præsentem, ideo omnia ista à Celladeo omitti potuissent, & meo judicio debuissent. Cæterùm ne Lector, specioso veritatis titulo deceptus, existimet magni aliquid latêre in his quæstionibus Celladei, qui solam veritatem prætendit, ego breviter ponam assertiones aliquas, ex quibus constabit, Auctores benignæ sententiæ non minori studio veritatem quærere, quàm Adversarii, nec minùs honorificè de veritatis commodo sentire quàm ipsi. Cæterùm ita me geram, ut assertiones ponendæ ad præsentis controversiæ elucidationem non parum conducant.

ASSERTIO PRIMA.

Lex Dei esset facilior, si veritas in omnibus certò pateret.

Si in omnibus certi essemus, quid esset quid non esset licitum, lex Dei esset facilior quàm nunc est, quando de multis dubitamus, & hinc inde opinamur, an liceant nécne?

Certitudo honestatis & inhonestatis prosecutionē boni, & fugam mali facilitat.

2. PROBATUR. Certitudo honestatis vel inhonestatis in opere est magnus stimulus homini conscientiæ timoratæ ad agendum quod honestum est, & ad omittendum quod est inhonestum, cùm è contra incertitudo opposita & prosecutionem boni arduam, & vitationem mali difficilem reddat. Difficilius est Sacerdoti repetere horas suas, quando dubitat an eas dixerit & opinatur se eas recitasse, quàm sit secundum officium recitare in commemoratione defunctorum, quando constat utrumque esse dicendum. Ratio est, quia durum est agnoscere se obligatum, quando quis existimat se non esse obligatum, sed obligationem impleſse: nemo enim legi incertæ tam facilè se submittit, quàm se submittat certæ, quia arctari lege minùs placet quàm esse liberum à lege; maximè autem hoc verum est, quando se submittit legi, quam putat aut non dari, aut impletam esse, & non amplius obligare. Similiter difficile est prosequi bonum opus, quando adest ratio apparenter insinuans quòd sit malum, quia formido mali vexat & inquietat animum, qui majori longè suavitate bonum amplecteretur, si certus esset, nil mali in eo latêre. Ergò prosecutio boni & fuga mali magis nobis placerent, & essent faciliores quàm nunc sunt, si in omnibus certò constaret, quid esset, quid non esset honestum.

Certitudo est optabilior quàm probabilitas.

3. Hinc apertè sequitur veritatem & certitudinem veritatis esse longè optabiliorem longéque commodiorem humanæ reipublicæ, quàm sit veritas dubiè aut solùm probabiliter apparens; quia illud optabilius est & commodius quod reddit legem Dei servatu faciliorem, quàm quod illam nobis reddit difficiliorem.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio.

4. OBJICIES. Si veritas constaret, plura essent observanda sub præcepto, quàm nunc sunt; quia probabilitas de honestate rei tollit præceptum obligans ad illam vitandam, quæ tamen vitanda esset, si veritas constaret, quoties opinio illa probabilis est falsa. At sæpè falsa est. Ergò si veritas undique certò innotesceret, præcepta proximè obligantia valdè multiplicarentur ultra præsentem eorum numerum. Atqui difficilius est servare plura quàm pauciora præcepta. Ergò lex Dei esset observatu difficilior, si honestas & inhonestas rerum singularum certò innotesceret, quàm est nunc, dum inter probabilia versamur.

Plura præcepta desinerēt quam incipierent, si in omnibus veritas certò constaret.

Respondeo, multa quidem præcepta in eo casu nos obligarent, quæ nunc non obligant; sed ex alia parte non pauciora præcepta nos obligantia cessarent, & ampliùs non obligarent. Nunc enim non solùm tenemur ad strictius, quando ita probabile est aliquid esse malum, ut oppositum non sit probabile, sed etiam quando actu credimus illud esse malum, sive temerè sive probabiliter ita credamus. Imò, quod plus est, in omni dubio tenemur ad strictius. At certum est plures ex ejusmodi opinionibus esse falsas; & si loquamur de dubiis, illa sunt frequentissima, maximè in fœminis aliisque idiotis, & scrupulosioris conscientiæ hominibus, qui in plurimis dubitant, de quibus nulla esset ratio dubitandi, si veritas certò innotesceret; constaret enim innumera esse licita, à quibus major pars hominum hîc & nunc tenetur abstinere, quia res illis anceps apparet & dubia. Ergò si omnia computentur præcepta nos obligantia de facto, non sunt pauciora, quàm essent in casu assertionis, sed è contra, loquendo de toto humano genere, sunt longè plura quàm essent in illo casu; quod non solùm patet ex argumento jam facto, sed ex eo à priori convincitur, quòd repugnet emolumentum majus hominibus provenire ab ignorantia, errore, & formidolosâ opinione

nione, quàm proveniret à scientia & certitudine, per quam non solùm ignorantia & error, sed etiam omnis formido excluderetur. Defectus enim, si comparetur cum suo proprio subjecto, plus detrimenti affert quàm perfectio illi opposita, maximè in ordine ad finem proprium illius subjecti, & in ordine ad media necessaria ad adeptionem finis. At hic est casus noster, quia medium unicum ac necessarium ad finem hominis est observatio legum ac præceptorum. Ergò repugnat, hanc observationem facilitari per ignorantiam, errorem, dubium, & formidolosum modum cognoscendi voluntatem Dei. Et è contra necesse est eandem facilitari à cognitione certa & infallibili eorum, quæ sunt, & quæ non sunt præcepta.

ASSERTIO SECUNDA.

Auctores benignæ sententiæ in omnibus veritatem quærunt, nec quiescunt donec eam inveniant.

Auctores benignæ sententiæ in omnibus veritatem quærunt.

5. PROBATUR. Omnis quæstio, de qua agunt, vel est directa vel reflexa. In directis veritatem quærunt, nec quiescunt donec opinionem suam roboraverint rationibus, quæ illis ejusdem veritatem persuadent. Idem accuratissimè præstant, quando reflexè rem inspiciunt, non enim quiescunt, donec rationibus determinent ac statuant, quid verè liceat aut non liceat stante dubio, aut probabilitate, sive homo assentiatur, sive non assentiatur rei ex vi illius probabilitatis. Omnia enim scrutantur, rimantur omnes circumstantias, nullam comparationem omittunt, & post singula examinata de singulis eam sententiam proferunt quam veram esse & reputant, & argumentis saltem apud ipsos prævalentibus confirmant. Hæc omnia evidenter constant ex inspectione Auctorum, qui de his materiis tractatum instituerunt. Et sanè, absit invidia, non minùs accuratè de istis tractârunt, & ubique veritatem stabilierunt, quàm Auctores contrariæ opinionis. Ergò Auctores benignæ sententiæ in omnibus veritatem quærunt, nec quiescunt donec eam inveniant. Certè si Auctores benignæ sententiæ, quos Adversarii Probabilistas appellant, veritatem non curarent, nemo eorum contra Celladeum ejusque Doctrinam disputaret, nec ego opus hoc in me assumpsissem, in quo pro veritate sto, & eum in plurimis falsum ac deceptum fuisse ostendo. Quæ cùm ita sint, nemo, spero, præjudicium ullum adversus benignam sententiam ejusque Auctores capiet, cùm legerit Celladeum miris modis veritatem extollentem, & dicentem, se omnia ad veritatem ipsam resolvere, se probabilitate non esse contentum, nisi etiam veritatem attingat & affirmet &c. Hæc enim omnia nobis & omnibus Auctoribus sunt communia, cùm omnes colliment ad veritatem rei, quam tractandam suscipiunt. Proinde Celladeus immeritò ita loquitur de Auctoribus benignæ sententiæ ac si illi solam probabilitatem quærerent, illaque contenti nil amplius de rei veritate curarent, cùm nil longiùs ab eorum intento sit aut esse possit, quàm veritatem negligere; quia nisi eam efficaciter stabilirent, omnibus risui essent, se periculo exponerent, & munus suum non implerent. Sed ut hoc clariùs appareat, sit

ASSERTIO TERTIA.

Auctores benignæ sententiæ contenti non sunt solâ probabilitate opinionum, nisi quando probabilitas est veritas, quæ quæritur. Propositum autem sit explicare, quid dicant & sentiant circa hoc.

Quàndo probabilis et veritas opinionis, & quando non.

6. PROBATUR. Aliquando reflexè disputamus de opinione aliqua an illa sit probabilis. In tali casu idem est quærere probabilitatem & veritatem, eaque inventâ contenti sumus. Sed etiam in hoc casu contenti non sumus probabilitate, præcisè quia probabilitas est, sed quia ea vera est, & de sola veritate, seu de probabilitate verè inventa gaudemus. Aliquando non quærimus, an opinio sit probabilis, sed, probabilitate inventa, investigamus an objectum illud probabiliter honestum titulo probabilitatis sit licitum? Respondemus autem, objectum illud, si reflexè consideretur, prout certæ illi probabilitati substat, verè esse licitum hîc & nunc, quicquid sit, an opinio probabilis directa de tali objecto sit vera nécne. Verùm hic etiam veritatem quærimus & probamus; verum enim reputamus, & verum est, quòd in talibus circumstantiis objectum illud permissum sit, & licitum. Quòd si præscindamus à reflexa hac consideratione, dicimus solam probabilitatem, etiam scitam, non sufficere ut objectum illud evadat licitum; qui enim solùm crederet illud esse probabile, & nec directè nec indirectè absoluto judicio crederet illud verè esse licitum, peccaret illud ponendo; quia quod non est ex fide peccatum est. Itaque ultra judicium de probabilitate, necesse est, ut intellectus vi probabilitatis illius convincatur, atque absoluto judicio credat rem illam esse bonam & honestam, alioquin non est sufficienter dispositus ad illam absque peccato amplectendam. Hæc est benignæ sententiæ Auctorum opinio; qui tam longè distant ab eo, quod solâ probabilitate sint contenti, ut expresè doceant, eam non sufficere, nisi intellectus aut reflexè considerando rem ut substantem probabilitati, aut directè vi motivorum probabilium persuasus in ipsa veritate sistat, atque absoluto judicio existimet, rem illam esse licitam. Quæ cùm ita sint (certissimè autem ita se habent) evanescunt omnia quæ Celladeus tum *in duabus istis quæst.* tum alibi congerit, insinuans Probabilistas, ut vocat, nil curare de veritate, sed solùm sollicitos esse de probabilitate, eâ inventâ contentos esse, cùm illa indifferens sit ad veritatem & falsitatem. Verùm omnia & singula falsa sunt, cùm Probabilistæ in omnibus veritatem quærant, nec probabilitate rei contenti sunt, nisi veritas ipsa absoluto judicio, vel certo vel saltem probabili teneatur.

Verùm omnium consensus quærendus est.

7. Præterea omnium Auctorum Catholicorum unanimis assertio est, omnes in incertis eniti debere ad veritatem pro viribus, nec licitum esse in iis operari, nisi post debitam diligentiam veritas absoluto judicio & bonâ fide teneatur. Dissentiunt tamen nonnulli circa gradum certitudinis seu firmitatis de veritate absolutè habita & credita, ad hoc ut operatio evadat licita & honesta. Verùm cùm de hoc Celladeus in hisce quæstionibus nil dicat, non est quod ulteriùs in illis immoremur, cùm nos de hoc fusè egerimus *in tractatu de conscientia*, ibique ostenderimus quid de hoc

hoc sit sentiendum, atque Auctores, qui discrepare videbantur, conciliaverimus, quia revera quoad rem ipsam non discrepant, etsi nonnulli, æquivocatione decepti, apparenter & verbaliter ab aliis dissentire videantur.

QUÆSTIO QUADRAGESIMA-NONA.

Vtrùm Ratio probabilis sit Regula humanorum actuum.

Consilium quæstionis susceptæ proponitur.

1. PROPONO hîc Quæstionem istam, ut ansam habeam elucidandi æquivocationes, & refellendi falsas Celladei assumptiones, quas lego *in 18. eaque ultima Quæstione lib. 3.* quæ est recapitulatio eorum, quæ præcesserant. Sed quia Celladeus hoc loco attulit nonnulla quæ antea omiserat, congruum est ea examinare, ne unquam dicere possit, quædam solùm, sed non omnia ad quæstionem principalem facientia esse discussa. Interim suppono cum ipso & cum omnibus, voluntatem Dei, seu legem æternam, esse primam, supremam, ac universalem regulam humanorum actuum; rationem verò humanam esse regulam secundariam eorundem, quatenus est applicatio primæ regulæ, quam proponit, & per actum judicativum vitaliter nobis repræsentat. Itaque lex æterna est prima ac universalis regula objectiva; ratio verò humana est unica sed universalis regula formalis humanorum actuum. Porrò præter primam ac universalem regulam objectivam, dantur aliæ regulæ objectivæ secundariæ, quales sunt leges humanæ, præcepta ac ordinationes superiorum, & quodvis objectum, quod cognitum manifestat legem divinam. Sed hæ regulæ subordinantur primæ regulæ, illamque indicant, nec aliter vim regulandi habent, nisi prout illam objectivè applicant, illique subordinantur. Cæterùm hæ regulæ objectivæ secundariæ applicari etiam debent per rationem quæ, quatenùs illas applicat, dici potest regula formalis secundaria. Cæterùm inter regulas objectivas involvitur aliquando ratio humana, quando illa reflexè consideratur, atque in ratione objecti cogniti se habet per modum circumstantiæ objectivæ, ex cujus consideratione voluntas Divina nobis innotescit. Hoc modo probabilitas & judicium probabile de honestate operis ad regulam secundariam objectivam pertinent, etiam in contradictione probabilitatis oppositæ objectivè pariter repræsentatæ, quia efficax præbet fundamentum existimandi, quòd objectum illud prout talibus circumstantiis subsistat, sit licitum, & à Deo permissum, vel etiam præceptum. Hæc omnia fusè explicata sunt, tum *in hoc*, tum *in tract. de Consc. prob.* multis in locis, & hîc supponuntur ut vera, nec de ullo istorum dubitat Celladeus, nisi de ultimo, quod inter nos controvertitur. Sed illud efficaciter probatum est locis citatis. Quare nunc id ago, ut si quid in oppositum à Celladeo allatum fuerit, id solvam & refellam. His positis, sit

ASSERTIO PRIMA.

Omne actuale judicium probabile de honestate operis hîc & nunc ponendi, si inculpabiliter eliciatur, est sufficiens regula formalis humanorum actuum.

Actuale judicium probabile est sufficiens regula formalis humanorum actuum.

2. PROBATUR. Illa ratio est sufficiens regula formalis humanorum actuum, quæ & actum humanum dirigit, & ita applicat Divinam voluntatem, seu primam regulam objectivam, ut necesse sit, actum ex ejus directione positum omni malitia carere, atque etiam bonitatem acquirere. Sed omne actuale judicium probabile de honestate operis hîc & nunc ponendi, si inculpabiliter eliciatur, est ejusmodi; inprimis enim dirigit actum humanum, quia actus ab eo directus est indubiè liber, & consequenter includitur in serie actuum humanorum. Secundò omne ejusmodi judicium ita applicat primam regulam objectivam, ut operatio, quam regulat, omni malitiâ careat, quia actus ille est dictamen conscientiæ inculpabiliter constitutum, quod proinde sive sit verum, sive falsum ab omni prorsus malitia excusat. Tertiò refundit honestatem moralem in operationem, quam dirigit, ut probatum est *quæst. 3.* Ergò omne ejusmodi judicium est sufficiens regula humanorum actuum. Sufficiens, inquam, regula ex duplici capite; primò, quia arcet malum ab opinione, quam regulat; secundò, quia eidem moralem bonitatem confert. Alterum autem sufficit, ut ratio, cui competit, dicatur regula, quia non solùm actus, cui bonitas confertur, sed etiam actus, à quo malum arcetur, verè regulatur, quando tam bonum, quod confertur, quàm malum, quod arcetur, ex vi ac directione rationis vel tribuitur, vel arcetur.

ASSERTIO SECUNDA.

Omne judicium probabile, de quo in prima assertione locuti sumus, si reflexè consideretur, est sufficiens regula objectiva secundaria humanorum actuum. Idem dicendum de illius probabilitate, quamvis nullum judicium probabile vi illius eliciatur.

Judicium probabile est regula objectiva secundaria hu-

3. PROBATUR. Omne ejusmodi judicium, reflexè cognitum, manifestat legem æternam, quâ Deus hîc & nunc non solùm permittit illam operationem ut non malam, sed etiam eandem

manorum actuum.

eandem approbat ut bonam ; fundat enim hunc syllogismum reflexum. *Qui facit, quod bonâ fide credit esse honestum, & vel non errat in suo judicio, vel errat invincibiliter ; si erret, facit quòd à Deo permittitur ut non malum, & approbatur ut bonum. Sed ego hîc & nunc facio quòd bonâ fide credo esse honestum, & vel non erro ; vel si errem, invincibiliter erro in hoc judicio. Ergò facio quòd Deus hîc & nunc non solùm permittit ut non malum, sed etiam approbat ut bonum.* Major est vera, & quoad voluntatem permissivam admittitur etiam à Celladeo. Minor est etiam vera, immò ejus veritas in utraque assertione expresè supponitur. Et sanè aut semper aut sæpissimè est evidens. Ergò conclusio est etiam vera ; est autem ratio manifestans legem æternam, seu primam regulam objectivam humanorum actuum. Ergò omne judicium probabile, de quo loquimur, reflexè cognitum, manifestat legem æternam. Ergò est sufficiens regula objectiva, sed secundaria humanorum actuum. Et quidem ex duplici capite sufficienter regulat ; primò quia manifestat legem æternam permittentem, quod sufficit ad rationem regulæ, secundò quia manifestat legem æternam approbantem electionem in circumstantiis istis ponendam. Porro quod idem dicendum sit de probabilitate, etsi judicium probabiliter enuncians non eliciatur, fusè probatum est, *quæst. 2. & in tract. de Consc. prob.* efficaciter stabilitum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

OBJICIES. Probabilitas utrique contradictorio convenit. Ergò non est regula humanorum actuum. Probatur consequentia. Talis ratio humana non subordinatur divinæ legi, nec est secundaria respectu illius, nec illam applicat ; quæ omnia sic probantur. Inprimis, subordinatum subditur suo principali, sed talis ratio non subest legi divinæ, quia lex est una & pro una tantùm parte contradictionis. Ratio illa est pro utroque, scilicet tam pro lege quàm contra legem. Deindè ratio hujusmodi egreditur sphæram divinæ legis, quia lex divina solùm veris, & uni tantùm contradictionis parti convenit ; at ratio illa etiam falsis, & utrique contradictorio convenit. At quod egreditur sphæram alterius non est secundarium respectu illius. Ergò ratio hujusmodi non est secundaria respectu legis divinæ. Demùm hæc ratio humana non applicat divinam legem ; quia indifferens est ad legem & non legem. Ergò non est magis applicativa quàm non applicativa legis divinæ. Ergò non regulat, quia caret conditionibus regulæ secundariæ. Et sanè hoc videre est in ratione æquè probabili, & multò magis in minùs probabili, quippe quæ minus connectitur cum vero, quàm cum falso. Ergò nec æquè probabilis, nec minùs probabilis ratio potest esse regula sufficiens subordinata ; sicut illud horologium non potest esse regula conveniens, quod non magis sed minùs habet concordare, quàm discordare cum motu solis. Et sanè qui tale horologium sciens & volens adhiberet, voluntariè & imputabiliter erraret. Ergò qui sciens & volens sequitur minùs aut æquè probabile pro regula, voluntariè & imputabiliter errat ; & consequenter peccat, non solùm merè materialiter, sed etiam formaliter. Ergò probabile non est regula humanorum actuum. Ita Celladeus *lib. 3. quæst. 18. §. 2.* ubi contendit per hanc illationem funditùs everti, quidquid super probabilia fundatum est.

Quæ sint proprietates regulæ secundariæ.

Judicium

Respondeo & petoà Celladeo, an loquatur de ratione probabili, quàm Auctores benignæ sententiæ statuunt pro regula formali, an de ea, quam statuunt pro regula objectiva humanorum actuum. Si de regula formali, antecedens est evidenter falsum, quia judicium actuale probabile alligatur uni tantùm contradictionis parti, illamque habet absolutè veram, & alteram ut absolutè falsam repellit. Ergò nec convenit, nec convenire potest utrique parti contradictionis. Ergò etiam consequentia est evidenter nulla ; sicut etiam sunt, quæ in ejus confirmationem afferuntur. Quid enim evidentiùs, quàm tale judicium nobis applicare ac intellectualiter unire divinam voluntatem ? Quid ais Celladee ? putásne, rationem hujusmodi non magis applicare quàm non applicare divinam legem ? Cogita, rationem hanc esse actuale judicium, quod intellectui essentialiter applicat legem Dei, illamque voluntati vitaliter proponit, & talia non dices. Deinde idem judicium subditur divinæ legi, quia est unum & ad unum essentialiter alligatur, sicut lex divina. Quod si aliquando erret, id est per accidens. Non est autem contra rationem regulæ secundariæ & subordinatæ aliquando falli, & à vero aberrare, ut videre est in omnibus regulis secundariis, quas adhibere solemus ad cœli tempora mensuranda. Præterea, certum est, quòd hujusmodi ratio subordinetur legi divinæ ut objecto, eamque essentialiter repræsentet, atque ideo instituta sit, ut eam manifestet, illamque potentiis humanorum actuum elicitivis uniat. Ergò objectio nequit intelligi de regula formali.

Probabilitas, etsi agnita ut pars rationis directæ, non tamen ut talis elicitivè influit, quia ignoratur ut talis.

5. Quod si loquatur de regula secundaria objectiva, illa vel est actuale judicium probabile existens, vel est sola probabilitas cognita, etsi non eliciatur judicium probabile illi probabilitati innixum. Si primùm eadem falsitas apparet in antecedente, quam jam observavimus, quia judicium actuale existens uni parti alligatur, semperque reddit suum objectum probabilius opinanti, quàm sit contrarium ; unde quidquid de hoc dictum est in argumento, vel evidenter falsum est, vel certè procedit de subjecto non supponente.

Probabilitas, etsi agnita ut pars rationis directæ, non tamen ut talis elicitivè influit, quia ignoratur ut talis.

6. Itaque ut argumentum apparentiam habeat, restringendum est ad probabilitatem nudè consideratam, immò, si libet, ad probabilitatem etiam agnitam ut æqualem vel minorem, quam nos asserimus esse sufficientem regulam objectivam reflexam, sed secundariam, quatenus manifestat divinam voluntatem reflexam, quæ, stante tali legis incertitudine, aliquando hîc & nunc permittit nobis id agere, quod Deus secundùm se consideratum prohibendum duxerat. Cæterùm in hac etiam consideratione argumentum nil probat, quia duas probabilitates oppositas in unam eandemque confundit ; loquitur enim ac si una eademque ratio ac probabilitas utrique contradictorio ex æquo conveniret ; quod tamen est evidenter falsum ; nam probabilitas libertati favens, soli libertati favet, & arguit legem non esse ; sicut opposita probabilitas favet soli legi, & libertatem gravat. His positis, distinguo antecedens. Probabilitas directa genericè sumpta utrique contradictorio convenit, concedo antecedens. Una eademq ; probabilitas convenit utrique, nego antecedens. Similiter distinguo consequens. Ergò nulla probabilitas directa, hoc modo considerata, est regula formalis, concedo : nulla est regula objectiva humanorum actuum, nego consequentiam. Immò verò quævis probabilitas practica directa, etiam minor cognita ut minor, fundat discursum reflexum.

reflexum, quo manifestatur lex æterna permittens talem actionem in istis circumstantiis, quidquid sit an detur lex directa illam prohibens; quia lex illa, si detur, sufficienter applicata non est ad nos arctandum, &c. Et quidem hæc ratio, manifestans legem æternam reflexam, non solùm est probabilissima; sed est aut simpliciter aut humano modo moraliter certa, ut fusè probatum est tum *in hoc, tractatu*, tum *in tractatu de Consc. Prob.*

Paritas à Celladeo objecta est prorsus improportionaliter, & à veritate evidenter aliena.

7. Eodem modo respondetur ad confirmationem argumenti. Inprimis si sermo sit de probabilitate inexistente judicio probabili, illa est regula formalis, quæ una est, uniqúe tantùm contradictionis parti convenit. Ergò illa imitatur legem æternam, illiqúe subordinatur tanquam proprio objecto, cùm illam vitaliter potentiis nostris uniat, & applicet. Et quidem si sermo sit de ipsa benigna sententia, quæ reflectendo supra paritatem probabilitatis utrique contradictionis parti convenientis, considerat opus in ordine ad alias circumstantias, & enuntiat talem rem in illis esse permissam; si, inquam, de illa loquamur, illa est ratio non solùm quoad nos & in opinione nostra, sed etiam reipsa verè manifestativa legis æternæ reflexæ, & nunquam errat nequidem à à parte rei, & multò minùs in æstimatione nostra. Frustra igitur, & contra apertissimam veritatem objicitur nobis exemplum horologii, non magis dispositi ad horam benè quàm malè ostendendam, quasi verò nos sponte eligeremus regulam formalem pro nostris actionibus, quam fatemur non magis manifestare quàm non manifestare legem æternam.

Æquivocatio Celladei detegitur.

8. Æquivocatio in eo est, quòd fateamur, parem aut minorem probabilitatem libertati faventem esse regulam objectivam sufficientem, quamvis illa non magis ostendat legem permittentem, quàm opposita probabilitas ostendat legem prohibentem; unde cùm talem probabilitatem eligimus in regulam, videmur eligere regulam non magis connexam cum lege permittente, quàm cum lege prohibente. Verùm manifestè decipiuntur adversarii: nam si loquamur de regula objectiva, verum quidem est, quod illa probabilitas non magis manifestet legem directam permittentem, quam opposita probabilitas repræsentet legem directam prohibentem, unde fit, ut, in casu hujus paritatis cognitæ, probabilitas illa non sit regula nec formalis nec objectiva sufficiens ad applicandam legem directam, quippe quæ in tali casu, aut non datur, aut certè sufficienter non applicatur & promulgatur. Hoc tamen non obstante, probabilitas illa directa, etsi solùm par aut minor opposita probabilitate, efficaciter manifestat legem reflexam, quæ sola apta est ad nos hîc & nunc in istis circumstantiis dirigendos, quia actio versatur in istis circumstantiis, non autem in illis tantùm, quæ per probablitatem directam repræsentantur. Porrò quamvis probabilitas directa in hoc casu erret, errat tantùm circa legem verbaliter dictam, non autem circa legem sufficienter promulgatam & applicatam, quæ legis vires exerit & obligat. In tali autem casu error ille non est tanti momenti, maximè quando actio versatur in circumstantiis aliis, in quibus nullus est error, & nullus esse rationabiliter creditur. At hic est casus noster.

Quãdo probabilitas, agnita ut minor, sit & esse possit regula actûs humani?

Cæterùm, si intellectus abstraxisset à comparatione probabilitatum directarum sibi contrariantium, & ex irreprehensibili imperio voluntatis determinatus fuisset ad absolutè existimandum, rem esse licitam; in eo casu probabilitas, tali judicio inexistens, fuisset regula formalis sufficiens, quia rationabiliter applicasset nobis legem divinam permittentem tanquam veram, & legem prohibentem absolutè repulisset ut falsam. Hoc autem sufficit ad rationem regulæ humanæ, quia est optimum in suo genere, ad quod attingere possumus. Et sanè in hac regula non tam respicitur veritas logica actûs, quàm veritas ejusdem apparens, prout conjungitur cum modo, quo actus ille imperatur. Actus enim logicè verus, si temerè imperetur, non sufficienter regulat, nec à peccato excusat, ut patet. At si judicium non temerè, sed rationabiliter imperetur, à peccato excusat, & sufficienter regulat, quia est optimum ex genere suo, ad quod pervenire possumus, quamvis per accidens & præter opinionem ac intentionem operantis contingat judicium illud esse falsum. Nec mirum, quia omne ejusmodi judicium fundatur in motivo, quod vi suæ magnitudinis plerumque non fallit; quodqúe à nobis absolutè creditur hîc & nunc non fallere. In incertis autem optimum, ad quod pervenire possumus, est hujusmodi judicium, ut patet. His positis, redeo ad argumentum, & dico, quòd probabilitas, agnita ut par aut minor, solùm remotè sit regula formalis sufficiens, quatenus taliter repræsentat legem permittentem, ut intellectus, si nullam comparationem instituisset, nullumqúe judicium comparativum elicuisset, ex imperio voluntatis flecti potuisset in actu secundo ad absolutè existimandum, quòd opus illud sit licitum. Hoc autem judicium rationabiliter elicitum est regula formalis. Et sanè si distinctio regulæ formalis & objectivæ ante oculos habeatur, (est autem in hac quæstione assiduè considerandа) & objectio relegatur, nullam in illa difficultatem lector inveniet.

Objectio ex multis capitibus procedit de subjecto nõ supponente.

10. Advertet etiam totum argumentum multis de causis procedere de subjecto non supponente. Inprimis supponit, solam legem æternam realiter existentem, esse regulam humanarum actionum. At hoc est in quæstione, & non supponendum erat. Nos enim è contrario, loquendo de lege directa, dicimus, non solùm legem æternam realiter existentem, sed etiam merè apparentem, dummodò per judicium probabile invincibiliter elicitum appareat, esse regulam sufficientem, idqúe probatum est *quæst. 2. & 3.* Secundò, supponit, legem in casu paris probabilitatis de non lege esse sufficienter promulgatam & applicatam ad nos arctandos; quod pariter falsum esse ostendimus. Tertiò, supponit, judicium & probabilitatem fallacem errare circa ipsam regulam objectivam cùm error non sit in repræsentando vero Dei placito & honestate vera, sed solùm in indebita illius applicatione ad objectum materiale. At actus falsus sufficienter regulat, quando invincibiliter proponit verum Dei placitum, quamvis erret illud indebitè applicando objecto materiali, ut ostensum est *quæst. 3.* Quartò, supponit, dari horologium dispositum ad ostendendam horam, quod tamen non magis habet concordare quàm discordare à vero diei tempore. At tale horologium est chymera, eo ipso enim quòd moveatur, & non sit dispositum ad ostendendum verum tempus, est aptissimè seu inevitabiliter dispositum ad errandum. Similem chymeram affinxit probabilitati, quam dicimus esse regulam; quia vult unam eandemqúe rationem ostendere aliquid, quæ tamen non magis ostendit unum quàm alterum ex contradictoriis, quo nil magis chymericum dici potest. Sicut ergò sunt duæ probabilitates,

bilitates, quarum una ostendit non legem, & alia ostendit legem: ita debebat proponere exemplum duorum horologiorum; quorum alterum solùm dispositum est ad ostendendam horam veram, alterum verò dumtaxat dispositum est ad ostendendam horam falsam; idque ita, ut utrumque sit æquè dispositum ad finem dictum, vel etiam ut horologium erroneum sit paulò melius dispositum ad horam falsam, quàm alterum ad horam veram indicandum. Sic enim & non aliter paritas illa est ad rem. At si paritas hoc modo procedat, illa nobis favet, quamvis sola directa probabilitas inspiciatur. Sicut enim sapientiùs facit homo, qui eligit horologium ostendens horam veram; sic sapientiùs eligitur probabilitas libertati favens in regulam, quia per talem electionem homo liberior est, & à peccandi periculo magis removetur, ut patet. Ecce quot viis potissima hæc & primaria Celladei ratio, quam putat esse insolubilem, corruit, & evertitur.

11. Omitto reliqua examinare quæ Celladeus *hac in quæst. congerit*, quia solùm eadem repetit, quæ antea dicta ab illo, & à nobis refutata sunt; sed dissimulare non possum, quod habet § 4. paulò ante medium, ubi dicit, se olim docuisse usum probabilium, immò æquè & minùs probabilium esse licitum, & probabilitatem illam cum aliis pro regula conscientiæ habuisse; sed, post rem per multos deinde annos integros examinatam sententiam suam mutasse. Post quæ narrata subjungit hæc verba. *Non dico evidens esse, eam non esse regulam humanorum actuum, hoc solùm dico & testor, & Deus scit, quòd non mentior, nihil mihi unquam visum esse evidentius, quàm eam regulam non esse.* Credo tibi, Celladee, quamvis interpositum sine necessitate juramentum non approbem; & spero te aliosque hæc lecturos mihi etiam fidem præbituros. Legi ego rationes tuas, omnes discussi, nullam omisi, singulas ponderavi, quibus tamen perpensis, tantùm abest ut illæ aut rem ipsam in se, aut certè quoad me evidentem reddiderint, ut me potiùs in pristina persuasione confirmaverint; quia in illis præter prompti vivacisque ingenii (quod ubique elucet) specimen, nil prorsus inveni. Nam singulæ quæstiones & argumenta ferè singula, aut æquivocationibus plena, aut terminorum confusionibus referta, aut falsis suppositionibus malisque quæstionis intelligentiis cumulata reperi. Et fortasse tu ipse post secundas & sedatas cogitationes (videor enim mihi videre, te impetu quodam abreptum fuisse) idem perspicies; nec dubito, quin alii idipsum visuri sint. Quòd si adhuc in evidentia tuæ persuasionis (quam evidentiam nobis de nostra regula ægrè aut nullo modo concedis) permanseris; aliud mihi non superest, quàm miseram hominum conditionem deflere, qui ita studiis suis in diversa rapiuntur, ut quæ non uni, sed innumeris post omnia argumenta discussa videntur falsa & improbabilia, ea adhuc contraria sentientibus non solùm vera sed evidentissima habeantur.

Celladeus quàdo protestatus est, non videtur rectè intellexisse, quid termini significarent.

12. Cæterùm ut te in hoc ipso, quod jam tractamus, argumento, quodque tibi adeo evidens est, conveniam & aggrediar, rogo ut ad teipsum reflectens seriò dicas, an probè prospexeris, quid intellexeris nomine regulæ, quando scribebas, evidentissimum tibi esse, probabile, quod consuetum appellas, non esse conscientiæ regulam? loquérisne de regula formali, an de objectiva? si de objectiva, quæ in ratione objecti reflexè cogniti fundat quæstionem reflexam, utrùm, stante incertitudine directâ, quæ ex probabilitate utrique parti faventi oritur, liceat sequi partem minùs tutam; quæque præbet tot & talia argumenta pro parte affirmativa, ut omnes ferè Theologos determinaverit ad asserendum, tanquam dogma moraliter certum, quod liceat; si, inquam, de objectiva hac regula loquaris, postulo, quænam demùm sint argumenta, quæ certificant te, probabilitatem non esse ejusmodi regulam? nam ego certè illa desidero, & ex altera parte efficaciter ostendo, talem probabilitatem semper connecti cum reflexa Dei voluntate, quâ Deus permittit rem illam in istis circumstantiis, quicquid sit an illam permittat voluntate primariâ & directâ. Avemus autem audire argumenta, quæ nervosè ostendant contrarium; nam ea certè hactenus non protulisti. Si autem loquaris de regula formali, rectè dicis, meam probabilitatem reflexè cognitam, non esse regulam, id enim reipsa evidens est, quia solum judicium actuale, actualiter & realiter animum informans, est regula formalis. Sed si hoc dicas, nil dicis; quia neminem tibi contradicentem habes, adeoque frustra patheticam illam protestationem attexuisti, quæ de subjecto patenter non supponente procedit. Si verò contendas, judicium probabile actuale, quod cum una sola parte contradictionis essentialiter connectitur, quodque bona fide & inculpabiliter elicitur, suumque objectum non solùm ut probabilius opposito, sed etiam ut unicè verum repræsentat; si, inquam, contendas, evidens tibi esse tale judicium non esse regulam, quo quæso argumento id probas? certè argumenta, quæ *in hac quæst.* congeris & amplificas, quoad hæc procedunt de subjecto non supponente, quia procedunt de probabilitate reflexè cõsiderata, quæ juxta mentem operantis non magis favet libertati, quàm probabilitas opposita faveat legi. Talia autem judicio actuali nullatenus applicari possunt. Dicam ergò quod est. Confudisti utramque hanc probabilitatem, atque quod uni videras non convenire, nulli sub eodem nomine generico comprehenso convenire falsò & perperam intulisti. Hæc, Celladee, & non alia est evidentia tua de conscientiæ regula; &, ni fallor, post hæc lecta ipsemet id ipsum perspicies.

Ejus argumenta invocato lectore.

13. Sed quidquid fuerit de hac re in mente tua, ex tuis principiis fateri teneberis, nos in posterum à peccato liberos futuros, si sequamur benignam sententiam. Fateris enim auctoritatem illi faventem, id est, auctoritatem omnium fermè Auctorum unanimiter convenientium, esse auctoritatem plerumque non fallentem. Sequimur ergò probabile positivè, quod perte est regula sufficienter excusans: sed quia mones illud aliquando fallere, ac proinde hîc & nunc non suffi cere sine onere examinandi, an quod opponitur veritati conjunctum sit necne; ideo asseris, integrum nobis ampliùs non esse tali auctoritati adhærere, donec rationes tuas, quæ tibi tam efficaces videntur, & aliorum contra clamantium argumenta inspexerimus, & ea dictæ auctoritati & rationibus benignæ sententiæ non obstare invenerimus. Utrumque fecimus, argumenta *in tract. de Consc. prob.* examinavi & dispuli, tuas hoc libro rationes ad anatomen redegi, & omnes prorsus invalidas reperi; adeoque perspexi, auctoritatem ac rationes benignæ sententiæ nullâ validâ exceptione premi. Ecce onus, quod requiris, subivimus; oppositionem omnem reperimus esse invalidam contra argumenta validissima & auctoritatem validiorem. Ergò sequimur positivum tuum probabile, eoque modo id sequimur, quo

Doctrina Celladeotos recti ipsius adversarius.

quo ipse asseris, quòd sit regula. Ergò tuo nos absolvis judicio; ideòque ex tuis principiis tuti sunt, quos ex eisdem putabas non solùm haud tutos, sed ingenti ac inevitabili periculo expositos. Hæc ad hominem amicè dicta sunto.

ASSERTIO TERTIA.

Celladeus in regula Conscientiæ assignanda solus est contra omnes, ac proinde non est audiendus.

Celladeus solus est, & contra omnes in assignanda conscientiæ regula.

14. PROBATUR. Celladeus toto nisu contendit, solum judicium verum esse regulam operationis honestæ. At omnes alii præter judicium verum assignant etiam judicium probabilius pro regula sufficienti. Quamvis enim plures ex receptioribus æquè ac minùs probabile à regula rejecerint, nemo tamen eò devenit, ut negaret judicium probabilius, etsi fortè falsum, esse sufficientem regulam operationis honestæ, ut ex illorum operibus constat. Ita enim loquuntur, ut aut expressè asserant, aut apertè supponant, probabilius sufficere ad ritè formandam conscientiam, & ad honestè operandum. Præterea Celladeus neminem ex omnibus assignare potest, qui cum ipso expressè sentiat, dicatque solam cognitionem veram esse sufficientem conscientiæ & humanorum actuum regulam, nullumque actum esse bonum, qui versatur circa rem verè prohibitam, quacunque tandem lege prohibeatur, sive divinâ sive humanâ. Ergò in assignanda morum regula solus est. Nec solus tantùm, sed contra omnes, ut vidimus. Ergò non est audiendus; quia credibile non est, omnes prorsus Theologos Catholicos hactenus cæcutisse in assignanda sufficienti morum regula, & Deum, aliis omnibus relictis in tenebris, hanc Celladeo prærogativam assignâsse, ut ipse veritatem tanti momenti primus omnium Mundo revelaret. Quis enim credat, quòd Deus totam Ecclesiam in re tanti momenti tamdiu errare permiserit? nemo certè. Ergò vel ex hac sola præsumptione Celladeus non est audiendus. Præterea rationes, quas affert pro singulari sua sententia, sunt prorsus invalidæ, & falsitatis convincuntur. Stat ergò probabile, saltem probabilius, etsi aliquando falsum, esse sufficientem morum & actionis bonæ regulam.

Ejus æquivocatio de regula.

Doctrina Celladeo-rum redit ipsis adversaria.

Accusationem hanc invalidè repellit Celladeus.

15. Narrat Celladeus §. *ultimo* hujus quæstionis, quomodo objectum sibi fuerit à quodam magistro, se contra omnes sentire, conaturque ictum depellere, dicendo se convenire cum iis, qui rejiciunt minùs & æquè probabile, quia & ipse illud idem rejicit. Verùm hoc jam non quæritur; nam etsi conveniat cum illis in non regula, tamen cum nullo illorum in assignanda regula convenit, & hoc est quod Magister ille objicit, quodque ego etiam objicio, & cui respondere non potest, nisi concedendo totum. Quod si concedatur, ex hoc solo sufficienter falsitatis arguitur.

Mirabile Celladei argumentum proponitur, & expenditur.

16. Sed mirabile est, qua ratione pergat, ut probet Auctores, minùs & æquè probabilia rejicientes, revera ab ipso non discrepare, etsi diserte videantur docere contrarium; sic enim ait. *Ipsi quidem dicunt, magis probabile sufficere pro regula; in quo non tam hoc sufficere, quàm requiri voluerunt; nec enim datâ operâ pro probabiliorum sufficientia collatis in id argumentis laborârunt, ut in opusculis eorum cernitur.* Deinde dicit, neminem illorum quos vidit docuisse, hominem, qui sequitur opinionem probabiliorem falsam, non incurrere peccatum ignorantiæ, quod tamen docere debuissent, si docuissent probabilitatem esse sufficientem regulam. Unde concludit, *Paralogisatus est ergò Magister ille.* Mirabile sanè argumentum! sic in contrarium arguo. Per te, *dicunt magis probabile sufficere pro regula.* Ergò ita sentiunt. Non enim sententia Auctorum cognoscitur nisi ex disertis verbis, quibus seipsos exprimunt. At tu asseris in omnibus veritatem esse necessariam, & probabilius, quà tale, non magis sufficere quàm probabile, aut minùs probabile. Ergò expressè sentio contra omnes. At, inquies, non docuerunt, datâ operâ, probabilius sufficere, quia ad hoc probandum argumenta non congesserunt. Ergò non tam docuerunt probabilius sufficere, quàm requiri pro regula. Sed contra primò. Si collatis argumentis expressè non docuerunt probabilius sufficere, id erat, quia ex communi auctorum benignæ sententiæ consensu, & ob rationes ab illis assignatas supposuerunt ut indubitatum, quod probabilius sufficeret. Alioquin si illud solùm requiri voluissent, nihil dixissent, nam etiam probabilitas requiritur non minùs quàm probabilioritas; & tamen illam negârunt, hanc tradiderunt esse regulam. Ergò aliud voluerunt, quàm probabilioritatem requiri, sed non sufficere.

17. Contrà secundò, quia Auctores illi expressè intenderunt examinare ac determinare, quænam regula ad bonam operationem regulanlandam sufficeret. Inde progressi, primò conati sunt ostendere, nec minùs nec æquè probabile sufficere (in quo tamen ob meram æquivocationem regulæ formalis ac objectivæ, seu quod in idem recidit, ob æquivocationem probabilioritatis directæ ac reflexæ à communi sententia recesserunt, ut latè ostendi *in tract. de Consc. prob. quæst. 22.* & alibi) deinde ad principale intentum progressi statuerunt ipsam regulam, quam sufficientem existimabant, & ut sufficientem proponebant; dixeruntque regulam illam complecti non solùm certa, sed etiam probabiliora. Porrò nisi hoc modo processissent, à scopo suo primarioque intento defecissent; nisi enim regulam statuissent, solùm dixissent aliena, propria non stabilivissent. Præterea, cum bona Celladei venia, ex illis Auctoribus complures expressè & datâ operâ probant, opinionem probabiliorem bonâ fide conceptam esse sufficientem regulam, & fundare operationem bonam, tametsi per accidens sit falsa; & si qui non ita expressè congerant hæc argumenta, illi tamen ex modo procedendi, apertè supponunt illud ut indubitatum; quod perinde est, ac illud ipsum expressè tradere.

Cur auctores non dixerint expressè sectantes probabiliora non peccare peccato ignorantiæ.

18. Cæterùm si nemo illorum expressè docuerit, hominem probabiliora sectantem non incurrere peccatum ignorantiæ, id mirandum non est, quia implicitè illud tradiderant, dum agerent de regula conscientiæ. Ergò cùm agentes de peccatis ignorantiæ nil in contrarium afferant, supponendum est eos sensisse peccatum ignorantiæ non intervenire, quando quis bonâ fide sequitur opinionem probabiliorem. Supponendum est, inquam, quia alioquin sibi contradicerent, cujus contrarium semper supponendum est, donec contradictio positivo aliquo argumento probetur, cujusmodi argumentum in casu nostro afferri nequit. Præterea falsum est, quòd debebant id expressè tradere; non enim est cur hoc potiùs quàm oppositum expressè traderent. Cùm autem neutrum in expressis terminis fecerint, censendi sunt consequenter loqui ad præcedentia, & expressam

pressam eorum mentionem omisisse, quæ patenter connexa erant cum prioribus, cujusmodi est id, de quo nunc agitur. Ergò omitti potuit, nec necessariò dicendum fuit in expressis terminis.

19. Sed quid opus suppositionibus, ubi res est certissima? certè omnes scriptores probati in eo conveniunt, quòd nullum detur peccatum ignorantiæ, quando error & ignorantia est invincibilis. Porrò plerique eorum, qui dicunt probabilius sufficere pro regula conscientiæ, explicitè dicunt rationem esse, quòd qui post diligentiam adhibitam, ubi adhibenda est, bonâ fide sequitur opinionem probabilem, aut non erret, aut erret invincibiliter, si erret; atque inde inferunt, eum non peccare ne quidem peccato ignorantiæ. Reliqui omnes implicitè saltem idipsum tradunt, quia quoad hoc aliorum argumentis subscribunt, cùm ipsi aut nulla aut paucula examinent. Ergò omnes illi Auctores aut explicitè, aut implicitè sentiunt, hominem, bonâ fide sectantem probabiliora, peccatum ignorantiæ non incurrere. Non ergò magister paralogysatus est, sed paralogysatus est Celladeus, maximè cùm ex antecedenti ab ipso admisso, non consequens ab illo illatum, sed oppositum talis consequentis inferatur, ut vidimus.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA.

Quæ sit Essentia Dubitationis, ac Dubii?

1. CELLADEUS, post multa de opinione ac probabilitate tribus prioribus libris tradita, in quarto accedit ad examinandum, quid sit, & quomodo solvendum sit dubium. His ergò in quæstionibus ita illum comitabor, ut in iis tantùm examinandis moram facturus sum, in quibus invenero argumenta de morum regula presse examinari; reliquas aut omittam, aut leviter tantùm perstringam.

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit explicare quid sit Dubitatio? & quid sit Dubium?

Dubitationis duplex definitio.

2. FUSÈ de his, nec minùs eruditè agit Celladeus *lib. 4. quæst. 1.* Ego juxta communem omnium sensum sic definio Dubitationem propriam & perfectam. *Est vacillatio animi in utramque partem contradictionis circa quæstionem propositam, & non solutam.* Seu, *Est dispositio, quâ animus ita fertur in quæstionem propositam, ut in neutram partem assensum flectat, sed aut explicitè judicet, aut virtualiter & implicitè reputet, neutram partem esse sufficienter manifestam ad ferendum judicium.* Secunda definitio declarat primam. Utraque autem paulatim clariùs explicabitur. Inprimis dubitatio dicitur *vacillatio animi*, quia sine vacillatione animi nulla est dubitatio. Dicitur *inter utramq; partem contradictionis circa quæstionem propositam & non decisam*, quia nulla est dubitatio nisi circa quæstionem propositam; omnis autem quæstio, sive formalis & explicita, sive virtualis & implicita, quærit, an res potiùs sit, quàm non sit. Ergò omnis quæstio omnisque dubitatio necessariò versatur inter utramque partem contradictionis; sed hoc ad dubitationem non sufficit, nisi quæstio relinquatur indecisa; si enim decidatur, eo ipso dubitatio tollitur, quia quæstio terminatur, & animus non amplius vacillat de veritate rei propositæ, sed figitur in absoluto judicio de veritate unius, & de falsitate alterius partis contradictionis.

Secunda definitio penitiùs rem explicat, quia ostendit, in quo hæc vacillatio animi consistit; nimirum in eo, quòd, stante propositione quæstionis, judicium illius decisivum suspendatur, & animus ita feratur in utramque partem, ut, vel judicativè per mentem, vel affectivè per voluntatem, reputet neutram esse sufficienter propositam ad ferendum judicium.

3. Hoc ut meliùs intelligatur, & tota essentia dubitationis clarè explicetur, sciendum est, animum dubitantem aliqua ratione ferri, seu moveri in utramque partem contradictionis; quomodus, si ritè explicetur, tota dubitationis essentia explicabitur. Inprimis, motus ille non est mera apprehensio utriusque partis contradictionis, cum negatione judicii determinantis ullam ex illis, alioquin dubitaremus in materia fidei quoties utramque partem contradictionis apprehenderemus, & actum fidei non eliceremus, quod est absurdum, quia qui dubitat in fide, est infidelis, & peccat. At non peccat, qui habet apprehensiones contrarias de materia fidei, ut patet in tentatis de fide, etsi tunc actum fidei non eliciant. Ergò dubitare de aliqua re plus est, quàm apprehendere illam una cum parte opposita, & de neutra judicium formare. Itaque propriè loquendo dubitare dicit ordinem ad veritatem, ita ut animus tendat in utramque partem, inquirendo & quasi interrogando quæ sit vera, atque ex quodam veritatem sciendi desiderio, respiciendo, an, & quæ sint motiva pro quæstione determinanda; hæc si adsint nondum est propriè dubitatio, quia omnia hæc in materia fidei adesse possunt absque peccato, & quod plus est conjungi possunt cum judicio terminante quæstionem, quo dubium tollitur. Itaque illis superaddi debet suspensio, seu carentia judicii terminantis quæstionem. Sed neque hoc sufficit, quia illud variis de causis suspenditur in materia fidei absque peccato, & consequenter absque dubitatione. Itaque ut propriè dubitemus, judicium illud suspendi debet ex quadam animi dispositione, qua ita ferimur in rem propositam, atque ita ad illam afficimur, ut vel diserte & explicitè, vel certè virtualiter & implicitè reputemus rem esse incertam, nec sufficienter propositam, ut fidem mereatur; quod quomodo fiat, mox uberiùs explicabitur. Natura dubitationis declarata.

4. Interim hinc patet, neminem dubitare in fide, qui tentationes patitur contra fidem, dummodò aut expresse contemnat argumenta, quæ difficul- Quis dubitet in fide?

difficultatem ingerunt, aut non ita ea respiciat, ac si res esset apud eum incerta, nec sufficienter proposita ad fidem; dummodo enim hac ratione non fertur in quæstionem, animus non vacillat, nec titubat, in qua tamen vacillatione, ac in utramque contradictionis partem titubatione consistit formalis ratio dubitationis. E contrario, qui taliter respiceret argumenta contra fidem ac cum hac animi dispositione ea ruminaret, quasi mysterium non esset sufficienter propositum, ad merendam fidem, propriè vacillaret, ac dubitaret, dubitandoque contra fidem peccaret, quia primam veritatem sufficienter loquentem & se exprimentem contemneret.

Definimus dubitationē quæ sit actus humanus.

5. Itaque omnia assignata necessaria sunt ad dubitationem propriè dictam. Propriam, inquam, & voluntariam dubitationem, quæ sit actus humanus & imputabilis; nam si quis contenderet, omnem propositionem quæstionis, unà cum negatione judicii determinantis quæstionem, esse propriè dubium, & quandam animi vacillationem in utramque partem, quamvis homo aut explicitè, aut virtualiter existimaret, veritatem per terminos quæstionis explicatam, esse sufficienter propositam ad fidem merendam, is faceret quæstionem de nomine, in qua, etsi illi subscriberem, adhuc dicerem, tale dubium esse dubium indeliberatum, & dubium quod ad actiones propriè humanas non pertinet. At ego definio dubium propriè humanum, in sensu quo dubium rigorosè accipitur, dum ex *cap. 1. de Hæreticis*, dicimus, *dubium in fide esse infidelem.* Cæterùm, facilè erit dubium universaliter sumptum definire, modò dubium illud involuntarium supponatur esse propriè dubium; sic enim definiri potest, *Est motus mentis inter utramque partem contradictionis, seu quæstionis propositæ, & neutram absoluto judicio terminantis.*

Definitio dubitationis prout præscindit à perfecta, & ab involuntaria dubitatione.

Hæc definitio complectitur omne dubium, tam voluntarium, quàm involuntarium, quamvis dubium involuntarium, meo judicio, sit solùm dubium secundùm quid, & quædam dubitationis introductio, seu dispositio quædam ad perfectè dubitandum. Sed in hoc, utpote in quæstione de nomine, non immoror.

Ad dubitationem non requiritur, absolutum judicium de insufficientia motivi ad terminandā quæstionem.

6. Scio Suarium, & alios ad essentiam dubii requirere judicium absolutum de insufficientia medii ad judicandum. Et sanè haud dubiè hujsmodi judicium plerumque intervenit, quando propriè dubitamus. Jam si hanc sententiam sequamur, perspicuum est, omnem dubitantem in fide esse infidelem, quia facit Deum mendacem, cùm culpabiliter eliciat judicium erroneum, quo dicit mysterium fidei, quod sufficienter illi propositum est, non esse certum, nec sufficienter propositum. Cæterùm, quia plures docent, tale judicium non requiri ad dubium propriè dictum, ne quidem in materia fidei, quo peccatum infidelitatis committitur, ideo in definitione usus sum modo loquendi minùs stricto; dixi enim dispositionem dubitantis involvere tale judicium, vel expresè, vel saltem virtualiter & implicitè. Tunc autem judicium illud involvitur implicitè in materia fidei v. g. quando voluntas argumentis in contrarium propositis ita deterretur, ut quodammodo desperet se de veritate rei propositæ certificandum; unde formidans de veritate, ac vacillans de certitudine mysterii ita respicit argumenta contraria, atque ita ad illa afficitur ac si essent magni momenti, & non prorsus contemnenda ob argumenta Mysterii veritatem ac certitudinem proponentis. Hac ratione voluntas ita

Homo sine tali judicio

afficitur ad motiva fidei sufficienter propositæ, ut illâ affectivè minoris æstimet, quàm si magno animo in illa tanquam certa & summa fide dignissima ferretur, & ideo peccat, quia affectivè fertur in Deum loquentem, ac si non loqueretur & non esset summâ fide dignus; quod non minùs est affectivè facere Deum mendacem, quàm intellectualiter fit mendax quando sufficientia motivi ad firmiter credendum absoluto judicio negatur. Cæterùm hæc voluntatis dispositio videtur posse reperiri absque eo, quod absolutum judicium de materiæ propositæ incertitudine, aut de medii propositi insufficientia ad habendam fidem certissimam eliciatur; quia judicium illud, utpote inevidens & falsum, non potest elici, nisi dependenter ab imperio voluntatis, quod imperium deesse potest, quamvis voluntas modo dicto dispositа fuerit; cùm illa dispositio non videatur inferre imperium, dependenter à quo tale judicium proximè elicitur. Porrò hæc voluntatis dispositio peccaminosa est, sive eliciatur, sive non eliciatur dictum judicium, quia Deum sufficienter loquentem contemnit, dum formidolosè ac vacillanter fertur in eum, ac si non loqueretur, & non esset hìc & nunc dignus summâ fide circa Mysterium propositum. Et sanè hac ratione voluntas eodem modo, æquivalenter saltem, peccat peccato infidelitatis, ac si imperaret assensum explicitè dicentem, *res est incerta*, Hinc patet cur omnis dubius in fide sit infidelis.

potest dubitare in fide, & peccare peccato infidelitatis.

Dubitatio alia positiva, alia negativa, utraque definitur.

7. Itaque utralibet harum dispositionum sufficit ad constituendum dubium propriè dictum; & quidem illa voluntatis affectio necessariò requiritur, cùm sine illa judicium illud absolutum elici nequeat, ut patet. Cæterùm si neque intellectus judicet rem esse dubiam & incertam, neque voluntas de certitudine rei propositæ dictâ ratione formidet, nullum erit dubium proprium ac deliberatum, quamvis quæstio proponatur & non solvatur, sed solùm erit dubium imperfectum & indeliberatum.

Hæc nostra definitio complectitur omnem propriam dubitationem, tam negativam, quàm positivam. Dubitatio negativa est *Vacillatio ac hæsitatio animi inter utramque partem contradictionis cum defectu omnis motivi impellentis ad assensum ullius ex partibus contrariis.* Dubitatio positiva est *Vacillatio ac hæsitatio animi inter utramque partem contradictionis cum motivo impellente ad assensum, vel retrahente ab assensu alterutrius ex partibus contradictionis.* Itaque in dubitatione negativa intellectus necessariò hæret inter utramque partem, quia ad neutram impellitur. At in dubitatione positiva animus vacillat, & intellectus hæret, quamvis moveatur vel in unam vel in utramque partem contradictionis per aliquod motivum, quia voluntas modo dicto suspendit judicium decisivum quæstionis. Quando motivum adest pro una tantùm parte contradictionis, tunc dubitatio est positiva ex una tantùm parte; est autem dubitatio undique seu ex omni parte positiva, quando datur motivum pro utraque parte contradictionis & mens inter utramque hæret, ita ut quæstio respiciatur ut anceps, & nec explicitè nec implicitè determinetur juxta dicta

Duo errores Celladei.

8. Duo circa hanc quæstionem displicent in Celladeo: primum est, quòd asserat, dubitationem negativam non esse propriam dubitationem, eò quòd de talibus non sit propriè dubitare sed nescire, quod toto cœlo differt à dubitatione. Secundum est, quòd dubium negativum (si sit propriè dubium) & dubium positivum una definitione definiri non possint, quia nulla est ratio una,

una, quæ communis sit negativo & positivo, quod supponit tanquam manifestum ex Logica & Metaphysica. Utrumque hoc assertum falsum est.

Dubium negativum est propriè dubium.

Inprimis dubium negativum ab omnibus fermè Auctoribus recentioribus pleno ore vocatur dubium; incredibile autem est, in notione vocis tam usitatæ omnes errare. Præterea Celladeus apertè fatetur, Auctores, quorum plures affert §. 1. ita definire dubitationem, ut æquè involvant dubium negativum, ac positivum. Ergò omnes censent dubium negativum esse propriè dubium, cùm illud sub dubii definitione complectantur. Ergò Celladeus immeritò dicit, dubium negativum non esse propriè dubium. Præterea, presse loquendo, si aliquod dubium à ratione proprii dubii excludendum esset, illud potius esset dubium positivum, utpote quod ob rationes allicientes ad assensum, & sæpè vehementiùs allicientes ad unam partem quàm ad aliam, magis accedit ad suspicionem & ad opinionem, quæ uni parti magis alligatur quàm alteri, quàm ad dubium rigorosum, quod in quadam æqualitate ad utramque partem contradictionis consistere videtur, & in ordine ad quam ab Auctoribus communiter explicatur. Hujusmodi autem æqualitas potissimè locum habet in dubio negativo.

Dubiũ positivum ac negativum una definitione comprehenduntur.

9. Fallitur etiam in secundo asserto; quia ex dictis constat, utrumque dubium sub una ratione ac definitione comprehendi. Nec obstat, quòd positivi & negativi ratio una non detur; quia ex ea doctrina non magis sequitur dubium positivum & negativum non posse unâ definitione comprehendi, quàm sequatur, animal rationale & animal carens ratione non posse unâ definitione definiri, eò quòd rationale & non rationale, seu positivum & privativum seu negativum non conveniant in una ratione. Fateor equidem tam hæc quàm illa non posse una ratione comprehendi, quæ explicet rationem differentialem utriusque; sed hoc non tollit, quo minùs utrumque comprehendatur unâ ratione, quæ explicet rationem genericam, in qua conveniunt. Itaque in hoc etiam æquivocavit Celladeus, ob terminos illos: *Dubium negativum & positivum.* Termini enim isti non explicant rationem genericam, sed specificant differentias dubii; ergò ex illis solùm sequitur differentias illas in propria significatione non posse comprehendi una definitione, quod verissimum est; sed nil facit ad rem.

Positivum & negativũ alterius formæ possunt una definitione comprehendi.

10. Præterea, etsi positivum, & negativum illi positivo oppositum non possint unâ definitione comprehendi, quando sumuntur secundùm se; possunt tamen, quando res definienda ex una parte constat positivo, & ex altera parte constat negativo, quod illi positivo non opponitur, sed alteri. Sic cæcum, sic tenebrosum, & quævis concreta ex positivo & privativo unâ ratione definiuntur. Idem evenit in casu nostro; dubium enim duo dicit. Dicit primò propositionem quæstionis, cum dispositione animi explicitè seu implicitè & æquivalenter dicentis deesse argumenta sufficientia ad judicandum. Hæc omnia sunt positiva. Dicit secundò, negationem judicii terminantis quæstionem, quod negativum est, sed non opponitur priori positivo, ut patet. Jam hæc duo unâ ratione explicari possunt, ut patet. Ea autem reperiuntur in omni dubio tam positivo quàm negativo; & hæc est propria ratio & essentia dubii ut sic. Jam dubium positivum huic constato addit aliud positivum pro sua differentia, nempe rationes vel allicientes ad assensum, vel ab assensu retrahentes; dubium verò negativum dicto conflato superaddit aliam negationem, nempe carentiam talium rationum. His positis, quæ perspicua sunt, quid quæso, ex eo infertur, quòd nulla detur ratio communis huic secundo positivo & suo proprio negativo, seu rationibus allicientibus & negationi rationum allicientium? sequitúrne ex hoc, quòd nulla detur ratio communis duobus conflatis, quorum utrumque involvit unum idemque specie positivum, & unum idemque specie negativum, sed negativum alterius formæ, quando in ordine ad hæc concreta inferenda vel impedienda prius illud positivum & negativum impertinenter se habet? At hic est casus noster. Dubium enim est conflatum, quod ex tota allata positiva propositione quæstionis, & ex negatione judicii solventis quæstionem componitur. Hoc conflatum indifferens est, ut jungatur rationibus, aut negationi rationum. Itaque si ex una parte sumatur conflatum constans ex positiva propositione quæstionis, ex negatione judicii terminantis quæstionem, & ex negatione rationum allicientium ad eam determinandum, verissimè de isto conflato dicitur quod contineat positivam propositionem quæstionis, & negationem judicii solventis quæstionem; idem verissimè dicitur ex altera parte de conflato, quod constat ex eadem positiva quæstionis propositione, ex negatione judicii quæstionem determinantis, & ex rationibus allicientibus ad assensum; de hoc enim conflato propriissimè dicitur, quod contineat propositionem quæstionis, & negationem judicii solventis quæstionem. Ergò conveniunt in una eademque ratione communi utrique dubio, quæ totam dubii essentiam continet. Ergò utrumque dubium univocè convenit.

11. Præterea miror Celladeum pro certò habere, positivum & negativum in nullo convenire univocè. Sunt quidem hæc de re variæ opiniones; at dicere, opinionem negantem illam univocationem esse certam, longissimè aberrat à veritate. Communis, & apud me verissima, opinio est, negativum objectivum non esse ens impropriè & absolutè dictum, sed ens verè positivum exclusivum alterius prout dat fundamentum negandi alterum. Quid ergò? dicemúsne, nullam inter positiva dari rationem univocam? absit. Illa profectò non minùs conveniunt in una aliqua ratione, quàm actus nostri affirmativi & negativi conveniunt in ratione cognitionis, judicii &c. Sed esto, negativum sit ens impropriè & abusivè dictum, ánne ideo certum est, nullam dari rationem communem positivo & negativo? nónne utrumque adhuc est cognoscibile? nónne utrumque est verificativum propositionis? quid plura? nónne in Physica ab omnibus traditur, privationem esse unum ex tribus principiis corporis in fieri? certúmne est & evidens, definitionem principii non convenire univocè materiæ, formæ, & privationi? nullo modo; imò oppositum est probabilissimum, & meo judicio absolutè verum. Ergò Celladeus immeritò supponit tanquam certum, quod positivum & negativum univocè convenire non possint.

Nonnulli putant, quod positivum & negativum non conveniant univocè, in eo quod positivum est, negativum objectivum non esse ens impropriè & absolutè dictum, sed ens verè positivum exclusivum alterius prout dat fundamentum negandi alterum. Quid ergò? dicemúsne, nullam inter positiva dari rationem univocam? absit. Illa profectò non minùs conveniunt in una aliqua ratione, quàm actus nostri affirmativi & negativi conveniunt in ratione cognitionis, judicii &c. Sed esto, negativum sit ens impropriè & abusivè dictum, ánne ideo certum est, nullam dari rationem communem positivo & negativo? nónne utrumque adhuc est cognoscibile? nónne utrumque est verificativum propositionis? quid plura? nónne in Physica ab omnibus traditur, privationem esse unum ex tribus principiis corporis in fieri? certúmne est & evidens, definitionem principii non convenire univocè materiæ, formæ, & privationi? nullo modo; imò oppositum est probabilissimum, & meo judicio absolutè verum. Ergò Celladeus immeritò supponit tanquam certum, quod positivum & negativum univocè convenire non possint.

Incongruum Celladeo supponitur reclamat.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

12. OBJICIES primò. Dubitare negativè est nescire, quod toto cælo differt à propriè dubitare. Ita Celladeus §. 4.

Nescire duplex, unum dicit privationem, alterum negationem.

Respondeo, nos in duplici statu nescire res. Primus est, quando res nunquam fuit proposita, aut quando de illa non cogitamus. Secundus est, quando

quando quæstio proponitur, & non solvitur. Hinc statim apparet fallacia & æquivocatio argumenti: nescire rem ut sic, prout præscindit ab utroque statu nescientiæ vel ignorantiæ, differt à dubitatione sicut genus à specie; & nescire in primo statu differt à nescire in secundo statu sicut duæ species dividentes idem genus inter se discrepant. At nescire rem, quando quæstio proponitur an sit vel non sit, & quando animus post veritatem quæsitam hæret & vacillat modo dicto, non magis differt à dubio propriissimè dicto, quàm homo ab animali rationali, aut definitio à definito.

13. Ob. 2. Nisi animus vacillet, nulla est propria dubitatio. At animus in dubitatione negativa non vacillat. Animum enim vacillare est illum in diversa trahi, seu ad unum trahi, & ab eodem retrahi, quod solùm evenit in dubio positivo, non in negativo, in quo nulla prorsus sunt motiva impellentia aut retrahentia. Ergò dubitatio negativa non est propriè dubitatio.

Vacillatio animi in quo consistat?

Respondeo negando minorem; per hoc enim animus vacillat, quòd feratur in utramque partem contradictionis, & nulli illarum assensum præbeat, dummodò feratur in illas per modum quærentis sed non invenientis veritatem, ac proinde suspendat assensum, eò quòd aut clarè videat, aut certè intellectualiter judicet, vel affectivè reputet deesse motivum sufficiens ad ferendum judicium; per hoc enim animus formaliter hæsitat inter utrumque membrum quæstionis propositæ, atque, per hæsitationem illam, eam indecisam relinquit; & hoc est vacillare circa quæstionem ejusque decisionem, quia est positivè ferri in utramque partem per motum quendam, absolutè impeditivum & exclusivum judicii terminantis quæstionem in partem alterutram. Et ut vitetur his de nomine, declaro me hoc intelligere nomine vacillationis & hæsitationis animi. Quod si aliter terminos accipias, dicasque, animum debere in diversa trahi per motiva impellentia ad assensum & ab assensu retrahentia, ut propriè dubitet, major syllogismi propositio est falsa, atque ita objectio nil concludit.

Objectio non exprimit essentialem differentiam vacillationis.

14. Et sanè in omnium sententiâ forma constituens vacillationem, de qua loquimur, non est mera tractio animi in diversa. Nam etiam dum actu credimus aut opinamur, sæpè trahimur in diversa, quia motiva retrahentia aliquid operantur, nec tamen ideo vacillamus in fide; imò, quod plus est, sæpè motiva contraria impellunt animum in diversa etiam in materia fidei, quando actu non credimus. Nec tamen ideò vacillamus in fide, modò intellectus nec expresè nec tacitè dicat, rem esse incertam; nec voluntas ita detereatur motivis à fide repellentibus ut æstimet opposita minoris quàm par est, aut ad ea aliter afficiatur, quàm si firmissimè crederet ea esse verissima. Ergò omnes tandem debent dicere, formam propriam vacillationis animi non esse dispositionem in objectione explicatam, sed dispositionem, quam ego disposui; quæ quia aliquando se tenet solùm ex parte voluntatis, aliquando ex parte etiam intellectûs, ideo dubitationem explicui potiùs per vacillationem & hæsitationem *animi*, quàm per vacillationem *mentis*, *vel intellectûs*, quia scilicet forma positiva ultimò complens vacillationem dubitationi essentialem non semper est in intellectu, sed aliquando in voluntate, nec proinde magis propriè animum, quàm intellectum reddit vacillantem; animus enim significat subjectum utriusque potentiæ, quod proinde ab utriusque potentiæ dispositione denominationem accipit. Neque ideo sequitur, intellectum ipsum non posse ultimò accipere denominationem vacillantis à tali dispositione voluntatis; sæpè enim denominationes alicui potentiæ convenientes ultimò complentur per dispositionem alteri potentiæ inhærentem. Sic voluntas constituitur proximè libera per cognitionem indifferentem, & intellectus non aliter dicitur errare invincibiliter, quàm si nulla negligentia ex parte voluntatis præcesserit. Ergò idem dici poterit in dubitatione & vacillatione mentis. Volui tamen potiùs uti termino *vacillatio animi*, quàm termino, *vacillatio intellectûs*, ob rationem jam dictam.

Alia replica rejicitur.

15. Demùm si adhuc contendas, vacillationem & hæsitationem animi, præter omnia à me dicta, includere etiam tractionem mentis in diversa per motiva allicientia & retrahentia; non sum qui velim obstinatè dissentire in acceptione vocis; sed tunc simul dico, definitionem allatam non esse definitionem dubitationis ut sic, sed solùm dubitationis positivæ; pro definitione autem dubii ut sic, loco termini *vacillatio* ac *hæsitatio* ponendus erit *Motus animi*, qui præscindit ab eo, an motus ille consistat in motivis ad contraria allicientibus, vel in mera quæstionis propositione; nam illa etiam est motus mentis in utramque partem contradictionis, ut patet; huic motui si aliæ particulæ definitionis applicentur, habebitur exacta definitio dubitationis ut sic.

16. Ob. 3. Judicium illud, sive reflexum sive directum, quo dicimus, rem esse incertam, seu deesse motiva sufficientia ad judicium ferendum, est finis dubitandi; quia quando eò ventum est, plerumque desistimus à dubitando. Ergò illud judicium non spectat ad rationem dubitationis. Ita Celladeus §. 4.

Finis, seu terminus rei, sæpè constituit ipsam rem.

Respondeo tale judicium sæpè esse finem, seu terminum dubitationis, sed intrinsecum; quia est ultimum positivum per quod completur, & sine quo non habetur proprium & adæquatum constitutivum dubitationis, ut constat ex dictis. Itaque argumentum non valet, quia ratio finis seu termini non opponitur constitutivo; sic ultimum in generatione hominis est unio, quæ tamen constituit hominem; & ultimus dies anni est finis ejusdem, quem tamen constituit.

Celladeus insufficienter explicat naturâ dubitationis.

17. Cæterùm, miror, tanto conatu Celladeum excludisse hoc judicium à constitutivo dubitationis; quia multum urget illud effatum, *dubius in fide est infidelis*, eoque tanquam principio utitur ad indagandam propriam dubitationis rationem, & tamen omnia, quæ ponit tanquam constitutiva dubii, scilicet motus intellectûs in utramque partem contradictionis, investigatio rationum pro utraque parte, desiderium sciendi veritatem, & conatus ac studium ut inveniatur &c. Omnia, inquam ista, sæpè inveniuntur in homine fideli, quando actu non credit; quia omnia illa justis de causis laudabiliter considerari possunt, etsi actus fidei non eliciatur. Ergò talis homo dubius est in fide juxta Celladeum, & consequenter peccat. At hoc falsum est, & ni fallor, Celladeus id habet pro falso; saltem ita loquitur, ac si illud ut falsum reprobaret. Ergò & insufficienter explicat rationem dubitationis, & in sua explicatione inconsequenter procedit. Quod si dicat, illa ad dubitationem propriam non sufficere, sed insuper requiri talem dispositionem animi ut feratur in motiva fidei, eaque respiciat aut æstimet ut incerta (& hoc dicere debet ut quis in materia fidei sit dubius) eo ipso incidit in sententiam, quam

Et inconsequenter dicunt.

impugnat, sibique contradicit, quia ista dispositio vel formaliter, vel virtualiter includit dictum judicium, & haud dubiè rarò aut nunquam ab illo separatur. Et sanè ille nec vacillat nec hæsitat, qui voluntate ita affectus est erga motiva fidei, ut respectu illorum omnia prorsus contemnat tanquam nullius ponderis, etsi interim nullum actum fidei eliciat, sed seriò contempletur tam rationes fidei faventes quàm argumenta contraria, ut suus tandem veritati locus detur per judicium. Ratio est, quia talis homo ita affectivè firmiter fixus est in fide, licèt nullum illi assensum præbeat, ut naturaliter loquendo repugnet illum elicere actum intellectûs, quo dicat mysterium fidei esse falsum, aut incertum. Talis ergò dispositio hæsitationem omnem, omnemque vacillationem animi excludit, & consequenter tollit omnem propriam dubitationem in materia fidei. Imò hæc voluntatis dispositio, in ordine ad firmandos nos circa veritatem Mysterii, æquivalet actui fidei, ideoque ex hoc etiam capite excludit vacillationem animi, & dubitationem; opposita autem dispositio manifestam vacillationem includit, & consequenter constituit dubitationem. Cæterùm Celladeus de hac dispositione nullam mentionem saltem explicitam facit, ideoque insufficienter explicat naturam dubitationis, cùm ea minimè declaret, in quibus potissima vis & energia dubitationis consistit.

Vacillatio ac dubitatio excluditur per dispositionem voluntatis absque judicio intellectûs.

Dubitans comparatur ligato.

18. Hinc patet omnem dubitantem, ab Aristotele *3. Metap. cap. 3* ritè comparatum fuisse ligato; quia intellectus ita dubio impeditur, ut non possit ad ulteriora procedere, sicut ligatus progredi nequit.

Dubitatio positiva multùm cõducit ad rectè solvendum quæst.

19. Rursus patet, dubitationem positivam plurimum conducere ad solidam quæstionis resolutionem, nemo enim rectiùs judicat, quàm qui omnes rationes pro utraque parte expendit; ut Philosophus eodem etiam loco observat.

Non dubitamus de iis, quæ non curamus, aut quæ novimus esse impossibilia.

Tertiò, patet, nos de iis, quæ non curamus, aut quæ scitu impossibilia novimus, non solere dubitare. Ratio est, quia de illis plerumque nullam quæstionem instituimus, nulloque conatu aut desiderio illorum veritatem eruendi incitamur; & quod consequens est, nec explicitè nec implicitè de illis judicamus, quòd motiva sufficientia ad veritatem illorum asserendam desint; quia sicut negligimus res illas, sic de motivorum ad illas spectantium qualitate solliciti non sumus. At sine istis propriè non dubitamus; omnis enim dubitatio dicit ordinem ad veritatem, qui ordo in eo consistit, quòd ex quodam sciendi desiderio proponamus rem, & interrogando inspiciamus an sit vera nécne. Itaque quando hic ordo deficit, tollitur etiam dubitatio.

Horum trium corollariorum mentionem fecit Celladeus, atque acutè observavit, ea cum recta definitione dubitationis debere cohærere. Congruum proinde fuit de illis etiam mentionem facere, & ostendere, quomodo cum nostra definitione cohæreant, atque ad illam necessariò consequantur.

Dubitatio cohæret cũ ratione acuta & acutissima.

20. Ob. 4. Omnis qui dubitat, ratione motus dubitat, & qui benè dubitat, cum gravi ratione dubitat: certè in praxi videmus, S. Thomam, & alios quæstionem moventes, statim proponere rationes dubitandi, quod signum est, dubitationẽ esse cum ratione. Præterea Philosophus *2. Elench. cap. 7.* dicit, quòd oratio acuta maximè faciat dubitare, quia maximè mordet; quódque quò acutior est oratio, eò magis inquirentem exerceat. Pergit similia asserere de orationibus acutissimis, quas tunc ad-esse ait, quando id, quod maximè probabile est, tollitur & confutatur maximè probabilibus. Acutissimæ ergò rationes tollunt maximè probabilia, & sic dubitationem inducunt. Est ergò dubitare, stantibus rationibus acutis immò acutissimis, ac difficillimis. Errant ergò, & Philosopho contradicunt Probabilistæ, qui sic discurrunt: habeo rationem quæ evidenter non solvitur, ergò habeo, non quidem dubitare, sed prudenter assentire & quiescere, tametsi Adversarius rationes oppositas similes habeat.

21. Præterea, æquè petere est ab omni dubitante *cur*, sicut est quærere *de quo*. Jam omnis dubitans interrogatus de quo dubitat, ineptit, si respondeat de nullo dubito, vel nescio de quo dubito. Ergò similiter ineptiret dubitans, si interrogatus, an dubitet, responderet, dubito nulla de causa, aut nescio cur dubitem. *Dubitans habet cur dubitet.*

Rursus, quod de agendis est deliberare, hoc est dubitare de inveniendis. Sed omnis deliberans habet *cur*, seu rationem & causam deliberandi. Ergò & omnis dubitans rationem dubitandi.

22. Demùm dubitatio est instar nodi, quo dubitans impeditur. At nodus ille non est pura privatio, seu negatio rationum, quia talis negatio est potiùs causa quiescendi, & negandi, aut dormiendi. Ergò omnis dubitatio est propter rationem. Ergò dubitatio negativa non est propriè dubitatio, quia proprietates allatæ dubitationis illi non conveniunt. Ita Celladeus *lib. 4. quæst. 2. §. 2.* Quod confirmari potest ex eis, quæ habet *§. 3. & 5.* ex eo scilicet, quòd finis ultimus dubitationis sit veritatis inventio; proximior autem ejusdem finis sit mordere, exercere, atque excitare dubitantem ad veritatis indagationem; quæ locum non habent in dubio negativo, in quo deest motivum ad motum, & actum dubitandi; unde de similibus nil interrogamus, nec consulimus, nec circa talia laboramus, vel exercemur, aut ullam passionem dubitantium habemus. Et sanè dubitare de rebus negativè dubiis est otiosum ac inutile, ac proinde vitiosum, imò & impossibile; quia nemo movetur ad id, quod novit esse impossibile. *Verum dubitatio negativa habeat proprietates allatas Celladeus?*

23. Respondeo inprimis: Esto omnia, aut pleraque ex istis locum non habeant nisi in dubio positivo, quid inde? ex eo profectò non magis sequitur, nullum dari proprium dubium negativum, quàm sequatur ostrea aut lumbricos non esse animalia, quia acutissimis videndi ac audiendi operationibus carent. Quoties Auctores de animalibus agentes extollunt perfectionem talium sensationum, atque eas animalibus convenire pleno ore tradunt, an ideo censendi sunt existimare, ea propriè animalia non esse, quibus illæ non competunt? minimè; quia non semper loquuntur in rigore generico & de omni, quoties utuntur, voce genericâ, sed sæpè indefinitè loquuntur ut notum est. Idem in casu nostro evenit, quia Doctores, dum de natura dubitationis prosè agunt, expresè dividunt illam in duas species, nempe in positivam & negativam, sicut Animal dividitur in id quod pollet omnibus quinque sensibus, & in illud quod aliquo eorum caret. At postea quando indefinitè agunt de dubio, solent exempla ponere de dubitatione positiva, utpote quæ est maximè notoria species dubitationis, atque illius tantùm proprietates maximè obvias proponere, sicut etiam consueverunt facere, quando de Animalibus agunt. At in utroque casu eisdem prorsus argumentis convincuntur loqui indefinitè, non autem universaliter de omni. *Argumentum Celladei missum non probant intentum.*

Itaque

Itaque ex istiusmodi loquutionibus nullatenus sequitur, dubitationem negativam non esse propriam dubitationem, sed, si omnia perpendantur, oppositum elicitur, quod ex secunda responsione clariùs patebit.

Passiones dubitantis, aut omnes aut pleræque inveniuntur in eo, qui negativè dubitat.

Respondeo ergò secundò pleraque ex allatis in objectione locum habere in dubitatione negativa, quando illa existit. Inprimis verum est, quod dubitans negativè aliqua ratione moveatur, scilicet eâ, quòd fortasse inventurus sit veritatem, quam invenire desiderat, & ideo quæstionem sibi proponit, & circumspicit ut rationem pro ejusdem solutione inveniat. Jam non existit dubitatio negativa, nisi quando ista existunt, quæ profectò nec superflua sunt, nec inutilia, cùm nos ad conatum maximum adhibendum excitent, quo conatu non tendimus in rem impossibilem, sed quærimus rem, quam speramus inveniendam. Et sanè si petas à tali dubitante cur dubitet, respondebit, se dubitare, quia quærit veritatem rei, pro qua determinanda nullam rationem adhuc invenit, sed invenire conatur & cupit. Quod cùm ita sit, manifestum est omnem negativè dubitantem ita se habere circa rem inveniendam, sicut qui deliberat circa rem agendam, imò & nodo quodam impediri, quo minùs pergat ad perficiendum quod cupit perficere: quis autem non videt veritatis inventionem esse finem intentum à tali dubitante, qui certè excitatur ad eam quærendam, etsi acutis aut mordacibus rationibus nec impellatur ad assensum, nec ab assensu retrahatur?

Error Celladei contra apertam veritatem.

Immeritò proinde & contra apertam veritatem Celladeus objecit, nullam dubitantis passionem inveniri in negativè dubitante, cùm omnis fermè positivè dubitantis passio in eo reperiatur. Nil etiam probat exemplum S. Thomæ & aliorum, qui quæstione propositâ rationes dubitandi ante solutionem præmittunt; illi enim non agunt de omnibus, de quibus quæstionem apud se moverunt, ac dubitarunt, sed solùm de illis, quæ post dubitationem solverunt, quæque alios docere intendebant. At talia sunt dubia positiva, ut patet; sed nec omnia dubia sua positiva proposuerunt; sed ea solùm, quæ potuerunr probabili ratione solvere. Anne ideo inferes, nullum fuisse dubium apud illos, quod non solverint? Apage; contrarium est nimis clarum. Unde ex horum praxi nullatenus sequitur, dubitationem negativam non esse propriè dubitationem.

Celladeus confundit dubium negativum sumptum pro objecto, cum dubio negativo, sumpto pro actu.

24. Æquivocavit ergò Celladeus in hac re, ejusque æquivocatio in eo consistit, quòd non benè distinxerit inter dubium negativum, sumptum pro objecto, & sumptum pro actu. Dubium negativum, sumptum pro objecto, potissimè significat ea, de quibus jam constat, nullam nobis rationem suppetere ad alterutram partem determinandam. Jam postquam hoc nobis innotuit, omnis conatus circa veritatis indagationem cessat, sicut & desiderium sciendi rem illam, utpote quam scitu impossibilem novimus. Similiter de illis quæstionem ampliùs non movemus, nisi fortasse aliquando vocaliter per modum exempli, non autem interiùs in mente ad veritatem indagandam. Hinc ergò est, quod de istiusmodi objectis amplius non dubitemus, etsi illa sint, & immobiliter denominentur habitualiter dubia à dubitatione negativa, quæ circa illa primitùs versata est. Similiter verum est, quòd circa illa nullas proprias debitantis affectiones & passiones habeamus. Hæc omnia Celladeus ipsi dubitationi negativæ actu existenti attribuit, & ideo deceptus est; nam si dispositionem hominis actu negativè dubitantis excussisset, vidisset profectò illam omnem fermè positivè dubitantis passionem & motum habere.

Aristoteles citatus non probat intentum.

25. Ad illud Aristotelis dico, Philosophum loqui potissimùm de illis, qui sententiam suam jam stabiliverant, de quibus verum est, quòd objectio acuta, & multò magis acutissima eos vacillare ac dubitare faciat. Potest etiam referri ad audientes, & alios omnes, qui suam sententiam nondum stabiliverunt; illi enim maximè moventur ejusmodi rationibus acutis ac difficilibus, atque vi illarum titubant, vacillant, ac dubitant. Unde nemo negat vacillationem animi, ac dubitationem componi posse cum rationibus acutissimis ac validissimis; omnes enim fatentur, nos dubitare posse etiam in materia fidei, etsi motiva pro fide sint prævalentissima, non solùm absolutè sed etiam comparatè ad motiva opposita. Itaque Celladeus Auctoribus benignæ sententiæ oppositum falsò imponit. Dicunt illi quidem, se, cùm ad probabilitatem pervenerint, non ampliùs dubitare, sed jam sufficienter paratos esse ad dubium deponendum, & conscientiam debitè formandam; nec tamen negant se posse absolutè dubitare, quia hæc duo sibi non contradicunt, ut mox patebit *quæstione sequenti.*

Non docemus, quæ Celladeus nobis attribuit.

ASSERTIO SECUNDA.

Propositum sit explicare quid sit dubium, si dubium sumatur pro objecto.

Quid sit, objectum esse dubiũ;

26. HACTENUS explicuimus, quid sit dubium sumptum pro actuali dubitatione, seu pro affectione animi, per quam actu dubitavimus; supereſt, ut explicemus quid sit dubium sumptum pro objecto; nam res ipsas dubias dicimus, quando de illis dubitamus. Celladeus *in titulo quæst. 1.* de utroque quæstionem instituit, sed post suam sententiam de natura dubitationis expositam, videtur oblitus alterius partis quæstionis propositæ, non enim explicat quid sit, objectum esse dubium, sed illud omittit, ac si de illo quæstionem non instituisset. Itaque rem breviter expediam.

Denominatio dubii est rebus extrinseca.

27. Inprimis dico, *denominationem dubii esse rebus extrinsecam*: ratio est, quia omnis res in seipsa est certa & determinata. Ergò in seipsa & intrinsecè non est dubia. Præterea omnis res certò & evidenter à Deo cognoscitur. Ergò nulla res est intrinsecè & essentialiter dubia; alioquin non nisi dubiè cognosci posset à Deo, qui omnia novit sicut sunt. At omnia à Deo cognoscuntur ut certa, nihil ut dubium. Ergò omnia sunt in seipsis certissimè vera, & nil est intrinsecè dubium in seipso, ergò denominatio dubii est rebus extrinseca.

Dubium est denominatio relativa;

28. Dico secundò. *Rem esse dubiam est denominatio relativa ad dubitantem.* Patet, quia nil dicitur dubium nisi in ordine ad aliquem, qui dubitat; posito enim hoc respectu, res dicitur dubia; eo ablato, non amplius dicitur dubia. Ergò denominatio dubii consistit in hoc respectu. Præterea; quod est uni dubium, sæpè certum est alteri. Ergò tota ratio dubii est denominatio relativa ad dubitantem.

Res denominatur actu dubia à dubitatione actuali.

29. Dico tertiò. *Res propriè loquendo non denominantur actualiter dubiæ, nisi à dubitatione actuali, quæ versatur circa illas.* Ratio est, quia res non sunt actu dubiæ, nisi prout referuntur ad intellectum actu dubitantem de illarum veritate. Si enim

enim nemo actualiter dubitaret de ulla re, nil esset actualiter dubium, quia nullus actu dubitaret. At non referuntur ad intellectum dubitantem nisi per dubitationem, quæ versatur circa illas, ergò, si propriè loquamur, res non denominantur actualiter dubiæ nisi à dubitatione actuali, quæ versatur circa illas. Præterea, posita dubitatione actuali in intellectu aliisque omnibus ablatis, res, circa quam dubitatio versatur, est actualiter dubia illi intellectui. E contrà, ablatâ dubitatione actuali, aliisque omnibus positis, res non est actualiter dubia. Ergò unica forma denominans rem actualier dubiam est actualis dubitatio circa illam.

Res omni eo modo est dubia, quo subsstat dubitationi.

30. Dico quartò. *Res non denominatur possibiliter seu habitualiter dubia, nisi à possibili vel habituali dubitatione circa illam.* Uno verbo, omnia eâ tantùm ratione sunt & dicuntur dubia, qua subsstant & concipiuntur subsstare dubitationi. Hæc propositio & per se patet, & eodem modo probatur sicut præcedens.

Aliqua sunt nobis necessariò dubia, alia solùm contingenter.

31. Hinc sequitur, aliqua esse, quæ quoad nos sunt necessariò habitualiter dubia; nempe ea omnia pro quibus nullum nobis ad quæstionem determinandam motivum suppetit, qualia sunt numerus arenarum & similia. Hæc omnibus hominibus sunt necessariò habitualiter dubia, quia necessariò subsstant dubio, si in quæstionem & examen accipiantur, cùm nullum nobis suppetat argumentum ad res ejusmodi determinandas. Reliqua sunt accidentaliter dubia; unde quidam de illis dubitant, quidam non dubitant.

Valdè sapientes, & valdè insipientes rarò dubitant.

32. Sequitur secundò tam valdè sapientes quàm valdè insipientes rarò dubitare; eos verò, qui ingenio pollent & scire cupiunt, sed ob defectum disciplinæ & industriæ veritatem ignorant, dubitare frequentissimè. Ratio est, quia valdè sapientes pleraque norûnt, & de omnibus fermè sententiam stabilitam habent unde de illis non dubitant. E contrà, valdè hebetes & insipientes rarò dubitant, quia rarò de rebus incertis cogitant, & si aliquando cogitent, rarò veritatem sciendi desiderio alliciuntur, rarò quæstionem sibi proponunt, rarissimè autem rationes excutiunt & de earum qualitate enunciant. Ergò rarò dubitant.

Omnia incerta sunt dubia, sed non propriè.

33. Dico quintò. *Omnia nobis incerta sunt aliquo modo, & vocantur dubia, sed minùs propriè.* Quòd vocentur dubia, constat ex communi Autorum locutione, qui sæpè omnia ejusmodi appellant dubia. Itaque apud illos dubium in hac acceptione opponitur certo, & proinde omnia opinabilia & omnia etiam opinata complectitur, saltem quando cum actuali formidine opinamur; quia omnia ejusmodi nobis certa non sunt, sed incerta. Verùm hæc acceptio dubii impropria est, quia extenditur ad opinata, quæ propriè loquendo non sunt dubia, cùm per judicium opinativum dubium solvatur, ut patet. Cæterùm objecta hujusmodi non omnino immeritò appellantur dubia, quia in multis conveniunt cum rebus propriè dubiis; in utrisque enim formido falsitatis reperitur, & in utrisque locus datur non solùm judicio de insufficientia motivorum ad quæstionem certò determinandam, sed etiam possibilitati, desiderio, ac conatui veritatem meliùs sciendi, quæ omnia speciem quandam & similitudinem habent dubii propriè dicti, ac proinde omnia incerta non omnino immeritò vocantur dubia; quia etsi dubium rigorosum tollatur per judicium opinativum & formidolosum, nihilominùs illa dubii decisio non perfectè quietat animum, sed relinquit locum ulteriori decisioni, in ordine ad quam habendam animus aspirat, & conatum exhibet, dispositionemque habet similem illi, in qua propriissima ratio dubii consistit. Itaque sicut quævis pars contradictionis, quæ propriæ dubitationi subsstat, est rigorosè dubia, ita etiam unaquæque contradictionis pars, quæ incertitudini subsstat, aliquo modo est, & non omninò immeritò dicitur dubia.



QUÆ-

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA. PRIMA.

Vtrùm dubitare sit nobis liberum? & an sola ratio dubitandi ad solvendam dubitationem sufficiat?

Status & sensus quæstionis.

I. SENSUS Quæstionis est, utrùm, stantibus motivis, propter quæ positivè dubitamus, positum sit in arbitrio voluntatis flectere intellectum in assensum rei dubiæ, etsi nulla nova ratio suppetat, nec priores rationes meliùs percipiantur quàm antea: hoc cöincidit cum secunda parte tituli; si enim dubitare sit nobis eo modo liberum, verùm etiam erit, solam rationem dubitandi sufficere ad solvendam dubitationem; si autem non sit eâ ratione liberum dubitare, sola ratio dubitandi non sufficiet ad solvendam dubitationem, quæ proinde solvi non poterit, nisi vel aliquod novum motivum accedat, vel prior ratio meliùs & efficaciùs proponatur. De hoc argumento Celladeus agit *lib. 4. quæst. 3.* ubi contendit, dubitare nobis liberum non esse, & consequenter asserit, solam rationem dubitandi non sufficere ad deponendum dubium: sed in utroque fallitur, ut ex dictis constabit. Sit ergò

ASSERTIO PRIMA.

In omnibus rebus obscuris, semper liberum est dubitare in eodem instanti, in quo non dubitamus, sed per positivum assensum unius partis quæstionem solvimus.

Liberum est dubitare in eo instanti, in quo non dubitamus.

2. PROBATUR. In omnibus rebus obscuris assensus, qui uni parti præbetur, est liber. Sic fides est libera, ut non solùm experientiâ constat, sed etiam ex unanimi omnium consensu certum redditur. Idem à fortiori valet de aliis judiciis obscuris, quippe quæ minùs validis motivis fulciuntur, quàm fides. Ergò intellectus minùs trahitur ab illis ad assensum, quàm à motivis fidei. Ergò judicia illa non minùs, sed potiùs magis subduntur imperio voluntatis quàm assensus fidei. Ergò omnia judicia inevidentia sunt libera. Ergò stante totâ objecti propositione præviâ ad talia judicia, suspendi potest assensus. Ergò motivum, quod de facto approbatur à voluntate imperante assensum, ab eadem contemni potest tanquam insufficiens; quia sicut possumus non amplecti motivum, quod de facto amplectimur, ita propter varia commoda & incommoda possumus illud motivum affectivè minoris æstimare, quàm oporteret, si rationabiliter, & juxta merita rerum procederemus. At per hoc præcisè dubitamus, quòd stante agitatione quæstionis judicium decisivum quæstionis suspendatur, & motiva à voluntate minoris fiant, quàm oportet; ergò in obscuris semper liberum est dubitare in eo instanti, in quo non dubitamus, quia omnia libera sunt, per quæ formalis deliberatio completur.

ASSERTIO SECUNDA.

Sæpè liberum est non dubitare, quando positivè dubitamus.

Sæpè liberum est non dubitare, quando dubitamus.

3. PROBATUR. Possibile est dubitare in materia fidei, quando fides est sufficienter proposita: nam dubius in fide infidelis est, ut habetur *in cap. 1. de hæreticis*; nec dubium, quin detur sæpiùs ejusmodi peccatum; canon enim ille non procedit de subjecto non supponente. Jam qui dubitat in materia fidei, neque peccat, neque est infidelis, nisi fides sufficienter proposita fuerit. Ergò possibile est dubitare in materia fidei sufficienter proposita. Hæc dubitatio, quando ponitur est libera, quia est peccaminosa. Ergò poterat non poni. Ergò dubius in fide sæpè est liber ad non dubitandum, etiam quando dubitat; quia utraque pars contradictionis, nempe, dubitare & non dubitare, est in libera voluntatis dispositione, quatenus actus primus prævius est indifferens ad utramlibet, & sufficiens ad utramque.

Tam liberum est dubitare & non dubitare, quàm assentire & non assentire.

4. Confirmatur: fides est possibilis, quando mysterium est sufficienter propositum. At quando mysterium est insufficienter propositum, dubitatio de tali mysterio est probabilis. Ergò fides mysterii & dubitatio de mysterio sunt simul possibiles. Ergò quævis pars est possibilis & libera in eo instanti, in quo altera pars ponitur. Ergò aliquando liberum est non dubitare quando dubitamus, & è contrà. Eadem ratio locum habet, quando dubitamus de rebus, quæ in actu primo multò probabilius repræsentantur pro una parte, quàm pro altera. Hoc autem sæpè evenit. Ergò sæpè liberum est non dubitare, quando actu dubitamus; non quidem in sensu composito sed in sensu diviso, sicut liberum est abstinere ab opere, quando illud liberè ponitur.

Idipsũ clariùs declaratur in materia fidei.

5. Probatur secundò. Dubitatio in materia fidei non solùm tollitur per ipsum actum fidei, quo intellectus quæstionem directè solvit, sed etiam per quamvis aliam intellectûs aut voluntatis dispositionem, quæ actui fidei æquivalet in ordine ad figendum animum in quadam mysterii certitudine: stante enim tali dispositione, homo non dubitat, cùm vel expressè & formaliter, vel saltem æquivalenter seu virtualiter respiciat rem quasi certam. At hæc dispositio dupliciter haberi potest, quamvis actus fidei de Mysterii veritate non eliciatur; primò, si intellectus judicet motiva esse sufficientissima ad certissimè credendum, quamvis

quamvis intellectus actu non credat; secundò si voluntas affectivè respiciat illa motiva ut certa, & opposita ut nullius momenti contemnat. Jam quævis ex istis duabus dispositionibus expresso fidei actui æquivalet in ordine ad animum in quadam mysterii certitudine figendum, quia per quamvis illarum homo æquivalenter se habet, ac si crederet, ut patet. Ergò per quamvis illarum dubitatio tollitur. Atqui quando homo actu dubitat in materia fidei sufficienter propositæ, potest quamvis illarum dispositionum habere: potest enim non dubitare quia potest non peccare. Ergò multò magis potest has dispositiones habere: illæ enim communiter fidem præcedunt, & haud dubiè haberi possunt ante fidem. Similiter separari possunt ab actuali fide, cùm sæpè illas aut illarum alteram habeamus, quando actum fidei non elicimus. Ergò utraque hæc dispositio, aut certè illarum altera, haberi potest quando homo actu dubitat, etsi actus fidei tunc non eliciatur. At per quamvis illarum tollitur dubitatio, licèt actus fidei non imperetur. Ergò homo potest non dubitare quando actu dubitat, etsi judicium quæstionis propositæ expresè decisivum non eliciat.

In materia valdè probabili possumus nō dubitare quādo dubitamus, etsi judicium quæstionē decidens non eliciatur.

6. Argumentum istud efficaciter probat intentum in materia fidei, idemque applicari potest circa materiam probabilem & incertam, quando quis aut peccaminosè, aut aliàs imprudenter dubitat de rebus probabilissimis, ob motiva contraria debilissima; in eo enim casu dubitatio tollitur non solùm per judicium quæstionis decisivum, sed etiam per judicium affirmans motiva uni parti faventia, & esse sufficientissima in se ad quæstionem probabilissimè terminandam, & comparata cum oppositis ea longissimè superare. Immò dubitatio tollitur per affectum voluntatis, ita affectivè appretiantem motiva illa superiora, sicut merentur ab intellectu mentaliter approbari. Per utramlibet harum dispositionum animus æquivalenter & virtualiter tam figitur in veritate rei, quàm formaliter figitur in eadem per judicium probabile decisivum quæstionis: stante enim tali dispositione non amplius vacillat animus circa veritatem illius rei, sed vel formaliter vel æquivalenter in ea quiescit, sicut in rebus incertis per judicium probabile quiescere solemus. Et sanè eadem prorsus ratio proportionaliter locum habet in hoc casu, sicut in dubitatione circa materiam fidei. *Proportionaliter*, inquam, quia sicut respicere motiva fidei ut certa, est æquivalenter credere mysterium ipsum ut certum, etsi actus fidei non eliciatur; ita etiam respicere motiva uni parti faventia ut probabilissima, & respicere oppositum ut nullius momenti, est æquivalenter dare assensum probabilem illi parti, quamvis expressum judicium de illius veritate non eliciatur. Ergò utrobique dubitatio tollitur per illam dispositionem, etsi judicium formaliter decidens quæstionem non eliciatur.

Immò & in materia utrimque probabili, etiamsi solùm directè consideretur.

7. Hinc sequitur ulteriùs, homines in rebus moralibus propriè loquendo non ampliùs dubitare de honestate rei, quando post diligentiam debitam eò pervenerunt, ut sciant honestatem illius rei esse probabilem, quamvis ex una parte actu non judicent rem illam esse veram, & ex altera videant partem oppositam esse probabilem. Ratio est, quia dubitatio in eo consistit, quòd homo formaliter vel æquivalenter judicet, deesse motiva sufficientia ad quæstionem per judicium rationabile determinandam, quamvis quæstionem non decidat per judicium expressum. At hæc dispositio tollitur per hoc, quòd sciamus honestatem esse probabilem, licèt neutri parti assensus præbeatur. Ergo tollitur etiam omnis propria dubitatio de talis rei honestate. Hoc autem dupliciter intelligunt Auctores, primò considerando rem directè, secundò reflexè, & quidem stando in directa rei consideratione, valdè diversa est dispositio hominis circa eandem rem, quando dicit non adesse motivum sufficiens ad quæstionem rationabiliter terminandam, quamvis quæstionem expresè non decidat. At secunda dispositio peculiariter constituit dubitationem propriè dictam. Ergò prior dispositio, illi opposita, excludit propriam rationem & essentiam dubitationis. Et hoc est, quod Auctores intendunt, quando probabilia à dubiis distinguunt, atque ea extra dubiorum classem constituunt. Qua in re consequenter ad naturam & essentiam dubii strictè sumpti loquuntur, & immeritò à Celladeo redarguuntur. Quod si contendat, animum taliter constitutum adhuc dubitare, maximè quamdiu utramque partem probabilem reputat, instituet quæstionem de nomine, atque in vocum usurpatione à communi (ut ipse fatetur) Auctorum acceptione recedet. Ergò audiendus non est, quia in vocum usurpatione standum est communi Auctorum acceptioni, maximè quando constat, Auctores communiter per illud nomen intelligere dispositionem longè diversam ab ea, quam peculiaris homo voci illi affingit, ut factum videmus in casu nostro.

Et multò magis si reflectatur flexè.

8. In sensu autem reflexo res est longè clarior, quia per considerationem reflexam mens jam stabilita est in ea sententia, quòd omne directè probabiliter honestum, si omnia considerentur, sit absolutè loquendo permissum & honestum. Unde eo ipso quòd post diligentiam debitam constet, honestatem rei esse probabilem, non amplius dubitamus de absoluta illius honestate hic & nunc, quia vel formaliter, vel æquivalenter solvimus quæstionem. Atque hoc est quod Auctores intendunt, quando dicunt nos, cùm ad probabilitatem certam pervenimus, non amplius dubitare, quia statim per hoc ipsum sumus sufficienter dispositi ad dubium deponendum & conscientiam debitè formandam. Quod verum est tam in sensu directo, quàm in reflexo; quia in utroque adest sufficiens motivum ad quæstionem dirimendam, si voluntatis imperium accedat; & quia jam ob rationes priùs notas ita habituliter ac æquivalenter sumus dispositi circa rem illam, ac si actu diceremus illam esse licitam. Neque tamen ideo dicunt, hominem non posse de rebus illis dubitare; oppositum enim & tenent & probant, eò quòd, stante totâ propositione objecti illius directè considerati, intellectus flecti possit ad absolutè credendum illud esse inhonestum, quod plus est quàm solùm dubitare de honestate. Rursus voluntas potest ita aversari motiva faventia honestati, ut ea contemnat tanquam insufficientia ad judicium rationabiliter eliciendum, & sic impedire etiam potest judicium reflexum de sufficientia talium motivorum. Quod si quis sectetur opinionem rigidam, is etiam reflexè dubitare poterit, atque etiam judicare, probabilitatem honestati faventem non sufficere ad conscientiam ritè formandam contra oppositam probabilitatem de ejusdem inhonestate. Hic est sensus Auctorum benignæ sententiæ, quem me explicaturum promisi in fine quæstionis superioris.

Cæterùm iidem Auctores nonnunqaam hujusmodi objecta appellant dubia, sed cum addito, scilicet

scilicet dubia probabilia, per quod solùm significant, ea esse incerta; quo non obstante, dicunt eadem subsistare rationibus sufficientibus ad conscientiam ritè formandam, quòd est ea non esse propriè dubia, ut constat. Sed ut hæc plenius intelligantur, sit

ASSERTIO III.

Solæ rationes dubitandi sæpe sufficiunt ad dubium deponendum.

Solæ rationes, quibus mens in utramque partem movetur quando actu dubitat, sæpe sunt sufficientes ad dubium deponendum.

9. PROBATUR. Rationes fidei debitè propositæ sufficiunt ad dubium deponendum, quia sufficiunt ad fidem ipsam; neque enim aliæ rationes necessariò requiruntur ex parte intellectûs ad assensum fidei, alioquin fides non esset sufficienter proposita. At rationes fidei sufficienter propositæ existunt in mente, quando homo peccaminosè dubitat in materia fidei. Ergo solæ rationes dubitandi sufficiunt ad dubium deponendum, & ad quæstionem solvendam, saltem in materia fidei. Immò & sæpe etiam in aliis materiis, ut constat ex dictis *Assertione secunda*, ex qua ista sequitur tanquam corollarium. Similiter tam ista quàm superiores assertiones validissimè probantur ex dictis *quæst. 30.* in qua ostendimus, intellectum esse liberum libertate contrarietatis ad opinandum inter motiva æquè probabilia. Illa enim ex æquo probant veritatem omnium harum assertionum, ut patet.

Et multò magis à fide certum fieret.

ASSRTIO IV.

Quando quæstio solvitur ex sola ratione dubitandi ratio illa validior appareret, quàm appareret, si dubium nõ solveretur.

Quamvis solæ rationes dubitandi sufficiant ad quæstionem solvendam, semper tamen rationes illæ validiores apparent pro parte, quæ deciditur, quàm pro eadem apparent, quando absolutè non deciditur.

10. PROBATUR. Alia est apparentia veritatis antecedens omne judicium & omnem affectum, uni potiùs quàm alteri contradictionis parti alligatum; alia est apparentia concomitans aut etiam consequens ejusmodi judicium & affectum, uti fusè declaratum est *quæst. 8. num. 25. de Consc. prob.* ubi ostendimus, apparentiam concomitantem & subsequentem affectum & judicium uni parti alligatum, esse majorem & vehementiorem apparentia merè antecedente, & adversarios defectu hujus distinctionis in magnas æquivocationes incidisse. Hinc veritas conclusionis evincitur; quia quoties dubium solvitur, intellectus non solùm habet apparentiam antecedentem de veritate rei, sed etiam habet apparentiam concomitantem & consequentem affectum & judicium uni parti affixum; cùm si dubitasset & quæstionem non solvisset, solùm habuisset apparentiam antecedentem, quæ minor est & minor apparet, quàm quæ comitatur & subsequitur judicium, per quod quæstio solvitur.

Eadem ratio eodem modo intellecta ficut intelligitur, dum dubitamus, sufficit ad dubium deponendum.

11. Nihilominus eadem penitus ratio eodem modo intellecta, quo intelligitur dum dubitamus, sæpe sufficit ad quæstionem solvendam; quia ratio seu apparentia favens mysteriis fidei, verbi gratia, quando quis dubitat de fide poterat separari à pravo animi affectu, & ejus loco conjungi cum pia affectione ad illa mysteria, & ad finem supernaturalem, qui non nisi mediante fide talis mysterii acquiri potest; quia, stante illa propositione, hoc ad solam libertatem voluntatis pertinet. At illa ipsa propositio mysterii, piæ affectioni conjuncta, suffecisset ad assensum fidei, quia mediante pia affectione illam producere potuisset. Ergo eadem ratio, quæ est in dubitante de fide, sufficit ad fidem inducendam, per quam quæstio solvitur. Ratio à priori est, quia quando agimus de ratione sufficiente ad assensum obscurum, agendum est non de apparentia consequente aut concomitante affectum voluntatis & judicium uni parti all gatum, sed solùm de ratione tam ad affectum quàm ad judicium dictum prævia, quia illa sola est, à qua sola causalitas derivatur; illa enim sufficit ad liberum voluntatis affectum, & illo mediante ad assensum quamvis apparentia illa, prout conjuncta affectui ad unam partem, vehementiùs alliciat ad assensum, quàm si cum illo non conjungeretur; totus enim iste processus à sola prima illa ac prævia rei propositione dependet; sicut etiam ab eadem dependet nova apparentia concomitans & consequens affectum & judicium. Ex defectu hujus distinctionis nonnulli existimarunt, solam rationem dubitandi non sufficere ad dubium impediendum, aut deponendum, sed aut aliam rationem novam, aut certè novam ac meliorem primæ rationis propositionem ad dubii solutionem esse necessariam; atque inde intulerunt, liberum nobis non esse dubitare, quando dubitamus. Cùm enim experirentur, se longè aliter & vehementiùs assici ad assertiones quas tenent, quàm ad illas de quibus dubitant, putârunt intellectum ita constitutum esse, ut judicare nequeat, nisi habeat rationes potiores & vehementiores, quàm quando dubitat. Totam autem hanc apparentiam putârunt esse prævium, ideoque intulerunt, eam ex parte actûs primi necessariò requiri ad judicandum. Sed falsi sunt, quia sæpe major illa apparentia solùm est concomitans aut consequens affectum & judicium uni parti affixum, quæ proinde ab alia minore apparentia ortum suum traxit. Illa autem minor apparentia prævia erat ipsa ratio dubitandi, ut ostensum est.

Æquivocatio adversariorũ detegitur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

12 OBJICITUR primò. Quando dubitatur ob rationes & auctoritates hinc inde allicientes, ratio aliqua vel auctoritas peculiaris affertur pro solutione; nec per rationes dubitandi censetur remota dubitatio, & pars altera decisa; quia solutio dubitationis est inventio veritatis, aut vera aut saltem existimata. Ergo sola ratio dubitandi non sufficit ad solvendam dubitationem.

Confirmatio 1.

Confirmatur primò. Regulæ juris in re dubia sunt solutiones dubiorum; semper autem fiunt cum ratione peculiari pro ea parte cui favent, & pro qua solvunt dubium, non autem ex libito; alioquin regulæ contradictoriæ essent æqualiter rationabiles; & sic sicut dicitur, *In dubiis favendum est reo, Melior est conditio possidentis, &c.* æquè dici posset contrarium, *In dubio favendum est actori, Deterior est conditio possidentis*, quia ad paris causæ determinationem nulla specialis ratio, sed solùm arbitrium voluntatis requireretur. Hoc autem est evidenter falsum, & contra omnes.

Confirmatio 2.

Confirmatur 2. Objecto æqualiter se habente apud aliquem ad verum & falsum, non datur enunciare de altera parte. At omnis dubitans

propter rationes hinc & hinc allicientes, habet objectum indifferens ad verum & falsum. Ergo nullus dubitans habet unde quæstionem determinet.

Confirmatio 3. Confirmatur 3. Si quod sufficit ad dubitandum, sufficeret ad affirmandam unam partem, affirmans rem non obligaretur ad plus quàm dubitans. At dubitans non obligatur rationes bonas facere, & contrarias solvere. Ergo nec affirmans ad illud teneretur. Consequens est falsum & contra praxim omnium. Ergo falsum etiam est antecedens. Ita Celladeus *lib. 4. quæst. 3. §. 2.*

Solvitur objectio. Respondeo, omnia hæc objici ex confusione apparentiæ antecedentis & consequentis affectum, & judicium uni contradictionis parti alligatum. Sed ad singula respondeamus. Inprimis objectio multis in locis videtur procedere in sensu composito dubitationis, à quo præsens quæstio prorsùs præscindit; repugnat enim dubitationem & quæstionis decisionem in eodem intellectu componi. Cæterùm concedo dubitationem non tolli formaliter per rationem dubitandi. Verùm hoc non quæritur in præsenti, sed quæstio in eo vertitur, utrùm ratio illa, cui de facto superadduntur reliqua per quæ dubitatio completur, sufficiat, ut accedente alio affectu & imperio voluntatis superaddi illi possint ea, per quæ dubitatio tollitur. Jam argumentum non tangit hoc, quod tamen unicè urgendum erat. Itaque distinguo consequens. Sola ratio dubitandi non sufficit ad tollendam dubitationem, tanquam causa formalis adæquata dubitationis solutæ, concedo consequentiam. Tanquam causa effectiva seu dispositiva remota & sufficiens, cui alia superaddi possint per quæ dubitatio tollitur, nego consequentiam.

Solvitur replica ex regulis juris petita. 13. Ad primam confirmationem dico, regulas juris de dubio esse rationes reflexas, quibus dirigimur, quando quæstio directè non solvitur. Rationes autem istæ reflexæ magis favent uni parti quàm alteri, non solùm in actu secundo quando per absolutum judicium præferunt unam partem, sed etiam antecedenter pro priori ad omnem assensum & affectum uni parti indebitè propensum; alioquin tanta esset opinionum diversitas de istis regulis juris, quanta est de rebus ipsis. Itaque exemplum ab istis regulis petitum non urget, nisi ostendatur, quòd in omnis dubii resolutione tanta ratio tamque urgens & peculiaris reperiatur, quàm habetur, dum quæstio per regulas juris tanquam per axiomata notissima solvitur. At hoc ostendi nequit, cùm sit evidenter falsum in iis qui temerè dubitant, & multò magis in hæreticis qui errant in materia fidei sufficienter propositæ. Negamus ergò excessum rationum requiri ex parte actûs primi, qui ad solvendum dubium requiritur. At si loquamur, ut nunc loquimur, de formali dubii resolutione, fatemur illam semper constitui per apparentiam majorem pro una parte quàm pro alia. Sed illa majoritas, ut inducatur, non requirit prævalentiam in actu primo, sed haberi potest, quamvis ratio, parti illi singulariter favens, in actu primo non sit major, quàm ratio quæ alteri parti favet. Itaque fateor, duo motiva sibi contraria & æqualia in actu primo, sufficere ad solvendum dubium in actu secundo per majoritatem rationis inducendæ pro una parte; sed inde non sequitur, duo contradictoria esse posse regulas *æquè rationabiles* ac sunt illæ regulæ juris, quia nihil meretur nomen regulæ in illo sensu, nisi quod est notius & certius quàm ejus oppositum. Similiter ex hoc non sequitur, æquè rationabiliter dici posse non esse favendum reo in dubio, ac eidem in dubio esse favendum; quia dictum illud est axioma reflexum certum, quod proinde habet objectum certum, non dubium & anceps. Itaque veritas hujus axiomatis inalterabilis est, & eadem manet, quidquid sit, an circa objecta dubia ipsa ratio dubitandi sufficiat vel non sufficiat ad dubium deponendum.

14. Secunda confirmatio eodem vitio laborat: verum enim est, nullam dari enunciationem de objecto, quod tam in actu primo quàm in actu secundo quoad existimationem æqualiter se habet ad verum & falsum. Cæterùm etsi in actu primo par sit apparentia pro utraque parte, in consequenti tamen dispar esse potest apparentia, ut sæpe dictum est. Præterea argumentum hoc alio etiam vitio laborat, quia minor procedit in sensu composito dubitationis; unde solùm infertur, quòd qui actu dubitat, non possit simul enunciare de altera parte, quod nemo negat; sed hoc hîc non quæritur. Quærimus enim solùm, an prima illa & prævia apparentia, cui de facto dubitatio additur, sufficiens erit, ut loco dubitationis, si voluntas aliter affecta fuisset, elici potuisset judicium decisivum dubii. Verùm argumenta Celladei hoc non tangunt.

15. Ad tertiam confirmationem, negatur sequela majoris; quia nulla est connexio inter hypothesim & illatum; sive enim ratio sufficiens ad dubitandum sufficiat, sive non sufficiat ad deponendum dubium, semper verum est, affirmantem ad plus teneri quàm dubitantem. Exemplum sume tam in voluntate quàm in intellectu. Voluntas sæpe deliberat, & simul habet sufficiens motivum contrahendi & non contrahendi amicitiam cum aliquo; potest enim illam contrahere & non contrahere; nec tamen inde sequitur, quòd contrahens amicitiam ad aliud non obligetur, quàm si eam non contraheret. Rursus nemo negat, quin, dum opinamur, simus liberi ad non opinandum, quia opinio est libera saltem libertate contradictionis. Ergo omnis opinans simul habet motivum sufficiens ad opinandum & ad non opinandum pro imperio voluntatis; & tamen ad plus obligatur si opinetur, quàm si non opinetur. Idem prorsùs valet in casu nostro.

16. Objicitur secundò. Nullus dubitans intelligit, scit, opinatur, aut credit hanc partem esse veram, illam falsam. At omnis solvens dubium intelligit, scit, opinatur, vel credit hanc partem esse veram, illam falsam. Ergo dubitans & solvens dubium non habent eadem rationes; & sanè implicat, ut iisdem omnino stantibus rationibus, & eodem modo se habentibus, eadem res modò videatur nec vera nec falsa, & dubitem, modò videatur vera, & desinam dubitare. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo easdem hîc quoque æquivocationes intervenire. Inprimis præmissæ procedunt in sensu composito dubitationis, & solutionis dubii; ex quibus solùm immediatè sequitur, nullum solventem dubium dubitare. At consequentia à Celladeo posita ne indirectè quidem ex illis præmissis elici potest, si sermo sit de apparentia veritatis seu de ratione antecedente; illa enim eadem esse potest in dubitante & in non dubitante, ut dictum est. At si sermo sit de omni ratione ac apparentia veritatis tam antecedente quàm consequente & concomitante dubitationem atque solutionem dubii, consequentia rectè infertur. Semper enim longè aliter res apparet solventi

venti dubium, quàm dubitanti apparuerat; sed illa diversitas non semper se tenet ex parte rationum seu motivorum, quæ sunt in mente pro priori ad affectum & judicium uni parti alligatum, sed solùm ex parte apparentiæ concomitantis aut consequentis dictum affectum & judicium. Jam si omnia, tam antecedentia quàm concomitantia & consequentia statum dubitationis, vel statum solutionis dubii, simul considerentur, implicat sanè, ut quis modò dubitet, modò dubitationem solvat; quia fieri nequit, ut stante solutione dubitetur, aut ut stante dubitatione dubium solvatur. At si loquamur de solis rationibus & apparentiis præviis, de quibus solis præsens quæstio procedit, illæ tales sunt, ut, juxta varium affectum & imperium voluntatis, illis addi possit vel apparentia consequens major, & solutio dubii, vel suspensio judicii solventis dubium. Unde fiet, ut consequens illa apparentia major suspendatur. Contra hoc agere debuit Celladeus, sed hoc non tangit.

Objectio 3. 17. Objicit tertiò: Non minùs dubitans debet rationem afferre, cur dubitet, quàm solvens dubitationem, cur opinetur. At absurdum est reddere rationem pro solutione dubii, quæ redditur pro ipsa dubitatione; hoc enim perinde est ac dicere, nodum per idem expediri & implicari. Ergo sola ratio dubitandi non sufficit ad solutionem dubii.

Ratio dubitandi de aliqua parte, est motivũ suadens illam esse falsam. Respondeo absurdum quidem esse, quod ratio dubitandi propriè sumpta afferatur pro solutione dubii; propria enim ratio positivè dubitandi de aliqua parte contradictionis, est motivum suadens illam esse falsam, non autem ratio arguens illam esse veram. At ratio, ob quam dubium solvitur, est motivum suadens partem illam esse veram, & illa ratio tantùm & non opposita affertur pro solutione dubii. Itaque quando dicimus rationem dubitandi sufficere ad solutionem dubii, non ita accipiendum est, quasi diceremus, rationem dubitandi de veritate partis A. sufficere ad solvendum dubium per affirmationem, quod pars A. sit vera; hoc enim perinde esset ac dicere, nodum per idem solvi & implicari; sed sensus est, motivum, ob quod hîc & nunc retrahimur ab assensu præstando, sæpe sufficere ad dissensum eliciendum, quod certè non est nodum per idem solvi & implicari.

Nunquam redditur ratio pro solutione dubii, quæ pro dubitatione affertur. 18. Quod si per rationem dubitandi intelligas motiva utrique contradictionis parti faventia, quia dubitatio positiva de utraque parte per illam completur, neque sic verum est, eandem reddi rationem pro solutione dubii, quæ affertur pro dubitatione; nam unum solum motivum affertur pro solutione dubii, at non illud solum, sed illud & simul oppositum redditur pro dubio. Et sanè si loquamur de ratione opinandi, quæ se tenet ex parte actûs primi, illa sufficiens est, ut ex vi illius dubium solvatur, non quidem tanquam per causam formalem solvendi dubium (illa enim consistit in ipsa quæstionis decisione) sed tanquam per causam motivam, quæ talis est, ut intellectus per imperium voluntatis determinari possit vi illius ad absolutum judicium de parte illa, cui favet. Sed quia affectus ille, imperiumque illud poterat abesse, ideo rationi prædictæ adjungi poterat carentia judicii solventis dubium, & sic compleri dubitatio, utpote quæ per suspensionem decisionis dubii completur. Ecce ratio formalis dubitationis, & ratio formalis solutionis dubii toto cœlo differunt, quia sibi invicem opponuntur. At ratio partialiter impellens ad dubitandum, quæ de facto ob defectum voluntatis flectentis intellectum ad assensum conjungitur cum actuali dubitatione, potuisset dubium decidere, si imperium voluntatis accessisset; quamvis in eo casu, ratio illa, concomitanter aut certè consequenter ad dictum imperium, vehementiùs movisset animum juxta dicta. Nec in hoc intelligendo ac probando major est difficultas, quàm quòd, dum veritati obscuræ assentimus, possimus judicium illud suspendere. At hoc certum est. Ergo & illud; quia, posito judicio, tollitur dubitatio, judicioque ablato, ponitur dubitatio, ut patet. Ergo eadem est utriusque vicissitudo & dependentia ab imperio voluntatis, fierique potest, ut ob eandem rationem decidatur dubium, ob quam partialiter dubitatur. Hoc à paritate voluntatis confirmatur, quia homo potest amari & eligi in amicum propter rationem, ob quam hîc & nunc voluntas vacillat, & eum nec amat, nec in amicum eligit; verùm quando illum amat, & in amicum eligit, afficitur uni tantùm motivo, illudque præfert alteri, cùm potuisset illud oppositio non præferre, sed ob motiva contraria inter utrumque hærere, & quodamodò affectivè fluctuare & dubitare. Porro sicut hinc non sequitur nodum per idem implicari & solvi, ita nec in casu nostro.

Nodus non potest stringi & solvi per idem in genere causæ formalis, secus in genere causæ efficientis. 19. Præterea locutio illa, *absurdum est dicere, quòd per idem implicetur & solvatur nodus*, ut vera sit, sumi debet in sensu formali, in quo solùm impossibile est, ligamen & solutionem per eandem formam constitui; nam si loquamur de causa efficiente, vel de dispositione talis causæ, oppositum est certissimum; siquidem eadem potentia eædemque manus solvere possunt nodum, quem antea strinxerant. Quidni ergo possit potentia intellectiva solvere nodum dubitationis per illam rationem, per quam antea dubitationem ipsam partialiter ligaverat. Certè ex hoc capite nullum absurdum existit, quidquid Celladeus dixerit, qui sensum causæ formalis cum sensu causæ effectivæ hoc loco confundit, & ex illa confusione ea tribuit causæ effectivæ, quæ soli causæ formali conveniunt, & è contra.

Æquivocatio Celladei.

Utrùm cõmunia Theologorum asserta nostræ opinioni repugnent? 20. Ob. 4. Omnes fermè Theologi tradunt nostris assertionibus repugnantia. Ergo illæ non sunt tenendæ. Probatur antecedens. Inprimis docent communiter, quòd peccet, qui in casu dubii temerè & sine ratione speciali dubium deponit. Ergo censent opus esse ratione speciali ad dubium deponendum. Secundò quærentes, an speculativè dubitans possit practicè non dubitare, respondent hominem in eo casu peccaturum, si practicè non dubitet, nisi habeat rationem specialem. Ergo requirunt rationem specialem & novam pro dubio solvendo. Et sanè omnes docent, diligentiam in casu dubii præmitti debere, ut veritas inveniatur, & per ejus inventionem dubium solvatur. Ergo non est propter rationes dubitare, & propter easdem eodem modo manentes dubium solvere. Aliter diligentia necessaria non esset, sed sufficeret velle non dubitare. Tertiò communiter tradunt, dubium consistere in æqualitate rationum pro utraque parte. At ubi rationes sunt æquales, non potest solvi dubium per ullam illarum, quia objectum non apparet magis verum quàm falsum, sed æquè se habet ad utrumlibet. Hæc omnia repugnant rationibus positis. Ita Celladeus §. 1. ubi redarguit complures, quòd postquam cum omnibus ista stabiliviſſent de dubiis tanquam veriſſima, inconsequenter postea & minùs consideratè oppositа de

Ratio formalis dubitandi, & ratio formalis solvendi dubium, toto cœlo differunt.

probabilibus tradiderint, dicentes in æquè immò in minùs probabilibus nobis liberum esse opinari pro imperio voluntatis. Hoc autem prioribus assertis contradicere autumat Celladeus.

Plerique Theologi nobiscum sentiunt.

Respondeo, plerosque, & fortè omnes omnino Theologos nobiscum sentire, si apparentia, affectum & assensum uni parti alligatum antecedens, accuratè distinguatur ab apparentia concomitante & consequente eundem affectum & assensum. Hoc dico, non quòd Theologi expressè inter ista distinxerint, sed quia per hanc distinctionem, quam nemo negare potest, veritas rei statim innotescit. Veritate autem istâ semel habitâ, statim apparet, quòd illi qui putantur dissentire verè non dissentiant, quia intelligendi sunt de apparentia consequente, in quo sensu nemo illis meritò contradicere potest. Sed præter hanc generalem responsionem libet ad singula respondere. Inprimis Auctores, quos Celladeus primo loco affert, apertè stant contra ipsum; quia dicunt, hominem temerè deponentem dubium peccare. Ergo admittunt eum posse dubium deponere sine nova & speciali ratione; quia haud dubiè qui temerè deponit dubium, poterat, eisdem rationibus stantibus, non deponere dubium, sed dubitare. Nec obstat, quòd imprudenter faceret, quia nunc non quærimus de prudenti vel imprudenti depositione dubii, sed de absoluta dependentia intellectûs à voluntate, in ordine ad dubitandum & non dubitandum. Itaque Auctores isti non requirunt rationem specialem ad non dubitandum simpliciter, sed solùm ad prudenter non dubitandum. Sed neque in hoc sensu requirunt rationem specialem in sensu Celladei, sed nomine rationis specialis (si hac voce utantur) solùm intelligunt rationem probabilem, quando versamur in incertis, quidquid sit, an illa sit vel non sit eadem cum ratione dubitandi, quia hoc eo loci non controvertunt.

Auctores, quos Celladeus pro se citat, illi contradicunt.

Auctores, secundo loco à Celladeo citati, ipsi apertè contradicunt.

21. Similiter, qui secundò loco citantur, supponunt dubium imprudenter saltem deponi posse absque ratione speciali. Ergo contradicunt Celladeo, cui in illis quæstionibus nemo prorsùs, quod sciam, favet; nec mirum, quia ibi non loquuntur de depositione dubii in genere, seu de ejus possibilitate ut sic; sed solùm de ea dubii depositione per quam conscientia debitè formatur, & à peccato excusatur. At hæc quæstio longè alia est à præsenti controversia, ut patet. Præterea certò certiùs dubium sæpe deponitur, quando nulla ejusmodi ratio adest. Ergo qui docent hominem peccare, nisi per rationem probabilem, prudentem, & si velis, etiam specialem, solvat dubitationem, nullatenus favent Celladeo in præsenti quæstione, cùm ex ibi dictis ad decisionem hujus quæstionis nulla sit illatio. Cæterùm pro dubio prudenter deponendo diligentia juxta omnes adhibenda est, ut veritas, & si fieri potest, certitudo veritatis reperiatur; peccat proinde qui tali diligentiâ omissâ dubium deponit, quia conscientiam temerè formar. At si post diligentiam adhibitam, res maneat incerta, & motiva dubitandi, quæ honestati favent, sint probabilia, eo ipso præstari assensus, dubium deponi, & conscientia tutò formari potest. Et hæc est opinio omnium Auctorum benignæ sententiæ, qui tamen omnes aut expressè tradunt, aut apertè supponunt, hominem in eo instanti posse non ita formare conscientiam, sed dubitare, eumque asserunt peccaturum, si conscientiâ non formatâ, dubioque non depositio operetur. Hi ergo omnes contradicunt Celladeo; quia aut tradunt, aut supponunt, hominem, stantibus iisdem rationibus eodemque modo pro priori propositis, posse dubitare quando non dubitat, & non dubitare quando dubitat; nec inde sequitur, diligentiam non esse adhibendam, sed sufficere velle non dubitare; nisi enim homo diligentiam adhibeat, temerè operatur & peccat, quia Deus nos ad diligentiam obligat. At si post diligentiam res maneat incerta, tunc satis est, si ob rationem probabilem velit non dubitare; quia bona fide, & ex conscientia irreprehensibiliter formata operatur.

Qui tertiò loco citantur, Celladeo non favent.

22. Qui tertiò loco citantur, idem dicunt, quod omnes dicimus, scilicet intellectum tunc dubitare positivè, quando rationibus æqualiter trahentibus, ita incitatur, ut nec in actu primo, nec in actu secundo magis in unam quàm in aliam partem trahatur. Quod verissimum est, maximè quando intellectus non solùm non profert judicium quæstionis decisivum, sed ne quidem fertur in motiva tanquam sufficientia ad quæstionem terminandam; tunc enim propriissimè dubitat dubio positivo, ut dictum est. Verùm hinc non sequitur, eum necessariò dubitare, qui habet rationes in actu primo pro utraque parte æquales; ea enim æqualitate stante, mediante affectu & imperio voluntatis, flecti potest intellectus ad assensum, per quem dubium solvatur; & hoc est quod Auctores docent, dum tractant de dubio & de conscientia; nec inter hæc asserta ulla est umbra contradictionis. Immeritò ergo Celladeus complures gravissimos Auctores inconsequentiæ & contradictionis arguit, eò quòd ista tradiderint. Cogitare debuerat, tot talesque viros non tam facilè contradictoria tradere, adeoque diligenter videre, an via aliqua ad notam contradictionis solvendam superesset. Hanc si quæsivisset, facilè invenisset; sed quia non distinxit apparentiam finalem & consequentem ab apparentia prævia & antecedente, ideo, quæ soli primæ conveniebant, tribuit secundæ, & hoc errore deceptus, doctissimis viris contradictionem immeritò affinxit.

Celladeus immeritò redarguit Auctores contradictionis.

QUÆ-

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA-SECUNDA.

An, & in quo sensu æqualitas rationum & autoritatum dubitationem causet?

1. HÆC quæstio coïncidit cum illa, quàm *quæst. 30* tractavimus, ubi quæsitum est, utrùm æquè probabilia sint opinabilia? quidquid enim facit pro una æquè facit pro altera quæstione. Quare necesse non fuisset hanc quæstionem proponere, nisi Celladeus *lib. 4. quæst. 4. & 5.* plura huc spectantia quasi triumphabundus attulisset. Ibi enim multis contendit, omnem æqualitatem rationum rem dubiam facere, ac proinde tam tenendum esse, quòd, stante æquali opinionum sibi contradicentium probabilitate, non liceat sequi minùs tutam, quàm quòd in dubio non liceat minus tuta sectari. Meum ergo erit, depulsis æquivocationum latentium tenebris, veritatem aperire, illisque respondere, quæ Celladeus in contrarium objecit. Spero autem Lectorem non ægrè laturum, si paucula in anterioribus probata, claritatis causâ, huc breviter transcribam. Sit ergo

Quæstio cur instituatur?

ASSERTIO PRIMA.

Intellectus nulli contradictionis parti assentire potest, quamdiu signatè existimat rationes utrique parti faventes esse æquales.

Qui utramque partem æquè probabilem reputat, neutri assentire potest.

2. PROBATUR. Intellectus assensum uni parti præbens, absolutè existimat illam esse veram, & oppositam falsam; & consequenter absolutè præfert rationes unius, illasque ut veras probat, cùm oppositas reprobet ut falsas. Ergo non potest simul existimare, quòd rationes illæ sint prorsùs æquales, quódque neutra alteri sit præferenda. Hæc ratio à fortiori convincit, quod nemo possit assentiri objecto ac motivis, quæ absolutè credit esse minùs probabilia oppositis. Vid. *quæst. 8. & 9. de Conscientia probabili*, ubi hæc fusè probantur. Videatur etiam *quæst. 30.* hujus tractatûs.

ASSERTIO II.

Qui, omnibus consideratis, judicat rationes utrique parti faventes esse æquè probabiles, non potest ex illis solis conscientiam formare, aut licitè operari si sectetur partem minùs tutam.

Nemo formare potest conscientiã circa partẽ minùs tutã, si reputet rationes utrasque partis esse æquales.

3. ASSERTIO hæc sequitur ex priore, quia ut quis licitè operetur debet formare conscientiam, & existimare se benè operari. At, stante dicta dispositione, impossibile est conscientiam & existimationem de honestate operationis formari, ut ostensum est in prima assertione. Ergo nemo, stante dicta dispositione mentis, potest conscientiam formare, aut licitè operari, si sectetur partem minùs tutam.

ASSERTIO III.

Nemo actu judicans, rationes directas utrique parti faventes esse omnibus consideratis æquè probabiles, licitè potest sequi partem minùs tutam, nisi ex rationibus reflexis judicet, partem minùs tutam esse honestam, & consequenter feratur in eam tamquam fide digniorem.

In eadem hypothesi nemo licitè sectatur partem minùs tutam, nisi ex rationibus reflexis judicet operationem esse honestam.

4. PROBATUR assertio, quæ est Corollarium priorum. Nisi rationes parti minùs tutæ faventes rationibus oppositis actu præferantur, intellectus nequit actu existimare, quod opus sit honestum. At nisi intellectus actu judicet opus esse honestum, voluntas non operatur honestè. Ergo nemo operatur honestè, nisi rationes parti minùs tutæ faventes actu præferat rationibus contrariis. At in casu nostro non potest præferre rationes directas. Ergo in casu assertionis nemo potest credere opus esse licitum, nisi per rationes reflexas feratur in partem minùs tutam, tanquam in partem fide digniorem & probabiliorem.

In hisce omnibus Celladeo consentio, & in aliis nonnullis aut planè coïncidentibus aut necessariò connexis, quale est illud, quòd quamvis auctoritates & rationes aggerentur pro una parte, intellectûs tamen necessariò careat assensu approbante illam, & reprobante alteram partem contradictionis, si auctoritates & rationes numero & qualitate pares ita afferantur pro parte contraria, ut intellectus, omnibus inspectis, actu existimet, rationes & auctoritates utrique parti faventes esse penitus æquales. Hæc enim omnia verissima sunt, & à multis Auctoribus benignæ sententiæ admissa, atque à me fusè explicata *in tractatu de Conscientia probabili* multis in locis.

ASSERTIO IV.

Quamvis directa probabilitas utriusque partis sit, & omnibus inspectis absolutè credatur æqualis, intellectus tamen non necessariò dubitat de honestate operis; sed per hoc ipsum, quòd sciat partem minus tutam esse probabilem, deponere potest dubium & conscientiam formare, quòd opus sit licitum.

Æqualitas probabilitatis directæ non impedit, quò minùs cõscientia formetur de honestate operis.

5. PROBATUR assertio, quæ est directè contra Celladeum, & nominatim contra totum illius intentum, non solùm in hisce duabus quæstionibus, sed in toto opere contentum. Probatur, inquam, quia per hoc præcisè, quòd constet de probabilitate directa partis minùs tutæ, non obstante pari imò & majore probabilitate partis tutioris, intellectus habere potest motiva reflexa potiora & validiora pro parte minùs tuta, atque per illa quæstionem determinare per judicium, quo absolutè dicat, rem illam, omnibus inspectis, esse licitam, atque ita formare conscientiam de honestate operis. Constat hoc ex *quæstione 2. hujus tractatus*, & multò magis ac fusiùs ex *toto tractatu de Conscientia probabili*; potissimè autem à *quæst. 19. usque ad finem operis*, ubi quidquid hìc asseritur, efficacissimè, clarissimèque probatum est. Nec mirum: quia directa probabilitas, etsi sit & credatur par, non tollit motiva alia reflexa, per quæ quæstio determinetur, & conscientia de honestate operis formetur. Ergo quamvis utraque pars sit & credatur directè æquè probabilis, tamen intellectus non necessariò dubitat, sed per hoc ipsum, quod sciat partem minùs tutam esse probabilem, statim format judicium, quòd absolutè liceat, quia novit honestatem absolutam operis evinci ex rationibus reflexis, quas Auctores afferunt pro stabilienda sententia benigna; atque ita formando conscientiam, dubium deponit.

Cæterùm, etsi utraque probabilitas directa in actu primo ante omne judicium & affectum uni parti peculiariter impensum sit æqualis, nihilominùs fieri potest, ut, post affectum & imperium voluntatis uni parti impensum, probabilitas unius partis alteri prævaleat & appareat major, quàm antea apparebat; ac proinde fieri potest, ut dubitatio tollatur, & assensus illi parti præbeatur, ut dictum est *quæst. superiori* & latè ostendi *quæst. 8. de Conscientia probabili num. 25. & sequentibus*. His breviter indicatis, excutienda sunt quæ Celladeus in contrarium opponit.

SOLVITUR PRIMA OBJECTIO,

Et continua Celladei æquivocatio detegitur.

Objectio 1.

6. OBJICIT primò. Ex Auctoribus, plurimi dubia propriè talia ad rationum & auctoritatum æqualitatem revocant. Unde sequitur, omnia talia probabilitate carere, & ut non probabilia debere rejici ab iis omnibus, qui cum Aristotele & D. Thoma ea solùm censent probabilia, quæ plerumque contingunt; quia quæ habent rationes & auctoritates utrimque æquales non habent plerumque ita esse, cùm æqualiter se habeant ad esse & non esse.

Secundò, eadem omnia vera probabilitate carere censentur ab iis, qui docent non esse opinari circa æquè & minùs probabilia; quia *Probabile* & *Opinabile* sunt termini manifestè convertibiles, neque quid absonum magis, magisque contradictorium, quàm dicere aliquid esse probabile, & simul inopinabile. At multi Auctores benignæ sententiæ apertè asserunt, æquè & minùs probabilia esse verè probabilia, & tamen simul volunt, eadem esse inopinabilia. Ergo in hoc sibi contradicunt. Porro qui docent non dari opinari circa minùs & æquè probabilia, sunt Aristoteles, Divus Thomas, Suarez, Pallavicinus, Lessius, Layman, Bresserus, & alii multi.

7. Tertiò S. Thomas *quæst. 14. de veritate, art. 1.* hæc habet. *Intellectus quandoque non magis inclinatur in unam partem quàm in aliam, vel propter defectum moventium, &c. vel propter apparentem æqualitatem rationum, quæ movent in utramque partem, & ista est dispositio dubitantis, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.* Ecce S. Thomas expressè docet, dubium objectivum consistere in æqualitate rationum moventium. At tali objecto non correspondet ex parte actûs & mentis nisi formale dubium, seu ipsum dubitare. S. Thomam in hoc sequuntur quamplurimi tam Theologi quàm Summistæ; imò plures gravissimique Auctores docent, objectum non reddi opinabile, sed solùm suspicabile, quando rationes pro illo patum & vix excedunt rationes pro opposito. Ergo à fortiori quando motiva sunt utrimque æqualia, objectum non est opinabile, sed dubium, & consequenter tunc non est probabile. Ita Celladeus *lib. 4. quæst. 4. §. 1.* qui idem argumentum prosequens §. 4. contendit, nullam multitudinem rationum aut auctoritatum facere posse rem verè probabilem vel opinabilem, modò totidem rationes & auctoritates, in omnibus æquales, afferantur pro parte contraria; quia in tali casu res semper manet dubia, eò quòd rationes post talem additionem semper maneant æquales, ut ante: quia si æqualibus æqualia addantur fiunt conflata æqualia. Hinc autem sic insurgit contra benignam sententiam. Nullus numerus rationum & auctoritatum faciunt non-legem credibilem aut opinabilem, quando totidem & æquè validæ rationes ac auctoritates afferuntur pro lege, quia per hoc ipsum intellectus constituitur in dubio. At qui in dubio operatur contra legem, peccat. Ergo peccat qui contra legem sequitur æquè probabilia.

8. Hinc quæstione 5. coarguit omnes, qui dubia conscientiæ per æquè aut minùs probabile resolvunt. Primò quia per æqualem utrimque probabilitatem veritas non invenitur, quippe quæ non invenitur quamdiu intellectus nil habeat, unde magis sibi constet rem ita esse, quàm non esse ita. At veritas inveniri debet, ut dubium solvatur. Deinde ad idem confirmandum sic arguit. Par probabilitas adest in eo qui positivè dubitat; imò paritas illa rationum est formalis ratio dubitandi. Ergo impossibile est, ut per æqualem probabilitatem dubium solvatur, quia dubium solvi non potest per ea, per quæ constituitur, ut dicit se probasse, *quæst. 3.* ergo malè dicitur, æquè probabile sufficere ad dubium deponendum, conscientiamque formandam. Porro ita hæc doctrina, de solutione dubii formandaque conscientia per æquè aut minùs probabile, orta videtur ex ignoratione vel certè ex inconsideratione naturæ dubitationis. Aliud enim nomine probabilis non intelligunt, quàm rationes & auctoritates non leves sed graves; sed per

per hoc non habetur aliud, quàm propriè dubitare, quia viri doctissimi ut S. Augustinus, S. Thomas, aliique non dubitant nisi ob rationes graves, quia per dubitationem intellectus innodatur; tales autem viri levibus non innodantur. Et sanè levissimus est, qui dicit tales viros ob leves & contemnendas rationes dubitasse. Ergo dubitarunt propter rationes graves. Ergo stante probabili nostro dubitarunt. Ergo probabile nostrum non tollit dubitationem; & qui oppositum docuerunt illud ex inconsideratione naturæ dubitationis tradiderunt. Ita Celladeus *quæst. 4.* loco citato, & *quæst. 5. per totam.*

Objectio ista nõ tangit præsentem contro versiam reflexam, de licito probabilium usu.

9. Respondeo inprimis, nil horum opponi benignæ sententiæ; cùm solùm procedant de probabilitate directa. Itaque valent quidem ad confirmandas tres priores, sed non tangunt impugnationem quartæ, de qua sola tota præsens lis & quæstio controvertitur. Itaque licèt admittatur, quòd intellectus propriè dubitet de utraque parte contradictionis, quamdiu existimat utramque esse æquè probabilem, nil inde conficitur, quia, non obstante hac dubitatione de honestate rei directè consideratæ, intellectus per principia reflexa & motiva benignæ sententiæ surgere potest ad dubium practicè deponendum, & ad formandam conscientiam, quia habet rationes & auctoritates longè magis prævalentes pro absoluta honestate operis, quàm habeat pro ejusdem inhonestate. Itaque præsens objectio in ordine ad unicum totius disputationis intentum nulla est; nec ad aliud inservit, quàm ad imperitum lectorem æquivocationibus & falsis suppositionibus intricandum.

Æqualia motiva pro utraque parte cõtradictionis esse possunt probabilia.

10. Respondeo 2. multa in objectione contineri à veritate aliena, quæ proinde refutanda sunt. Inprimis, dato quòd æqualitas rationum ac moventium reddat intellectum dubium ac perplexum circa objectum, quod simul æqualiter repræsentatur ut verum & ut falsum, non inde sequitur, neutrum ex talibus motivis æqualibus esse verè probabile, eò quòd probabile sit, quod plerumque contingit; hoc enim non obstante verum esse potest, quod utrumque motivum plerumque contingat, ut fusè ostensum est in *tract. de Conse. prob. quæst. 8.* & hic *quæst. 29.* Ratio est, quia probabilitas rei probabilis non sumitur à contingentia vel non contingentia ipsius rei; illa enim plerumque ita se habet ut aut semper aut nunquam contingat, ut videre est in omnibus Auctoribus circa materiam necessariam ac impossibilem; sed sumitur à vi ac magnitudine motivi impellentis; quod si sit tale, ut plerumque connectatur cum veritate, est probabile, etsi prout applicatur huic determinato objecto non plerumque verum dicat, sed fortasse semper erret. Itaque dicimus, illud motivum esse verè probabile, quod v. g. allicit viginti peritos ac probos viros, post omnia in contrarium allata & considerata absque indebita animi passione sententiam ferentes, ad judicandum aliquod objectum ita se habere; quamvis opposita motiva, ab illis rejecta, talia sint, ut illa etiam viginti similes viros moverint ad oppositum sentiendum; utrumque enim illud motivum est verè probabile, & plerumque non errat, quia plerumque contingit, talia motiva, & tot viros peritos non falli; si enim omnes eorum resolutiones accipiantur, proculdubio pleræque illarum non errant, quamvis si illa motiva restringantur solùm ad objecta, circa quæ ex æquo Auctores illi dissentiunt, fieri nequeat, ut utraque plerumque connectantur cum veritate; sed hoc non requiritur, ut patet. Porro ex universalitate rerum, de quibus Auctores opinantur, paucæ admodum sunt circa quæ reperire est tot peritos & probos auctores contradictoria docere; ac proinde fieri potest, ut utraque ratio & auctoritas sit verè probabilis, & plerumque verum dicat. Videantur loca citata, in quibus hæc nostra explicata ac probata fuere. Interim hinc iterum constat, Celladeum in eo deceptum esse, quòd afferat, dictum *probabile* definitionem necessariò inferre nec utrumque nec ullam ex partibus à quali ratione ac auctoritate subnixis esse posse verè probabilem.

Omne probabile est opinabile; sed per accidens evadere potest inopinabile.

11. Ad secundam objectionis partem fateor, omne probabile esse opinabile, modò probabile accipiatur nude & secundùm se; nam si sumatur cum aliis adjectis, fieri poterit ut neque probabilius sit opinabile. Sic Hæretici obstinati non possunt opinari, articulos fidei sufficienter propositos esse veros, quamdiu voluntas eorum imperat, ne assensus illis præbeatur, imò non possunt illis assensum præbere, nisi accedat propria voluntatis affectio, & imperium. Ecce objectum probabile, imò probabilius & certum, reddi potest inopinabile per aliqua illi adjecta, nec evadere potest proximè opinabile, nisi illa auferantur. Jam verò sicut dictæ affectiones voluntatis hîc & nunc reddunt probabile inopinabile, sic aliæ dantur affectiones etiam ex parte intellectûs, quarum adjectione probabile evadit hîc & nunc inopinabile; talis affectio est judicium, quo post omnia considerata intellectus judicat motiva utriusque partis esse prorsùs æqualia, quia stante tali judicio impossibile est quod unam partem alteri intellectualiter præferat, ut per se patet, & sæpissimè dictum est. Ex his constat, apertam æquivocationem latêre in hac secunda parte objectionis; nam qui dicunt, neminem opinari circa æquè & minùs probabile, intelligendi sunt de *opinari consequente* ad judicium dictans probabilitatem talis partis esse parem aut minorẽ oppositâ, quod verissimum est, & sæpe inculcatum. At, hoc non obstante, per illam eandem apparentiam, quæ consequenter ad carentiam affectûs & judicii uni parti alligati hîc & nunc partialiter constituit dubium, intellectus moveri potuisset ad absolutum judicium de veritate rei, si alius affectus & imperium voluntatis accessisset; per illa enim inclinatus fuisset ad assensum præstandum, & intellectus secutus imperium voluntatis assensum elicuisset. Itaque eadem apparentia ex se quidem sufficiens est ad assensum impetrandum, si imperium voluntatis accedat, quam tamen inducere nequit, nisi dependenter à dicto voluntatis imperio. Errat ergo Celladeus, dum Auctores benignæ sententiæ ex eo contradictionis insimulat, quòd dicant æqualiter probabilia verè esse probabilia, cùm simul doceant neminem opinari posse circa ea quæ ipsi æquè probabilia videntur. Verùm nulla in his contradictio invenitur, quia omne probabile, etiam illud, quod ipsi putant æquale vel minùs oppositio, est opinabile, si sumatur secundùm se, & prout se habet in actu primo ante omnem affectum & judicium uni parti affixum, & ante omne judicium comparativum, quamvis consequenter ad aliquam istiusmodi suppositionem hîc & nunc non sit amplius ipsis opinabile, ut sæpe dictum est. Cæterùm in eo manifestè errat Celladeus, quòd dicat *probabile* & *opinabile* esse terminos manifestè convertibiles, cùm certò constet, non omnia opinabilia esse verè probabilia.

Celladeus auctores plures contradictionis immerito arguit.

12. Ad 3. Respondeo, S. Thomam, aliosque

S. Thomas nil tradit contra nostram sententiam.

in eo ponere dubitationem positivam, quod intellectus non solùm in actu primò, sed etiam in actu secundo trahatur hinc inde æqualiter, maximè si reflectens super motiva, illa comparet ad invicem, eaque pro æqualibus habeat. Certè expressio S. Thomæ hoc importat; nisi enim intellectus ita se habeat, æqualitas rationum ipsi non apparet; ut enim appareat, instar objecti cognosci ac considerari debet. Hæc nos etiam admittimus, sed ex illis non sequitur, tale objectum secundùm se non esse opinabile, quamvis in sensu composito talis dispositionis animi opinio de illo haberi non possit; oppositum enim constat ex dictis. Similiter esto, Auctores gravissimi dixerint, objectum non reddi opinabile, sed solùm suspicabile, quando rationes pro una parte parum excedunt rationes pro altera; illi enim eodem modo intelligendi sunt loqui in sensu composito judicii reflexi, quo post comparationem factam intellectus enunciat excessum rationum aut nullum esse, aut valde exiguum. Hoc judicium reflexum excludere videtur judicium opinativum de veritate rei, & solùm suspicionem quandam admittere, quia omnis qui opinatur, ita in actu secundo fertur in partem, quam approbat, ut illam vehementer & multò præferat parti oppositæ. Itaque licèt, stantibus talibus judiciis comparativis, intellectus aut absolutè aut quodammodò dubitet, non inde sequitur, motiva sic credita æqualia non sufficere in actu primo ad quæstionem determinandam, dubiumque solvendum.

Auctores allati in objectione explicantur.

Respondetur ad casú rationum æqualium, quæ aliis adduntur.

13. Jam quod ad æqualium rationum & auctoritatum adjectionem attinet, eodem modo respondetur, eam, reflexè cognitam & judicatam ut æqualem, inferre quidem dubitationem aliquam, non tamen probare objectum secundùm se non esse probabile, aut opinabile. Quare esto, peccet, qui stante tali judicio reflexo comparativo, sequitur partem minùs tutam, si ad conscientiam formandam aliis motivis non utatur quàm directis illis, quæ judicat æqualia, quia operatur in dubio: tamen simpliciter loquendo non necessariò peccat sequendo talem partem, quia per aliam affectionem & imperium voluntatis pars minùs tuta absoluto judicio, eoque probabili, credi potuisset honesta; in quo casu sectando illam partem non peccasset. Cæterùm si utamur discursu reflexo, paritas illa rationum directarum, etiam credita, non impedit conscientiam & opinionem de honestate rei, ut constat ex dictis.

14. Ad ultimum, quod *ex quæst. 5.* objicit, jam responsum est, ostendendo qua ratione, & quo sensu Doctores dicunt, dubia conscientiæ solvi posse per æquè aut minùs probabile, & quomodò per illa veritas inveniri possit. Porro par probabilitas & par apparentia antecedens non necessariò constituit dubitationem, quamvis juvare possit ad eam constituendam, si voluntas non determinet intellectum ad assensum circa veritatem rei, aut eum determinet ad judicium de rationum æqualitate. Cæterùm *quæst. 51.* ostendi, quod, & quomodò eadem ratio antecedens, per quam dubitatio partialiter constituitur, sufficiat ad solvendam dubitationem.

Celladeus incurrit cēsurā, quam nobis objicit.

15. Neque verum est, nos nostram doctrinam ex ignoratione naturæ dubitationis tradidisse: scimus quid sit dubium, quid dubitare; distinguimus etiam apparentiam antecedentem affectum & judicium uni parti alligatum, ab apparentia dictum affectum dictumque judicium concomitante & consequente; quæ quia Celladeus non distinxit, ideo hîc multa congessit à veritate aliena, quæ si istarum apparentiarum naturam & diversitatem scivisset, nunquam objecisset. Ergo ille ex ignorantia rerum, aut certè ex confusione partium, ex quibus dubitatio constituitur, doctrinam hanc suam tradidit, & ipsemet censuram incurrit, quam nobis objecit.

Rationes quibus S. Augustinus, dubitandi aptè adhibeat, quas Auctores afferant.

16. Demum illud, quod addit de gravibus rationibus dubitandi, quibus S. Augustinus, S. Thomas, aliique gravissimi Auctores utuntur, nil probat; fateor enim, eos sæpe graves rationes dubitandi afferre (quamvis certum sit, gravissimos Auctores, inter alias, leviusculas etiam adducere) & quidem tales, propter quas multi graves viri tenebant & etiamnum tenent oppositum; atque ideo dicimus illas esse verè probabiles, ac proinde ita cum dubio conjungi in aliquibus, ut in aliis dubitationem expellant; potuissentque etiam in prioribus dubium expellere, si alia fuisset dispositio in eorum affectu ex voluntatis imperio.

SOLVITUR II. OBJECTIO.

Objectio.

17. OBJICIT secundò. Paritas rationum in materia facti reddit rem dubiam: sic si tres deponant, dispensatum esse cum Titio ut matrimonium contrahat, non potest illud contrahere si tres alii æqualis auctoritatis deponant contrarium. Ratio est, quia testimonium prius prorsùs eliditur per depositionem contradictoriam, quando testes sunt paris fidei. At eadem ratio sine umbra effugii valet circa jus, quando auctoritates & rationes sunt utrimque æquales. Ita Celladeus *quæst. 4. §. 2.* ubi ad dicta confirmanda primò allegat legem *Si ita fuerit legatum, ff. de rebus dubiis*; ubi traditur, legatum Sempronio amico relictum eo ipso vitiari & esse nullum, quòd sint duo Sempronii amici, qui pares amicitiæ rationes pro se habent. Idem porro videtur dicendum in omnibus casibus, ubi pares rationes & auctoritates stant pro utraque parte. Deinde §. 5. allegat August. *lib. de Principiis Rhetorices* (si tamen Augustinus illius libri auctor fuerit) ubi *cap. 8.* dicit, aliquas esse controversias, quæ græcè plegmata vocantur, quas ipse vocat irrationabiles, quia ita eadem utrimque afferuntur, ut in nulla re diversitas ulla appareat. Exemplo rem declarat: *Vicini adolescentuli, qui speciosas uxores habebant, noctu alter alterum obviam habuerunt; accusant invicem adulterii: nam quidquid altera pars dixerit, hoc altera dicat necesse est. Verisimile est, te adulterium voluisse committere quia adolescens es. Te quoque verisimile est voluisse quia adolescens es. Verisimile est, quia speciosam uxorem habeo. Te quoque verisimile est, quia & ego speciosam uxorem habeo. Facultatem tibi vicinitas præbuit; & tibi eadem vicinitas præbuit facultatem. Cur nocte in me? Cur tu autem in me incidisti? Nihil est quod distinguatur; & idcirco uter eorum, sive accusat alterum, se criminatur; sive se purgat, defendit eum, quem criminari videtur.* Eadem porro ratio locum habet quando rationes & auctoritates æquales afferuntur pro utraque parte. Ergo tunc sumus in dubio, & quæstio decidi nequit, quia nil est quod uni parti faveat, quod æquè alteri non faveat.

Acutissima S. Aug. observatio.

Respondeo inprimis, ut ad primum respondi, hæc omnia nil facere ad resolutionem quæstionis præsentis, quæ est reflexa, & optimè determinari potest etiam pro casu, quando utraque pars ita

Responsio 1.

habet

habet probationes æquales ut un recte determinari non possit. Itaque licèt omnia admittantur, ut jacent, nil inferri potest contra quæstionem præsentem, aut illius determinationem.

Lata est disparitas inter testes æquales deponentes contraria, & rationes æquales quæ probant oppositа.

18. Respondeo secundò, magnam esse disparitatem inter factum, quod probatur per testes, & opinionem, quæ per rationes & auctoritates probatur. Inprimis quando testes dissentiunt, evidens est alterutram partem esse mendacem, & loqui absque ulla ratione etiam apparenti, imò contra certitudinem; & quia nescitur quænam sit hæc pars, ideo neutra fidem meretur. At omnia opposito modo se habent in opinionibus, quæ probantur non per testes, sed per rationes, vel per præsumptiones evidentes, quod adsint rationes pro utraque parte, ut supra fusè probatum est. Deinde rationes pro opinionibus contrariis semper sunt aliquo modo dissimiles, & comparantur ad invicem ut excedens & excessum, ideoque una non prorsùs elidit vim alterius, ut fit in testibus, & oppositis rationibus prorsùs similibus. Hinc autem fit, ut intellectus propter dictum excessum flecti posset ex imperio voluntatis in assensum alterutrius partis, etsi nequiret ita flecti in casu testium æqualium, qui contraria testantur. Errat ergo Celladeus, dum dicit, nec umbram disparitatis afferri posse circa factum probatum per testes, & opinionem rationibus comprobatam, quia disparitas valdè lata est & aperta. Præterea etiam circa factum solvi potest dubium in casu paris auctoritatis ex parte actûs primi, modò affectus voluntatis ad partem alteram accedat; sic videmus, homines sæpe ea credere quæ cupiunt, etsi alii numero pares dicant oppositum. Verùm etsi in casu testium parium dubitatio simpliciter loquendo directè determinari possit, non tamen potest determinari, si intellectus post comparationem factam judicet utramque rationem & auctoritatem esse prorsùs æqualem. Cæterùm si judicium quæstionis decisivum in tali casu eliceretur, illud non esset probabile & prudens, nisi auctoritas, cui inniteretur intellectus, invincibiliter appareret major oppositâ & digna fide etiam in contradictione alterius.

Lex citata nil probat, sed potiùs nobis favet.

19. Confirmatio *ex leg. Si ita fuerit legatum*, non facit ad rem, quia quamvis de facto justis de causis statutum sit, ut legatum ejusmodi censeatur nullum; si tamen talis lex non extaret, legatum jure naturæ valeret, & hæres illud solvere teneretur; quia si neutri solveret, rem alienam retineret, cùm certum sit, testatorem voluisse legatum alteri illorum tribui, & ab hærede non possideri. Itaque si duo illi Sempronii inter se convenirent, ita ut uterque dimidio contentus esset, aut unus in favorem alterius jure suo cederet, hæres juxta illorum conventionem legatum solvere teneretur. Non ergo apparet, cur nullitas legati in tali casu sit objecta. Valet quidem exemplum ad ostendendum, Judicem nulli parti licitè favere posse, quamdiu potior ratio non apparet pro una quàm pro altera parte. Id ipsum etiam probatur exemplo ab August. ponderato, quod manifestè procedit de judicio post accusationem & defensionem ejusdem planè rationis faciendo, quandò judici constat, easdem prorsùs ac simillimas accusationes & defensiones utrique parti favere, in quo casu nequit intellectus alterum liberare, alterum condemnare, quia per hoc ipsum putaret accusationem unius esse alterius accusatione meliorem, & sic simul haberet judicia contradictoria, quod repugnat. Cæterùm quamvis tertia persona prorsùs indifferens, quæque absque passione animi tales accusationes & excusationes audiret, neutram partem alteri præferret, quia actuali judicio judicaret rationes utrique parti faventes esse prorsùs æquales; tamen ipse posset suspicari neutrum esse innocentem, sed utrumque reum, quia, non obstante tota illa defensione & accusatione, uterque verè potuit esse reus, quamvis uterque bene ostendat, non esse cur ipse potius judicetur reus, quàm adversarius; neuter tamen absolutè ostendit se non esse reum. Similiter uterque ex accusatoribus suspicari & simpliciter judicare posset alterum esse reum, quia si ipse in sua conscientia sit reus, credere potest etiam alterum esse reum, utpote qui easdem prorsùs commoditates habuit, quibus ipse usus est ad adulterandum. Si verò sit innocens, cùm propria innocentia ipsi magis perspecta sit quàm alterius, non est cur alterum adulterii reum judicare non possit. Itaque hæc exempla non ita procedunt de re prorsùs dubia, ut Celladeus contendit. Sed quidquid sit de illis, nil ex illis contra nos inferri potest. Versamur enim in casu quando neutra pars est probabilis; si enim altera pars contra alteram esset probabilis, quælibet alteri præferri posset simpliciter, ut mox ostendam ex ipso S. Augustino, quamvis neutra præferri posset, si utraque reflexè crederetur esse æqualis alteri.

Curbica agatur de motivorum elisione?

20. Porro quia Celladeus hoc loco contra veritatem contendit, quòd motiva æqualia, si sint contraria, sese omninò elidant, idque ex lege illa citata, atque ex allato Augustini loco confirmat, operæ pretium duxi, errorem illius detegere, atque præter dicta in superioribus alia nonnulla ad rem hanc spectantia adducere; potissimè verò quæ legi apud Esparzam in Appendice, qui rem hanc egregiè tractat, neque aliud in eo displicet, nisi quòd nimiùm adversariis concedat. Videtur enim admittere, quod opposita motiva æqualia & similia se prorsùs elidant, adeo ut intellectus elicere non possit judicium pro ulla parte, quando pro utraque testes numero & qualitate pares afferuntur. Ego quidem fateor, judicium elici non posse, si intellectus existimet auctoritatem eorum in ordine ad rem assertam esse prorsùs æqualem; sed quòd non possit ulli ex partibus in actu primo æqualibus assentire, atque ob affectum & imperium voluntatis uni parti addictum, illam alteri præferre, adduci non possum, ut credam. Et sanè experientia quotidiana probat, homines etiam paucioribus & minùs qualificatis contra plures & fide digniores sæpe credere, merè propter affectum ad personas dicentes, aut res dictas; cùm præscindendo ab illo, nulla sit ratio, unde veritas magis appareat ex parte illorum, quàm aliorum adversantium. Quamvis ergo testes in actu primo sint æquales & similes, tamen in actu secundo hi illis veraciores æstimari possunt, ob affectum illis aut illorum dictis peculiariter alligatum. His prænotatis, ad rem ipsam accedo, & doctrinam de motivorum elisione propono, idque eò libentiùs, quia per illam, quidquid dictum est tam *quæstione superiore* de libertate dubitandi, quàm *quæst. 30. & 33.* de libertate opinandi æquè & minùs probabilia, validissimè confirmatur.

Esparza laudatur, sed nimis adversariis cedit.

Idem dicendum de textu S. Augustini.

ASSER-

ASSERTIO V.

Propositum sit explicare quid & quotuplex sit motivorum elisio? quæ motiva elidant? quæ elidantur? & qualiter hæc contingant?

Perfecta elisio quid sit?

21. Duo motiva se elidere est ea mutuas vires enervare, & quodammodo annihilare, eò quòd in ordine ad movendum intellectum perinde se habeant, ac si non existerent. Et hæc quidem est perfecta & mutua elisio motivorum. Elisio autem non mutua tunc habetur, quando unum motivum prorsùs ita enervat vim alterius, ut ipsius vis aut intacta maneat, aut certè aliquam movendi vim retineat. Exemplum hujus elisionis non mutuæ habetur in motivis evidentibus & scientificis, quæ ita enervant priora motiva probabilia, ut ipsa nullam suæ vis diminutionem patiantur. Exemplum aliud habetur in motivis incertis prorsùs homogeneis, quæ intellectus agnoscit esse similia & prorsùs homogenea, quorum tamen unum majus est altero. Majus enim elidit minus, ita tamen ut ipsum multùm de sua vi perdat, cùm non plus moveat quàm solus excessus movisset, si solus extitisset; quia in casu præsenti quoad partem oppositio motivo commensuratam penitus eliditur. His positis.

Alia est mutua, alia non mutua. Quid sit utraque?

22. Dico primò. *Motiva incerta & dissimilia, sive sint æqualia sive inæqualia, non se perfectè elidunt, sed solùm imperfectè.*

Motiva incerta & dissimilia non se elidunt perfectè, sed solùm imperfectè.

Probatur. Motiva incerta & dissimilia non perdunt vim alliciendi intellectum ad assensum propter præsentiam aliorum etiam potentiorum, nec ita se habent in ordine ad movendum intellectum, ac si non existerent. Ergo ejusmodi motiva non se elidunt perfectè. Tenet consequentia. Antecedens constat non solùm in omnibus opinionibus hinc inde controversis, sed etiam in ipsa fide firmissima, contra quam intellectus sæpe allicitur ad dissensum, quamvis motiva pro fide sint longè potentiora. Ratio est, quia motiva dissimilia commensurari non possunt, sed necessariò se mutuò excedunt secundùm quid. Hinc fit, ut excessus ille penitus elidi non possit per aliud dissimile, utpote quod per aliam specie perfectionem sollicitat ad assensum. Hoc autem non tollit vim alliciendi in vi motiva alterius speciei fundatam. Ergo motiva incerta & dissimilia nunquam perfectè se elidunt. Tunc autem perfecta elisio vel maximè excluditur, quando motiva sunt dissimilia, & nescitur quodnam sit absolutè potentius, sed virtus utriusque videtur vim alterius excedere. Nihilominùs in hoc etiam casu datur quædam elisio imperfecta, quia unumquodque diminuit vires alterius, cùm singula minùs moveant in contradictione oppositi, quàm moverent si solitariè sumerentur. Talis autem virium diminutio est elisio quædam imperfecta & secundùm quid, sicut perfecta virium extinctio est absoluta & simpliciter dicta elisio.

Libertas opinionis quoad speciem actûs, fundatur in vi motivorum in actu primo non elisa.

23. Porro in hac motivorum dissimilium vi non elisa, quatenus illa se tenet ex parte actûs primi, fundatur libertas opinionis quoad speciem; cùm enim motiva singula impellant ad assensum, & non clarè constet, quodnam absolutè prævaleat, necesse est, ut, accedente affectu & imperio voluntatis, intellectus absolutè amplectatur unum ut verum, & alterum repellat ut falsum. Verùm cùm oppositus affectus, & oppositum imperium elici potuerit à voluntate, perspicuum est, judicium quoque oppositum non minùs subdi libero arbitrio, quàm illud quod hîc & nunc imperatur. Et hoc est opiniones esse liberas quoad speciem actûs, seu, quod in idem recidit, æquè aut minùs probabilia esse opinabilia; quando scilicet verè sunt solùm æquè aut minùs probabilia in actu primo, ita tamen ut nec æqualitas nec excessus clarè percipiatur, nec per judicium comparativum absolutè affirmetur. Tunc enim necesse est, ut accedente affectu ad unam partem, pars illa fortiùs moveat, & probabilior appareat oppositâ. Atque ita demum intellectus ex imperio voluntatis huic præ altero motivo absolutum assensum præbet.

Inter motiva differentia singulis in præferendo ad quod magis alliciunt.

24. Hinc est, quòd unusquisque in similibus absolutè judicare soleat juxta prædominium affectûs ad rem, quam amat, & affectivè pluris facit. Sic Pictor judicat plus artis latère in sua professione, quàm in arte statuaria; statuarii autem suam artem picturæ præferunt, nec unquam fiet, ut alter alteri cedat, nisi affectum voluntatis mutet. Cùm enim utraque ars sit præstantissima, nec appareat clarè quæ alteri præcellat, unaquæque autem secundùm quid evidenter præmineat alteri, fit, ut unusquisque eam meliorem judicet, erga quam magis afficitur. Itaque in illis perspicuum est, totam judiciorum diversitatem ab affectuum varietate desumi. Ergo quoties motiva contraria dissimilia, quorum excessus non est manifestus, simul insunt intellectui, toties datur motio sufficiens ad alteri parti assentiendum pro arbitrio libertatis.

Motiva similia quia si tantilla, an & quando perfectè se elidant?

25. Dico secundò *Motiva similia & æqualia si aut evidenter sciantur esse æqualia, aut absolutè reputentur æqualia, perfectè se elidunt in ordine ad movendum intellectum taliter affectum.*

Probatur. Intellectus consequenter ad talem comparationem nullatenus movetur ad præferendam unam partem alteri; quia quidquid affertur pro una parte, cognoscitur habere aliud æquale & prorsùs simile pro parte contraria. Unde nil est, quòd ullam vim exerere possit. Neque enim tale motivum potest plus movere intellectum, stante simili & æquali motivo in contrarium, quàm pondus libræ potest caput meum premere, quando fulcitur ab alio pondere prorsùs æquali. Totum autem hoc fundatur in perfectè simili, æquali, & commensurata vi illorum motivorum, si ad invicem comparentur.

Non fieri per se elisio pro judicio privato.

26. Cæterùm quamvis auctoritates aliquæ sint prorsùs æquales ex parte actûs primi, & habeantur tales ab omnibus qui nullo affectu magis propendent ad unam quàm ad alteram partem contradictionis, nihilominùs illæ non ita se elidunt, ut nullus alteri illorum assensus præbere possit. Eo ipso enim quòd quis magis afficiatur ad personam unam, quàm ad aliam, aut desideret rem ita se habere sicut unus eorum dicit, & aversetur rem ab altero assertam, facillimè determinat intellectum ad illud affirmandum, & credendum quod cupit, ut manifestâ experientiâ constat. In quo casu totus excessus apparentiæ majoris consequitur dictum affectum, ut patet.

Sed fieri per elisionem quoad judicium publicum.

27. Sed in hoc casu judicium, quod elicitur, non est prudens & rationabile, sed merè voluntarium, & ex passione indebita ortum, ut patet. Unde sequitur, omne tale judicium ineptum esse pro judicio fori externi, quod debet esse tale, ut hominibus nulla passione affectis, sed prorsùs indiffe-

indifferentibus meritò placere possit. Atque hinc fateor, motiva ejusmodi, similia & æqualia, in ordine ad tale judicium aut sententiam ferendam esse prorsùs inepta, atque seſe prorsùs elidere, ita ut nulla illorum ratio magis habenda sit, quàm si nil prorsùs pro talis causæ decisione allatum fuisset. Hoc autem & non aliud præbent tam leges citatæ, quàm auctoritas Augustini hîc à Celladeo perpensa, ut mox constabit.

Leges, & Tribunalium praxis probant, motiva dissimilia nō se elidere.

28. Et sanè praxis Tribunalium, & leges talem praxim præscribentes, totam hanc de motivorum similium & æqualium elisione, déque inæqualium & dissimilium vi, ac de oppositorum judiciorum libertate doctrinam apertè tradunt. Et quidem qui perlegerit *4. quæst. 2. & 3.* & percurrerit titulos *de probationibus, & testibus*, ubique inveniet excessum aliquem semper requiri, ad hoc ut sententia publica feratur. Adeo ut Glossa *in cap. licet causam, de Probationibus*, aliique omnes pro regula indubitata habeant, quòd ubi probationes sunt omnino æquales, res neutri parti judicari, sed lis forte aut aliqua simili ratione terminari debeat. Hoc autem est probationes illas se elidere, & ita se habere ac si non fuissent prolatæ, saltem in ordine ad judicium fori externi. At si probationes sint inæquales aut dissimiles, ex eisdem titulis æquè manifestum est, judicem, inspecta probationum vi ac qualitate, debere sententiam proferre, ac proinde pariter ex eisdem certum est, tales probationes non se elidere; quia probationis elisæ nulla ratio haberi potest, cùm illa nullatenus movere possit ad assensum. Probatur hoc ex *4. quæst. 2. & 3. cap. si testes.* ubi ex legibus civilibus hæc transumpta habentur. *Sæpe sine publicis monumentis, cujusque rei veritas deprehenditur, aliàs numerus testium, aliàs dignitas & auctoritas, alias veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Non ergo ad unam probationis speciem cognitionem statim judex alligare debet; sed ex sententia animi sui existimare, quid aut credat, aut parum sibi probatum opinetur.* Similiter in eodem Canone sub initium, *ex lege ob carmen* hæc præmittuntur: *Confirmabitq; Iudex motum animi sui ex argumentis & testimoniis, quæ rei aptiora, & vero proximiora esse compererit.* Ex his constat, utrumque jus supponere, motiva dissimilia non se elidere, nec unum per aliud non evidenter majus elidi; alioquin si una ratio prorsùs elideretur per aliam, non esset in quo judex deberet motum animi sui confirmare ex iis, quæ probabiliora aut verisimiliora viderentur, quia opposita per hoc ipsum essent prorsùs elisa, nec magis moverent, quàm si non essent, idque independenter ab omni dispositione ac motu animi in judice. Non ergo monendus esset Judex, ut ex animi sui sententia judicet quid sit credendum? Quid ut minùs probatum rejiciendum? Monendus tamen fuit officii sui; norunt enim Sapientes legis-latores, omnem sententiam in hujusmodi casibus ab affectu voluntatis pendere; ac proinde timentes, ne Judices nimis facilè affectui indulgerent, eos monendos censuerunt, ut sincerè rationes considerent, & quantum possunt soli præponderantiæ rationum animum adjiciant. Demum ut nil judicent, nisi quod, omnibus inspectis, rationabilius ac verisimilius reputant. Ex his omnibus constat, motiva utrimque probabilia & dissimilia non se elidere, ideoque utrumque contra alterum vim movendi retinere; ex quo sequitur, liberum nobis esse utrilibet pro arbitratu assensum præbere, atque etiam ab omni judicio abstinere, & dubitare. Tantum ergo abest ut leges nostræ doctrinæ repugnent, ut illam validissimè clarissiméque confirment.

Augustinus admittit motiva dissimilia non se elidere.

29. Quòd autem ad allatum ex Augustino locum attinet, evidens est textum percurrenti, quòd S. Doctor omnes illas propositiones alogas, seu irrationabiles, vel inopinabiles, in iis tantùm casibus constituat, in quibus rationes pro utraque parte sunt & habentur prorsùs similes & æquales, quæ proinde ita se elidunt, ut quæstio rationabiliter determinari non possit. Verùm notandum omnino est, quod in hoc ipso loco subdit Augustinus; ait enim. *Nos si afferatur aliquid ad defensionem vel mediocriter probabile, admittimus; sed si evidenter confessa causa est, explodemus.* Id est, omne probabile à genere Asistatorum repellimus, & in controversiarum opinabilium classem transcribimus. Ecce Augustinus in hoc ipso loco nobiscum sentit. Et sanè nisi dicas, Augustinum non omnia asistata numerasse, sed mancam divisionem fecisse, ubi ex professo de illis illorumque divisione agit, manifestum est, ipsum sensisse motiva incerta & dissimilia non se elidere, alioquin plures assignare debuisset species asistatorum, quia omnia illa sunt aloga & asistata quæ mutuò se perfectè elidunt, ut patet. At motiva etiam dissimilia & æqualia se eliderent. Ergo constituerent speciem asistati, ab Augustino non positam, utpote qui de illis solùm agit, quæ adeo similia sunt, ut nemo discernere possit verùm à falso, aut moveri ad unum potiùs credendum quàm alterum, ideoque in tali casu nunquam videmus quemquam prudentem de talibus judicare. At ubi motiva sunt dissimilia, videmus doctissimos quosque in contrarias sententias abire. Ergo certum est tum ex praxi communi, tum ex mente Augustini, motiva dissimilia non se elidere, sed actu movere intellectum, ac proinde utramque partem contradictionis reddere opinabilem.

Augustinus expressè agnoscit parem esse auctoritatem contradicentium, quando tituli fidem postulantes sunt dissimiles.

30. Cæterùm idem sensus Augustini colligitur *ex cap. in Canonicis, distinct. 19.* (quod caput latè expendi contra Mercorum *quæst. 27. de Conscientia probabili, num. 18. & sequentibus*) ubi in fine dicit; *Si autem alias* (Scripturas Canonicas) *invenerit à pluribus* (Ecclesiis) *alias à gravioribus haberi, quamquam hoc inveniri vix possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.* Ecce hic sunt duo motiva dissimilia, nempè major multitudo ex una parte, & major dignitas Ecclesiarum ex alia, nec constat, quæ pars simpliciter alteram superet. In hoc casu Augustinus agnoscit talia motiva non se elidere, alioquin singula nullius essent auctoritatis in contradictione partis oppositæ, cùm tamen utraque ejusdem auctoritatis sint ex mente Augustini: ergo Augustinus adversariis nostris certissimè contrariatur, nobisque per omnia consentit. Vide locum proximè citatum, ibi enim ex hoc textu probo, licitum cuique esse usum cujusvis opinionis certò probabilis, quando non constat quænam sit probabilior. Imò ex Augustino ibidem probo, usum opinionis directè minùs probabilis esse licitum, atque ex hoc Canone ostendo, Augustinum reipsa hoc sensisse.

Augustinus docet, praxim contradictoriarū opinionum esse licitam, prout quisque suā fidē & conscientiā formar.

31. His adde Augustinum *Epist. 117. cap. 3.* quem Esparza *in Appendice art. 128.* citat, & appositè ponderat. Quærit ibi Augustinus, an quotidiana communio sit licita? Antequam quæstionem dirimat, utramque sententiam cùm suis fundamentis his verbis proponit. *Dixerit aliquis non quotidiè accipiendam Eucharistiam. Quæsieris quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus puriùs homo*

homo continentiusq; vivat, quo ad tantum Sacramentum dignius accedat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Alius contrà: Imò, inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate Antistitis debet quis ab Altari removeri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non ut arbitrio suo cùm libet, vel auferat se communioni, vel reddat. Cæterùm si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus aliquibus homo judicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici Corporis separare. Hæ rationes sunt manifestè dissimiles. Sunt ergo vel æquales vel inæquales. Si æquales, per Celladeum perfectè se elidunt; si inæquales, major elidit minorem. In primo casu neutra pars esset opinabilis; in secundo, pars tantùm prævalens absoluto judicio affirmari posset. Jam Augustinus eadem de istis motivis sentire deberet, si Celladeo consentiret. At Augustinus longè aliter procedit; agnoscit enim simultaneum motivorum sufficientium vigorem & probabilitatem, & admittit utriusque electionem, & usum esse licitum juxta motum piæ affectionis, per quam quisque determinatur ad credendum, hoc præ illo expedire. Sic enim resolvit casum. *Rectiùs inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui monet, ut præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem unusquisque quòd secundùm fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat Corpus & Sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Nec enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zacheus & ille Centurio, cùm alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum, alter dixerit, Non sum dignus: Ambo Salvatorem honorificantes diverso, & quasi contrario modo. Ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consequuti, &c. Sic in ore cujusque Christiani Sacramentum illud quomodò sumatur æstimandum. Nam & ille honorando non audet quotidiè sumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum solùm non vult cibus ille, sicut manna fastidium.* Ecce Augustinus censet, utramque hanc opinionem, & praxim, quantumvis una alteri contradicat, esse practicè tutam & honestam, ideoque utramque simul habere probabilitatem practicam, ad conscientiam debitè formandam omnino sufficientem, & per consequens unam non elidere aliam, sed intellectum ex affectu & imperio voluntatis prudenter & laudabiliter flecti posse ad alterutri pro libito assentiendum; & sic hominem licitè ac meritoriè ad praxim accedere juxta rationabile suæ conscientiæ dictamen. Hæc & non alia docet benigna sententia. His dictis circa elisionem motivorum, mirabilis & singularissima quædam Celladei opinio, quam in hac ipsa *quæst. 4. lib. 4.* incidenter tractat, supereſt examinanda. Sit ergo

Opinio Augustini de quotidiana cõmunione.

ASSERTIO VI.

Celladeus apertè fallitur in proponenda quæstione, de obligatione confitendi peccata dubia. Deinde ad rem tanti momenti determinandam, nullius roboris argumento utitur.

32. PROBATUR. Celladeus *lib. 4. quæst. 4. §. 7.* incidenter loquens de peccatis dubiis, pro veritate comperta asserit, neminem in ullo dubio purè negativo, sive juris sive facti, habere obligationem confitendi peccata: omnes verò in dubio positivo ad ea confitenda obligari. Hæc est singularissima illius opinio de hac re, circa quam Auctores ita divisi sunt, ut pauculi aliqui dixerint, nullam esse obligationem confitendi peccata dubia, sive positivè sive negativè dubia fuerint; alii docuerint, omnia prorsùs peccata dubia clavibus esse subjicienda; plurimi demum quæstionem distinxerint, atque dixerint, peccata negativè dubia ex necessitate confitenda esse, sed de positivè dubiis talem obligationem non dari. At neminem, ni fallor, invenies, qui dicat ita adesse obligationem confitendi peccata positivè dubia, ut nulla vigeat obligatio confitendi peccata dubia negativè. Singularis ergo est Celladeus in hac sua doctrina, quæ certè summi momenti est, cùm ad conscientiarum praxim deserviat, & quod plus est, non ad humanam, sed Divinam legem pertineat. Celladeus apertè fallitur in proponenda quæstione de obligatione confitendi peccata dubia.

Doctrinam hanc singularem sic proponit, & probat Celladeus. *Nil occurrit, ut putes te concupisse uxorem alienam. Hic est casus dubii negativi. Iam occurrunt magna fundamenta, ut dubites à te concupitam uxorem alienam: magna item, ut dubites, vel credas non fuisse concupitam. Hic est casus dubii positivi, &c. In primo casu nullus remorsibus conscientiæ videtur esse locus, secùs in secundo. Asserimus ergo in primo casu ad nil teneri, & teneri in secundo.* Quid ais Antoni? Casus, quem proposuisti, éstne casus dubii negativi, de quo agunt Auctores? Ostende vel unum, qui sub illis terminis dicat, quemquam obligari ad accusandum se sub dubio de aliena uxore concupita. Sed cùm neminem inveneris, fatere te errasse, & hunc non esse casum dubii negativi. Quid enim? dubitasne tu, te me interfecisse, quia nulla tibi occurrit ratio, ob quam putes me à te fuisse interfectum? Nónne, absente omni tali ratione, adsunt alia motiva, quibus convictus conscius tibi es, me tibi ne quidem unquam fuisse præsentem? Non ergo dubitas de hoc, ne quidem negativè, ideoque conscientia tua hac de re nullis stimulis agitur. At qui negativè dubitat, conscientiæ stimulis vexatur, quia in statum animæ suæ reflectens, necessariò dicit *fortasse peccavi, fortasse non peccavi.* Ratio est, quia ille solùm dubitat negativè, quia ita pro una parte nullas habet rationes, ut nullas etiam habeat pro altera; quique proinde non potest sibi persuadere, se esse à peccato immunem, eò quòd nullum ad se peccato liberandum fundamentum habeat. Ergo necessariò conscientiæ stimulis agitur, & anxius hæret, utrùm peccarit necne; atque ex quadam necessitate dicit, *fortasse peccavi, fortasse non peccavi.* Hic, Celladee, & non quem tu proposuisti, est casus dubii negativi. Imaginare te in tali casu constitutum, mortique proximum, & dicas, utrùm, nulla te solicitudo veniam à Deo petendi, nulla remedium

Dubium negativum de peccato conscientiæ stimulum nec.

remedium ab eo pro remissione peccatorum stabilitum apponendi urgeret? Profecto video & te, & quemvis cordatum, (ad cujus conscientiam ego contra te appello, sicut tu ad eandem in initio tuæ probationis contra adversarios tuos appellabas) non parum anxium futurum, ne remedium negligendo, æternam suam salutem discrimini committat. Ecce dubium negativum & sollicitudinem secum fert, & conscientiam cruciat. Errasti ergo, Celladee, in proponendo statu quæstionis; nec tantùm in hoc errasti, sed quod plus est, in re tanti momenti, singularem, periculosam, ac minùs tutam doctrinam ponis, eamque argumento evidenter fallaci confirmas, quia aliud non affers, nisi quod ego ex te proposui. Illud autem aliud fundamentum non habet, quàm falsam illam quæstionis propositionem, ut patet.

Quamvis peccatū sit negativè dubium, tamen obligatio illud confitendi non est negativè dubia.

33. Est & alia æquivocatio in hac re: agitur enim de obligatione confitendi peccata negativè dubia; quæ obligatio non est negativè, sed positivè dubia, cùm plurimæ rationes atque auctoritates suadeant talem obligationem dari, quamvis peccatum ipsum sit purè negativè dubium. Quod cùm ita sit, fieri nequit, quin conscientia æquè stimuletur circa obligationem confitendi peccata negativè dubia, ac circa obligationem confitendi peccata dubia positivè. Neque enim ulla in hac re aut apparet, aut datur diversitas. Atque ex hoc iterum apparet nullitas argumenti, quo Celladeus suam sententiam confirmat; ex eo enim quòd nulla detur ratio dicendi peccatum esse commissum vel non commissum, infert nullam esse rationem, quæ probet obligationem confitendi illud ut dubium, ac proinde conscientiam non esse sollicitam de remedio apponendo, nec remorsu ac timore agitari. Verùm illatio est nulla, & illatum apertè falsum. Lapsus autem iste ex dicta æquivocatione ortum habuit, quia confundit carentiam rationis ad affirmandum pectum cum carentia rationis ad affirmandam obligationem confitendi talia peccata; quæ duo sunt toto Cœlo diversa: & tantum abest, ut carentia rationis pro una parte fundet carentiam rationis pro altera, ut è contrario tam efficacia fundamenta pro obligatione confitendi secum afferat, ut majorem Doctorum partem ad eam obligationem astruendam attraxerit.

Æquivocatio Celladei.

Celladeus non satisfacit argumēto, quod sibi objicit.

34. Neque hac in quæstione felicior est Celladeus in respondendo, quàm fuerat in arguendo. Sic enim sibi objicit ex Tridentino; *Solùm tenemur confiteri peccata, quæ in conscientia nostra sunt. Dubia autem non sunt; non enim magis sunt quàm non sunt, & propriè loquendo nec sunt, nec non sunt, sed se habent ad utrumlibet, & ad esse, & ad non esse propter æqualitatem fundamentorum.* Huic objectioni, quæ utique vulgaris est, & ab omnibus affertur, sic respondet. *Conscientia accepta est à Concilio juxta communem Scholarum & omnium acceptionem: ex hac autem conscientia alia est certa, alia dubia: quare quæ dicto modo sunt in conscientia, sunt propriè in conscientia dubia pro modo ipsius conscientiæ, cujus esse est ad utramlibet esse.* Admitto nunc responsum, sed illud contradicit singulari ipsius doctrinæ immediatè antea propositæ; scilicet quòd teneamur confiteri peccata positivè dubia, non autem dubia negativè: sic enim insto: Concilium loquitur de Conscientia juxta communem scholarum, & si vis etiam, juxta omnium acceptionem. At communis scholarum acceptio dividit conscientiam dubiam in positivè & in negativè dubiam, quæ distinctio notoria erat Patribus ac Theologis Tridenti congregatis: Et quod plus est nemo negare potest hanc acceptionem, cùm nemo vertitur in dubio negativo, quin conscientia ejus torqueatur formidine ne fortè gravetur peccato, & ob illud Deo odibilis existat. Ergo Tridentinum æquè agit de conscientia negativè ac positivè dubia; ac proinde vel omnia vel nulla peccata dubia sunt de necessitate confitenda. Præterea hæc ejus doctrina contradicit alteri opinioni ipsius, quam summopere urget; scilicet tutiora in dubio sub præcepto esse sectanda. Hoc si verum, haud dubiè, peccata negativè dubia necessariò sunt confitenda. Ecce alia contradictio.

Duplex Celladei contradictio.

Secunda ejus contradictio.

35. Sed quia Celladeus miratur, unde fieri potuerit, ut Auctores plus obligationis agnoverint in dubio negativo, quàm in positivo, juvat aliquid addere, ut talis admiratio ab illo, atque etiam ab imperito Lectore removeatur. Ratio hujus diversitatis ea est, quòd nemo in dubio negativo possit formare conscientiam de sua innocentia, quia nullum prorsùs habet fundamentum ad se in sua conscientia justificandum. Ergo tenetur medium adhibere quo justificetur & re ipsa, & in sua conscientia. At adultis baptizatis aliud remedium pro sua justificatione non datur, quàm Sacramentum Pœnitentiæ. Neque enim ipsa contritio perfecta justificat nisi ex vi voti talis Sacramenti, ut definitum est in Tridentino. Ergo dubius negativè non habet aliud medium ad se in sua conscientia coram Deo justificandum, quàm si aut contritionem perfectam eliciat, aut ad Confessionem accedat. Sed neque contritio eum justificat nisi vi voti de Sacramento. At votum illud aliud non est, quàm obligatio utendi ipso Sacramento, & propositum efficax talem obligationem implendi. Ergo datur obligatio confitendi peccata negativè dubia. E contrà non est tanta tamque inevitabilis necessitas confitendi peccata positivè dubia; eo ipso enim quòd sint positivè dubia, potest homo conscientiam suam formare, atque seipsum in conscientia sua coram Deo justificare, eliciendo actum, quo probabiliter credat, se non esse reum peccati, quo judicio stante non obligatur ea remedia opponere, quæ alter tenetur adhibere. Alter enim ad hanc justificationem suæ conscientiæ venire non potest, nisi mediante Sacramento in re vel in voto. At qui positivè dubitat ad hunc finem pervenire potest, etsi Sacramento non utatur. Itaque ratio probans necessitatem confitendi peccata dubia longè fortiùs urget pro peccatis negativè, quàm pro positivè dubiis. Dantur enim rationes & quidem valdè probabiles excusantes pro dubio positivo, quæ dubio negativo applicari non possunt. E contrà verò nil affertur pro obligatione confitendi peccata positivè dubia, quod ex æquo aut à fortiori non urgeat pro obligatione confitendi peccata dubia negativè.

Unde oriatur major obligatio confitendi peccata negativè dubia, quàm dubia positivè?

36. Et sanè qui attentè legerit Auctores asserentes unam, & negantes alteram ex istis obligationibus, inveniet eos communiter eò recurrentes, quod in dubio positivo (si illud sit verè probabile, de quo solùm loquuntur) homo rationabiliter possit præsumere, & existimare quòd non peccaverit, & consequenter quòd non teneatur, ne quidem sub dubio, se talis peccati reum agnoscere; cùm verè ampliùs de malo suo statu non dubitet, sed judicio probabili, rationabili, ac invincibili se talis crimi-

Ratio allata est quæ ab auctoribus cōmuniter affertur.

nis purum coram Deo inveniat. Cæterùm ſi homo in eo caſu non uteretur hujuſmodi præſumptione, nec judicium aut expreſsè aut virtualiter tale eliceret, paucos, nî fallor, invenies, qui talem hominem ab obligatione poſitivè dubia confitendi liberet, modò agnoſcat peccata negativè dubia ex neceſſitate eſſe confitenda. Ratio eſt, quia in tali caſu æqua eſt conditio conſcientiæ utriuſque, quia utraque manet dubia, neutra ſe juſtificat. Ergo utraque ex æquo obligatur ad remedium quærendum, quod aliud non eſt, ſtante tali dubio, præter Sacramentum in re vel in voto. Cæterùm non omnes videntur requirere, ut poſitivè dubius tali judicio explicito dubium deponat, cùm ſufficere videatur, ſi æquivalenter illud eliciat, exiſtimando ſe habere ſufficientem rationem ad tale judicium eliciendum, ac proinde præſumere poſſe, ſe liberum eſſe obligatione, quæ urgeret, ſi talis ratio deeſſet, atque poſſe perinde ſe gerere, ac ſi tale judicium eliceret; cùm præſto ſint media ad illud eliciendum, ſi voluntas ſuo imperio flectat intellectum ad aſſenſum. Et ſanè ipſe Celladeus, nî fallor, eandem doctrinam tradit; indicat enim nos non obligari ad confitenda peccata poſitivè dubia, ſi dubium per diſcurſum poſitivè, ut appellat, probabilem deponatur, quamvis adſint rationes in contrarium. At aliud non docent, quos hîc impugnat tamquam inconſequenter loquutos, quia nolunt quemquam excuſare ab obligatione confitendi peccata dubia, ſi illa ſemper dubia manſerint; ſed ſolùm quòd liberentur à tali obligatione in dubio poſitivo, ſi, ex vi rationum probabiliter probantium ſuam innocentiam, dubium deponant, ſeque peccati immunes rationabili judicio reputent; ſed quia judicium iſtud elici nequit in dubio negativo, ideo in illo obligatio confitendi premit ſic dubitantes. Conſideret hæc Celladeus, & fortaſſis admirationem ponet, & mirabitur, ſe, ex inconſideratione doctrinæ tam obviæ tamque fundatæ, miratum fuiſſe, & homines doctiſſimos ſolidè diſcurrentes ex nimis levi fundamento inconſequentiæ arguiſſe.

Celladeus idem docet, ob quod alios redarguit.

ASSERTIO VII.

Celladeus in hac ſingulari ſua opinione, ſibi in hac ipſa quæſtione peculiariter contradicit. Præterea eandem incurrit cenſuram, quàm aliis inurit.

Celladei cõtradictio.

37. PROBATUR prima pars. Dubium poſitivum juxta principia Celladei in hac quæſtione coïncidit cum dubio negativo; quoties enim motiva contraria ſunt æqualia, toties perfectè ſe elidunt; & conſequenter intellectus vi illorum non aliter ſe habet, quàm ſi omni motivo careret. Hoc autem eſt dubium poſitivum coïncidere cum negativo in ordine ad movendum intellectum, & conſcientiam ſtimulandam. Ergo impoſſibile eſt, quòd major ſit obligatio, aut titulus confitendi talia peccata, quàm peccata negativè dubia. Et tamen ex prætenſa diverſitate contendit, illa eſſe, hæc non eſſe, confitenda. Rurſus major eſt ratio confitendi peccata negativè quàm poſitivè dubia, ſaltem quando motiva pro peccato ſunt minora, quàm pro non peccato; tunc enim motiva pro peccato perfectè eliduntur, ſed oppoſita non eliduntur. Ergo tunc plus eſt pro innocentia, quàm in caſu dubii negativi. Contradictio ergo eſt nos univerſaliter obligari in caſu dubii poſitivi, & nunquam in caſu dubii negativi.

38. In alio etiam apertiùs ſibi contradicit. Ait enim æqualia motiva ab æqualibus, & minora à majoribus perfectè elidi. Rurſus aſſerit, peccata in caſu dubii poſitivi eſſe confitenda, quia motiva in tali caſu pungunt & mordent conſcientiam. Hoc ſecundum verum eſt, ſed contradicit priori, quia motiva, quæ pungunt & urgent, non ſunt motiva mortua & eliſa. Ergo ſimul aſſerit eadem motiva eſſe & non eſſe eliſa; in quo non minùs aperrè contradicit ſibi, quàm ſi dixiſſet, hoc ens eſſe animal rationale, ſed non eſſe hominem; quia de eiſdem motivis dicit ea habere definitionem & eſſentiam motivi non eliſi, & tamen aſſerit ea ſimul eſſe perfectè eliſa. Alia Cel. dei cons dictio.

39. Probatur ſecunda pars. Qui in re ad conſcientiam ſpectante abſque efficaci ratione invehit novam doctrinam, eamque minùs tutam, periculosè agit; maximè ſi per tranſennam tantùm rem illam tractet, eamque levi argumento confirmet. Hoc verum eſt, & eſt principium, quo ille utitur adverſus Caſuum Collectores, aliosque, quos contendit à peccato non excuſari, ſi errent, &c. At hæc omnia in ipſum quadrant, quia in quæſtione hac, quam merè per tranſennam tractat, ex leviſſimo ac nullo prorsùs fundamento contra omnes opinatur, ſectaturque partem minùs tutam in re ſummi momenti, ad jus Divinum & ad medium ad juſtificationem requiſitum ſpectante. Ergo incidit in cenſuram, quàm aliis inuſſit, nec in propriis principiis excuſari poteſt. Nec tamen eum ego peccati arguo, exiſtimo enim eum aliunde excuſatum. Incidit in propria ſuum illam.



QUÆ-

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA-TERTIA.

Vtrùm per ipsum non invenire veritatem satis solvantur dubia conscientiæ?

1. HUNC titulum *quæst. 6. libri 4.* præponit Celladeus, in qua nobiscum maxima ex parte consentit, ponitque assertionem, per quam destruit, quod antea ædificaverat, suaque priori doctrinæ reipsa contradicit. Hoc ut clariùs probem, simulque quæstioni propositæ respondeam, sit

ASSERTIO PRIMA.

Quando non inventio veritatis fundat ejusdem inventionem, dubia conscientiæ rectè solvuntur per ipsam non inventionem.

Non inventio aliquando solvit dubium.

2. HANC assertionem Celladeus ponit, & sic bene probat. Unica & recta dubii solutio est inventio veritatis dubitatæ. Ergo si quis ex non inventione veritatis possit rectè existimare, *si fuisset, invenirem*, utique ex non inventione invenit veritatem, & dubium solvit. Sic enim arguit. *Si fuisset inventum. Non inveni. Ergo non est.*

Non inventio post debitam diligentiam, solvit dubiũ in materia juris.

3. Hæc assertio, ut jacet in terminis, vera est. Sed, nisi explicetur juxta communem doctrinam, inutilis est ad praxim, quia nondum traditur regula, aut indicatur modus cognoscendi, quæ demum & qualis esse debeat non inventio, ut per ipsum non invenire veritatem veritas inveniatur. Communis utique opinio est, quòd in materia juris & legum obligatio cesset, quando post sufficientem diligentiam veritas non invenitur. Ratio est, quia non inventio veritatis ejusmodi post sufficientem diligentiam fundat sufficientem ejusdem inventionem. Rectè enim sic arguetur. Si lex talis lata & sufficienter promulgata fuisset, utique veritas talis legis inventa fuisset per sufficientem diligentiam adhibitam. At lex per talem diligentiam non invenitur fuisse lata, nedum promulgata. Ergo vel non est lata, vel non est sufficienter promulgata & proposita. Ergo cessat obligatio; quia lex non lata, aut, si lata, non sufficienter promulgata, nullam obligationem inducit.

Sed in materia facti universaliter non solvit dubium.

4. E contra in materia facti, universaliter loquendo, dubia conscientiæ non rectè solvuntur per non inventionem, etiam post exactam diligentiam; quia sæpissimè ex non inventione illa formari nequit rationabile judicium, quòd factum illud non extet, quamvis veritas illius etiam per summam diligentiam non inveniatur. Hinc est, quod Theologi, qui universaliter loqui, & generales pro moribus formandis regulas ponere solent, aliter de dubiis circa jus, aliter de dubiis circa factum loquantur. De illis universaliter enunciant, quod dubium per non inventionem post debitam diligentiam rectè solvatur. De istis è contrario dicunt, talem non inventionem universaliter non sufficere, quia per illam, sive solam, sive cum aliis principiis conjunctam, veritas non invenitur.

Disparitas in jure & in facto, in ordine ad arguendum à non inventione.

5. Doctrinam hanc Celladeus hoc loco approbat, quia expressè docet, omnem legem, sive naturalem sive positivam divinam, esse repetibilem ab eo, qui sufficientem diligentiam adhibuit; ideoque concludit, veritatem in eo casu per non inventionem inveniri. At loquendo de rebus facti aliter enunciat, & verum est quod dicit, nempe veritatem facti, universim loquendo, erui non posse per hoc, quod per sufficientem diligentiam non inveniatur. Disparitas est, quia leges sunt universales, perpetuæ vel diuturnæ, & fixæ. Contra verò facta sunt particularia, contingentia, varia. Unde in illis, non in istis, veritas ex ipsa non inventione eruitur. Hæc prosequitur Celladeus, & hanc diversitatem benè illustrat, ostenditque legem ex sua natura scibiliorem esse quàm factum. Tamen bene observat, factum esse posse tale, ut aliquando ex illius post debitam diligentiam non inventione veritas ipsa sufficienter inveniatur. In tali autem casu, dubium conscientiæ etiam in rebus facti benè solvitur per non inventionem. Sic dicimus, scrupulosos non obligari ad repetendum seu dicendum Psalmum vel Horam, de quibus dubitant, an ea recitaverint; quia in talibus non memoria de recitatione arguit recitationem extitisse. Scrupulosi enim in hac materia rarò aut numquam horam omittunt, quin probè sciant, se illam non recitasse. Itaque tales ex sola non inventione non recitationis rectè & probabiliter inferunt, eam non contigisse, sed recitationem factam fuisse. Aliter dicendum de non scrupulosis; illi enim potiùs inferunt non recitationem, si non meminerint recitationis, quia rarò contingit eos dubitare de recitatione, si verè recitaverint.

Non inventio utilis est scrupulosis ad conscientiam formandam etiam in materia facti.

Error Celladei.

6. Ex his concludit Celladeus, obligationem in istis casibus non ex eo cessare, quòd simus in dubio, & in dubio possessio stet pro libertate, (alioquin conscientia dubia numquam obligaret, quod est contra omnes) sed quia ex non inventione, post sufficientem diligentiam, *rectè concludimus* (sunt verba ipsius) *vel legem non existere, vel si humana est, non fuisse sufficienter promulgatam.* Hæc doctrina vera est, quoad secundam partem, sed quoad primam est falsa; obligatio enim in hoc casu ex eo etiam cessat, quòd in materia juris possessio stet pro libertate, quæ propter

propter hoc ipsum excusatur, quòd, post sufficientem diligentiam, nullam obligationem restringentem invenerit, & ex hoc ipso argumento rectè concluditur negatio obligationis, etsi intellectus ad aliud non respiciat. Sed quid? Sequitúrne hinc, conscientiam dubiam numquam obligare? Ita quidem contendit Celladeus; sed fallitur, quia aliquando possessio non favet libertati; sed legi, ut plerumque evenit in rebus facti. Ergo ex hoc quòd in materia juris titulus possessionis libertati faveat in dubio, quando veritas per debitam diligentiam non invenitur, non sequitur, conscientiam in omni dubio ex titulo possessionis formari posse. Præterea conscientia dubia semper quidem obligat ad tutiora, sed tunc solùm obligat, quando manet dubia. Quod si dubium tollatur, tunc sicut conscientia non amplùs manet dubia, ita nec manet conscientiæ dubiæ obligatio.

Mala Celladei illatio.

ASSERTIO II.

Non inventio veritatis non sufficit ad solvendum dubium conscientiæ, nisi veritas de non obligatione legis per eam non inventionem aliquo modo inveniatur.

Non inventio veritatis qualis esse debeat?

7. PROBATUR. Nisi homo in dubio constitutus, tandem inveniat se non obligari, judicetque opus esse licitum, proculdubio peccat. Ergo non inventio veritatis nunquam sufficit ad deponendum dubium, nisi homo per eam tandem inveniat veritatem de non obligatione. Porro dum agimus hîc de veritatis inventione, non loquimur de certa & evidenti ejusdem persuasione (hæc enim in rebus moralibus non requiritur) sed sufficit judicium probabile, quo res absolutè credatur esse licita; per ejusmodi enim judicium conscientia rationabiliter ac inculpabiliter formatur, dubiumque deponitur, ut patet.

Rigidissima Celladei opinio.

8. Cæterùm in eo valdè displicet Celladeus, quòd doctrinam hisce assertionibus contentam, & à se etiam pro vera habitam, tali restrictione limitet, ut ea pro conscientiarũ directione ac praxi nil valeat. Asserit enim paucos esse, qui vel probabiliter dicere possint, se sufficientem diligentiam adhibuisse. Unde infert, non satis esse Confessorem aut Theologum adjisse, aut rusticos Parochum consuluisse, quia non quivis Theologus, aut Confessarius, vel Pastor facit assertum suum probabile; alioquin non esset, cur Episcopi sufficientes adhibere tenerentur, quia quivis sufficeret. Præterea quilibet Parochus esset regula indefectibilis morum, & non culpæ; quod ait absurdum esse ex iis, quæ *lib. 1. quæst. 7.* tradidit.

Impugnatur dicta opinio.

9. Displicent hæc inquam, quia quamvis non omnis Theologus, aut Parochus, vel Confessarius semper reddat suam opinionem probabilem, quando illa scitur esse nova, aut contra torrentem aliorum, vel videtur Scripturæ aut bonis moribus, vel fidei contraria, &c. tamen quando Theologi, Parochi, aut Confessarii communiter habentur sufficientes & apti suo muneri, indubitanter dico, assertum talis viri in dubiis communibus esse intrinsecè probabile, maximè respectu idiotarum; quia haud dubiè idiotæ talem regulam sequentes plerumque non errant; siquidem talium virorum responsa plerumque vera sunt. Ergo qui talem regulam sequitur, ubique sequitur regulam verè & positivè probabilem, etiam in sensu Celladei, qui proinde hac in re propriæ opinioni contradicit.

Et sanè quis non videt, rusticos ad Parochum sibi præpositum recurrentes (maximè quando publicè habetur vir sufficientis doctrinæ) huæ obligationi satisfacere? Nónne ad eos accedunt, quos Deus pro conscientiarum directione ipsis præposuit? Quid ergo ultra requiritur ut agant? An ut ad civitates recurrant, Doctorumque collegia pro suorum dubiorum solutione congregent? Nil hoc absurdius cogitari potest. Ergo hoc sufficit, nisi fortè aliquando ob peculiares quasdam exceptiones Parochus vel Confessarius doctrina vel probitate sufficienti carere præsumeretur. Celladei contradictio.

10. Quod autem dicit de Episcopis, contra ipsum facit; nam illi hac ipsa de causa tenentur curam adhibere, ut viros ad populum erudiendum sufficientes in animarum Pastores promoveant. Ergo rudes, eo ipso quòd Episcopos suo munere rectè functos rationabiliter præsumant, & possunt & debent suis pastoribus fidem dare, quando in dubiis suis eos consulunt; nisi adsit peculiaris aliqua exceptio, eò quòd Pastor dicat aliquid contra receptos Ecclesia mores, vel aliquid prorsùs inauditum, quod fidei, aut bonis moribus contrarium videatur. Hinc evidenter sequitur, Parochos vulgares non esse indefectibiles in moribus regulandis, cùm ipsi non solùm errare, sed tam exorbitanter errare possint, ut fideles, etiam idiotæ, illis fidem negare teneantur. Cæterùm infallibile est, subditos sequentes doctrinam suorum Parochorum excusari, quando bona fide dictis illorum fidem habent, nec adsunt circumstantiæ, ob quas meritò dubitent an suo officio ritè fungantur. Et sanè totum hoc sequitur ex ipsa Celladei doctrina, quia rudes, taliter bona fide ex Confessarii consilio operantes, sequuntur regulam plerumque non errantem. Cùm ergo bona fide procedant, nec ullam dubitandi causam habeant, haud dubiè excusantur, quia vel non errant, vel, si errent, invincibiliter errant. Porro de nullitate prætensæ illius infallibilitatis in quocumque Doctore, fusè actum est supra *quæst. 14.* Argumentum contra ipsum facit.

ASSERTIO III.

Doctrina Celladei hic tradita contrariatur assertionibus & rationibus, quas antea tradidit tamquam potissima præcipuæ suæ opinionis fundamenta.

Celladei contradictio.

11. PROBATUR. Auctores benignæ sententiæ in eo potissimùm fundantur, quòd quamvis intellectus, stante æquali probabilitate directa de honestate & inhonestate rei, non assurgat, neque si illa æqualitas affirmetur assurgere possit ad formandam conscientiam ex vi talis probabilitatis; nihilominùs idem intellectus ex vi principiorum reflexorum assurgere potest ad conscientiam formandam, & ad concludendũ, nullam esse obligationem abstinendi ab opere, sed illud licitè poni posse. Assignamus autem varias vias, quibus quæstio hac ratione determinari, & cõscientia rationabiliter formari potest. E contra Celladeus doctrinam hanc *lib. 3. quæst. 9.* & alibi sæpe rejicit, contrariamque ut valde fundamentalem exaggerat, eò quòd nullus dari possit locus hujusmodi discursui reflexo, quando veritas directè determinari nequit. Hîc autem veritate convictus, nullo cogente, fugit ad discursum reflexum, & ex eo expresè asserit conscientiam ritè formari, quamvis ex vi considerationis directæ res maneat dubia,

dubia, & veritas inveniri non possit. Sic enim arguit. *Si fuisset veritas, invenissem. Non inveni. Ergo non est.* Hic discursus planè reflexus est, nec alium ad suam assertionem firmandam adhibet. Ergo & in modo arguendi, & in absoluta contrariorum traditione sibi ipsi repugnat, & contradicit.

Alia Celladei contradictio.

12. Rursus sententia benigna in eo etiam principaliter fundatur, quòd, in casu paris probabilitatis directæ pro utraque parte contradictionis, lex aut non existat, aut non sit sufficienter promulgata; quæ ratio est adeo patens & efficax, ut veritatem prorsùs evincat. Hanc doctrinam Celladeus maximo conatu impugnat *lib. 3. quæst. 8* & alibi, magnumque suæ doctrinæ præsidium in hujus nostri fundamenti impugnatione collocat. Et, quod plus est, *in hac ipsa quæst. §. 2.* vult talem non promulgationem non habere locum, etiam in casu, quando lex per sufficientem diligentiam non invenitur; nam tota quæstio procedit ex suppositione debitæ diligentiæ adhibitæ. Expresè enim sic concludit. *Ergo non inventio fundat inventionem. Illud porrò de lege non satis promulgata explosum est lib. 3. & de lege naturæ & divina explodetur latè parte 2.* Vult ergò promulgationem non habere locum in hac quæstione, idque vel universaliter, vel certè restrictè ad legem humanam; quia si sermo restringatur ad legem divinam aut naturalem, expresè dicit, se de illis nondum egisse, sed pollicetur, se latè acturum *parte 2.* Et tamen ac si nil horum aut dixisset, aut cogitasset, paulò post in eodem §. disertè concludit, *obligationem* in casu præsentis quæstionis *cessare quidem, non quia sumus in dubio* (sunt verba ipsius) *& in dubio possidet libertas, ut quidam loquuntur; sed quia ex facta diligentia & non inventione rectè concludimus, vel legem non esse, vel si humana est, non fuisse satis promulgatam.* Ecce tandem expresè fatetur, argumentum à non inventione veritatis post diligentem indagationem rectè probare, legem humanam aut non existere, aut sufficienter promulgatam non esse. At hoc est, quòd nos etiam dicimus, & in quo fundamur. Et tamen hoc ipsum est, quod ipsemet *in hac quæst* paulò ante rejecerat ut insufficiens, & explosione dignum; nam ex contextu apparet, quod explosio doctrinæ de lege non promulgata, de qua loquutus est *lib. 3.* sumi debeat universaliter, aut certè restrictè ad legem humanam. At quocumque modo sumatur illa ejus doctrina, maximè illa, quam ultimo loco hic adducto proponit, nimis apertè prioribus contradicit; quia particulare affirmatum non solùm contradicit eidem particulari negato, sed etiam contradicit propositioni universaliter neganti quod illa particularis asserit.

Argumentum à non inventione ad non promulgationē æque valet in omni lege.

13. Cæterùm errat Celladeus, si putet, argumentum hoc valere quidem in lege humana, non autem in lege divina & naturali, nam potiùs è contrario vim habet in illis; maximè quando veritas à multis probisque viris diu quæsita fuit. Ratio est, quia jus naturæ ita nobis inditum est, ut facilè innotescat; ideo enim dicitur jus naturæ, ge. quia solo naturæ lumine innotescit. Ergo si viri docti & probi diu quærant legem ejusmodi, & non inveniant, manifestè præsumendum est, talem legem aut non existere, aut nobis satis promulgatam non esse. Ergo ex non inventione post factam diligentiam hæc veritas invenitur, *Quod lex ejusmodi aut nulla sit, aut non sit nobis sufficienter declarata & promulgata.*

Lex positiva divina non est cognoscibilior lege humana.

14. Idem valet de lege divina positiva, quæ non est faciliùs reperibilis, quàm lex humana; quia nec in se, nec in modo suæ promulgationis est nobis notior, quàm lex humana. Non est notior in se, sed potiùs minùs nota, cùm plerumque sit de objectis minùs notis, minúsque discernibilibus, quam lex humana. Non in modo suæ promulgationis, quia illa utrobique perficitur per homines humanis vocibus utentes. Voces autem illæ in utraque lege eisdem æquivocationibus & exceptionibus subjacent, ut patet. Unde videmus Auctores pios & peritos non minùs dissentire de legibus positivis divinis, quàm de humanis. Præterea leges humanæ scripto traduntur, & in codicem rediguntur, ex quo facilè est ipsam legem originalem, aut copiam authenticam habere. E contrario, divinæ leges, quando primùm declaratæ fuerunt, oretenus tantùm, & non ex scripto traditæ sunt; eædemque eodem modo etiamnum tradi solent infidelibus, quando ad fidem convertuntur. At iste modus tradendi & cognoscendi leges ex se majori erroris & ignorantiæ periculo subjacet, quàm quando leges omnes sunt scriptæ, & in codice continentur. Ergo lex divina positiva non est magis reperibilis quàm humana. Ergo malè asserit Celladeus hanc posse, illam post debitam diligentiam adhibitam ignorari non posse. Vel enim utraque, vel neutra, vel, si ulla diversitas sit, potiùs divina quàm humana ignorari potest post debitam diligentiam. Ergo ex non inventione post debitam diligentiam tam de lege divina positiva quàm de humana rectè concluditur, quòd aut non existat, aut sufficienter promulgata & declarata non fuerit.

15. Hæc dicta sint ad *quæst. 6.* Omittam autem examinationem *quæst. 7.* quia ad rem præsentem non videtur quidquam conducere. Quare ad alia progrediendum est.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA QUARTA.

Vtrùm, & qua ratione pars tutior in dubiis sit eligenda?

1. CONTROVERSIAM hanc ex professo tractat Celladeus *lib. 4. à quæst. 8. inclusivè ad 14. exclusivè*, ubi multa contra benignam sententiam, ac ipsam veritatem congerit. Meum erit eum comitari, atque ejus errores, more meo, positis assertionibus redarguere.

ASSERTIO PRIMA.

In omni dubio practico tutior pars ex præcepto tenenda est.

Dubium practicum quid?

2. DECLARATUR assertio, in qua omnes conveniunt. Dubium practicum tunc est, quando homo dubitat de aliqua actione; utrùm sit vel non sit peccatum, seu contra legem, & non habet rationem, per quam, dubio deposito, credat rem esse licitam. In hoc casu dicimus, unumquemque obligari ad partem tutiorem amplectendam. Pars autem tutior est illa, in qua nullum esse potest peccatum. Hæc est pars tutior quoad se; illa autem est pars tutior quoad nos, in qua nullum peccati periculum apparet. Celladeus eam etiam partem tutiorem appellat, in qua est minùs malum seu peccatum quàm in parte opposita. Sic quando occurrit necessitas materialiter violandi duas leges, pars tutior est quæ minus malum continet. Verùm hæc ejus acceptio non minùs falsa est, quàm singularis; quia in eo casu neutra pars est tuta quoad nos. Cùm enim duæ leges exigentes contraria pro iisdem circumstantiis non existant, certum est, unam tantùm legem urgere pro tali circumstantia. Non constat autem potiùs unam quàm alteram ex illis vigere. Ergo de nulla dicere possumus, quòd hæc sit tutior, quia fortasse non illa sed solùm opposita lex existit, & verè violatur. Itaque in tali casu neutra pars est tuta, ut patet. Ergo neutra est tutior. Non tamen nego alteram esse præferendam quoad nos, sed illa non præfertur titulo sequendi partem tutiorem, sed ex alio principio notissimo, scilicet, quòd ex duobus malis collectivè inevitabilibus minus sit eligendum. His pro intelligentia quæstionis præmissis.

Pars tutior quæ?

Celladei error.

Tutior pars semper tenenda est in dubio practico.

3. Probatur 1. ex Apostolo ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Sensus est, omne quod non sit ex persuasione conscientiæ dictantis rem esse licitam est peccatum, ut communiter exponitur. At nulla ejusmodi fides elicitur, stante dubio practico. Ergo, &c.

Probatur 2. *ex 3. Eccles. Qui amat periculum peribit in illo.* Atqui amat periculum, qui in dubio mali operatur, quia temerè se exponit periculo offendendi Deum, & quidem ipsemet clarè advertit periculum, atque vel explicitè & formaliter, vel implicitè & virtualiter judicat illud adesse, cùm nullum habeat judicium de honestate operis, sed actu de illa dubitet. Ergo voluntariè eligit periculum. Ergo perit in illo, & peccat.

Probatur 3. ex multis locis Juris Canonici, potissimè verò *ex cap. ad audientiam*, ex cap. *significasti 2.* & *ex cap. Petitio sua; de homicidio*, ubi aut expressè traditur, aut supponitur, quòd in dubio pars tutior sit tenenda. At hoc si ullibi locum habet, habet illum maximè in casu præsenti, quando homo est practicè dubius de honestate sui operis. Ergo, &c.

Contemnit Deum qui in dubio practico operatur.

4. Probatur 4. ratione. Lumine naturæ notum est, quòd nemo ponere possit operationem, de qua dubitat an sit offensa Dei, quin Deum Deique legem parvi faciat, & quodammodò contemnat. At omnis Dei divinæque legis contemptus est peccaminosus. Deus enim summus sui honoris zelator est, & in nullo contemni ac offendi vult, quamvis minima ejus offensa maxima secum bona ferat. Ratio est. Quia Deus bonorum nostrorum non eget; ideoque ob nullum bonum suo honori cedit; sed semper vult summum sibi respectum deferri, utpote quo infinitè dignus est. Hanc Dei dignitatem qui considerat, simulque reflectit Deum bonis nostris non egere, sed omnia respectu illius momento stateræ comparari, ac verissimè nullius momenti esse, statim percipiet, jure naturæ illicitum esse, quòd quis, stante dubio practico, partem minùs tutam eligat, quia Deum Deique offensam parvi pendit. Datur ergo lex reflexa certa & indubitata, quòd in dubio practico de offensa Dei tutior pars semper sit tenenda. At in amicitia humana lex illa reflexa non videtur esse tam universalis, cùm in aliquo casu talis actio non possit verti contemptui, sed potiùs æstimationi ac amori amici, ut fusiùs ostendi *in quæstione 18. de Conscientia probabili.* Alia non affero in re tam certa.

ASSER-

ASSERTIO II.

Ex hac doctrina de dubio practico non sequitur, illicitum cuique esse ex duabus opinionibus æquè probabilibus sequi minùs tutam, quamdiu paritas illa ab operante admittitur.

Æqualitas probabilitatis agnita dubium inducit si non utamur discursu reflexo, aliter non.

5. ASSERTIO hæc est contra Celladeum hîc *quæst. 8. §. 3. & 4.* ubi contendit, easdem prorsùs rationes æqualiter urgere in casu duarum opinionum quæ habentur æquè probabiles, ac in casu dubii; illasque proinde vel nil concludere in casu dubii, quod omnes negant, vel etiam locum habere in omni casu æqualitatis. Hac declaratione præmissa, probatur assertio. Quando loquimur de opinionibus æquè probabilibus, quæstio dupliciter institui potest: primò ut sermo restringatur ad directam tantùm considerationem rerum, omissa omni prorsùs investigatione reflexa: secundò, ut posita æqualitate directa inter probabilitates opinionum sibi contrariantium, accedat quæstio reflexa, utrùm, dicta æqualitate non obstante, liceat sequi partem minùs tutam. In primò casu, doctrina dubiorum transferri debet ad casum opinionum æquè probabilium, quando illæ post comparationem actu creduntur esse æquè probabiles, quia æquè in utroque casu bona fides formari non potest, & consequenter intellectus æquè in utroque practicè dubitat. At in secundo casu perspicuum est, nullum esse locum dubio in iis, qui benignam sententiam sequuntur, ut mox dicetur uberiùs. Doctrinam hanc sæpius ac fusè tradidi *in tractatu de Conscientia probabili*, ubi etiam ostendi, omnes Auctores tam antiquos quàm recentiores hanc doctrinam aut expressè tradere, aut apertè supponere. Nominatim autem Auctores antiqui, Henricus, Adrianus, Conrardus, aliique (quos §. 4. ex Tannero Celladeus citat, ac si absque ulla distinctione dicerent, homines in omni casu æqualitatis teneri ad tutiora) loquuntur solùm de ultimo ac finali judicio, dicente utramque partem esse æquè probabilem, præscindendo à quæstione reflexa, determinante quæstionem ad unam partem, cui ut probabiliori inhærent. Eodem sensu loquuntur recentes illi, quos adjungit, nempè, Comitolus, Philalethus, Mercorus & Fagnanus, ut fusè ostendi locis citatis. Sed nescio qua ratione hanc opinionem Celladeus affingat Cardinali Pallavicino, quasi verò ipse doceret, quòd si omnes regulæ, etiam reflexæ, considerentur, non liceat sequi ex opinionibus æquè probabilibus minùs tutam; dicit enim eum ab hac sententia parum abesse, cùm certò constet, Auctorem illum disertè & in terminis expressis docere, quòd ex opinionibus æquè probabilibus liceat sequi minùs tutam.

Contemni Deum qui in dubio practico operatur.

Auctores quos citat, aliter loquuntur quàm ipse sentit.

Æqualitas motivorū directè probantiū non infert dubium practicum.

6. Cæterùm quæstio præsens non procedit in hoc sensu, expressè enim loquimur de consideratione reflexa, juxta quam supponimus quæstionem ita determinari, ut intellectus absolutè asserat, usum opinionis minùs tutæ esse licitum, quamvis opposita opinio tutior, directè loquendo, sit æquè probabilis ac ista. Jam in hoc sensu evidens est, argumenta allata pro casu dubii locum non habere. Hic enim inprimis bona fides formatur. Secundò operans non cõmittit se periculo, nec legem Dei parvi facit; quia per absolutum judicium existimat se juxta legem operari, & periculum, quod alioquin ab operante timebatur, judicialiter ac bona fide à sua conscientia removet. Ergo ex doctrina allata de dubio non sequitur, usum opinionis æquè probabilis directè, sed minùs tutæ, esse illicitum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

7. OBJICIT primò, vel potiùs petes, an intersit in dubio legem reipsa ac materialiter violari, an non? Rursus petes, an aliquem se talis violationis periculo exponere sit amare periculum, an non? Si neges, contra est, quia inde sequeretur, operantem in dubio non peccare, quia nulli periculo, quod intersit, se committit; & si legem violet, violatio illa est solùm materialis. Si affirmes, idem debes dicere de usu opinionum, quando illæ sunt æquè probabiles, nam per æqualitatem illam opinionum non magis habetur legem illam non adesse, quàm per conscientiam practicè dubiam. Ergo eadem est ratio excusans vel aggravans in utroque casu.

Confirmatur. Regula operandi, fundata in æqualitate opinionum, est regula, quæ ex se non magis habet conformari cum lege quàm ab illa discordare, & in opinione minùs probabili, habetur magis discordare. Et tamen per te hæc regula sufficit ad honestatem. Ergo Conscientia practicè dubia erit regula sufficiens ad honestatem, quia illa est eodem prorsùs modo indifferens, nec aliud malum habet, quàm istam indifferentiam. Ergo utrobique par ratio, par temeritas, vel certè par non temeritas. Ita Celladeus §. 3.

Non tangit difficultatem.

Respondeo 1. Objectionem ad rem non facere, quia nos solùm loquimur, pro casu, in quo vi considerationis reflexæ, deposito dubio concludimus opus esse licitum. Ergo objectio non impetit opinionem benignam, sed imaginatur & fingit adversarium, ubi non est.

Æquivocat legem grãmaticaliter sumptam cum lege obligante.

8. Respondeo 2. Objectionem istam fundari in æquivocatione legis verè exerentis vim legis, & legis vocaliter dictæ, quæ vim suam non exerit, nec obligat. Ut hoc constet, peto à Celladeo de qua lege loquatur, quando interrogat, an, quando homo operatur in dubio, intersit legem materialiter violari an non? Loquitúrne de lege illa dubia, an de aliqua alia non dubia? Si de lege dubia, & veritati & sibi etiam ipsi contradicit. Veritati quidem, quia lex illa respectu operantis est solùm lex vocaliter dicta, nec ullam habet vim arctandi aut obligandi, cùm non magis obligemur in illo casu, si lex illa existat, quàm si non existat. Æquè enim peccat homo operans in dubio practico, sive lex dubia existat, sive non existat. Atqui lex dubia non existens non potest exerere vim legis, & verè arctare conscientiam. Ergo neque lex dubia, quamvis existat; quia non magis applicatur potentiis animæ, quàm lex non existens. Itaque qui operatur in dubio peccat, non quia violat legem dubiam, quæ absque dubio sæpissimè non existit, & ideo violari non potest, cùm nequeat obligare; sed quia violat legem reflexam certam & indubitatam, quæ actu existit, atque vires legis obligandi exerit. Hæc lex est voluntas, qua Deus prohibet ne operemur partem minùs tutam, stante dubio practico, & innotescit nobis per lumen naturæ, quo veritas hæc manifestatur; *Turpe est operari, dum dubitamus an actio sit mala, seu materialiter contra legem apparentem, sive illa lex*

Operans in dubio non peccat ob violationẽ legis dubiæ, sed certæ.

verè existat, sive non existat. Idem valet de illo alio principio; *Omne quod non est ex fide peccatum est*, lex enim illa reflexa per hujusmodi principia innotescit. Itaque si Celladeus loquatur de lege illa dubia, velitque illam propriè nos obligare, & à nobis propriè violari, veritati repugnat, atque unà sibi contradicit, nam lex Dei in se existens, (ut ipsemet in initio *quæst. 9. hujus libri* pleno ore fatetur,) est regula nostrorum actuum. Hoc verum est, sed inde subsumo. Ergo lex dubia non est regula nostrorum actuum, quia illa sæpe non est lex Dei in se existens. Et tamen tunc peccamus, & consequenter violamus legem verè existentem. At quænam est illa? Non directa, quæ sub dubio proponitur & sæpe non est. Ergo reflexa, de qua loquutus sum. Cæterùm eadem est ratio de lege existente, quia existentia illa non magis concurrit ad culpam, quàm non existentia, quamdiu proponitur sub dubio. Ac proinde illa existentia non magis regulat actiones nostras, quàm non existentia illius easdem regularet. Ergo lex illa dubia sive existat, sive non existat, non obligat nec arctat vim legis exercendo, cùm ad hoc sufficienter non applicetur, sed tota obligatio desumitur ab alia lege de qua operans non dubitat, & ideo peccat quia legem illam certam violat.

Celladet contradictio.

Non vitat contradictionem quid respondit.

9. Quod si Celladeus dicat, intelligi se debere de lege illa certa, sed reflexa; inprimis rem dicit, quam nemo in illa quæstione inveniet, quia ita loquitur, ac si de sola lege dubia sermonem haberet. Deinde, hoc admisso, valde incongruè procedit, quia in re tanti momenti nullam mentionem facit legis hujus reflexæ, de qua tamen præcipuè vult intelligi. Demum si de hac lege loquatur, per hoc ipsum difficultatem, quam putat esse insuperabilem, ipsemet evertit, ut mox constabit, atque sic iterum sibi contradicit.

Plurimum interest legē non violari materialiter quando homo est in dubio.

10. His positis, respondeo ad argumentum, & dico, plurimum interesse operanti in dubio, an legem apparentem materialiter violet, necne; quia, stante conscientia dubia, propter periculum hujus violationis incurrit violationem alterius legis certæ, ac certò obligantis, ut ostensum est. Quod si nulla daretur ejusmodi lex reflexa, nil prorsùs faceret in ordine ad peccatum, quòd homo se committeret periculo apprehenso materialiter violandi illam legem dubiam, cùm illa quamdiu dubia est, vim obligandi exercere nequeat. Atqui lex ista reflexa non obligat, nè sectemur opinionem minùs tutam, etsi minùs aut æquè probabilem directè, modò operans ex vi rationum reflexarum formet conscientiam; quia jam dubium deposuit, & ex rationabili fundamento conscientiam formavit. Unde dico, periculum materialiter violandi legem illam directam nil prorsùs referre in ordine ad inferendum peccatum, quamdiu intellectus ex rationabili motivo format conscientiam quòd res sit licita. Nec mirum hoc videri debet, cùm sit omnium sensus, & Celladeus ipse hoc ipsum tradat in casu erroris invincibilis, & sui probabilis positivi, quia stante tali judicio actio nullo modo inficitur, quamvis non desint rationes aliquæ, ostendentes periculum peccati materialis quod aliquando intervenit. Itaque taliter operans excusatur, quia probabiliter & invincibiliter judicat legem vetantem abesse, & per rationabile conscientiæ dictamen applicat sibi divinam legem permittentem, &c. At hic est casus noster, quia solùm loquimur de eo, qui post debitam diligentiam adhibitam, & ex rationabili fundamento per discursum reflexum invenit, quòd talis actio sit licita. Ergo in ordine ad peccatum formale nil refert, si fortè contingat materialis violatio præcepti sub æquali probabilitate directa propositi. Cæterùm in ordine ad alia semper interest non dari violationem materialem, quia malum est nos ignorare veritates tales, & adhuc deteriùs circa illas errare.

At dubio invincibiliter deposito in ordine ad peccatum parum aut nihil refert.

11. Præterea certum est, aliqua esse mala & prohibita in his, quæ in aliis circumstantiis nec mala sunt, nec prohibita. Quod verum est in omni materia, tam juris naturalis, quàm positivi. Malum est interficere hominem; sed tamen malum non est præscribere medicinam, quæ juxta regulas artis probabiliter creditur sanitatem allatura, quamvis reipsa medicina illa hìc & nunc non medelam sed mortem afferat. Similiter malum est præscribere medicinam, si medicus dubitet an sit nocitura; sed si post sufficientem morbi considerationem medicina illa invincibiliter credatur profutura, nec ullum periculum nocumenti probabiliter appareat, haud dubiè licitè præscribi potest. Innumera & quotidie obvia sunt hujusmodi exempla, præcipuè in lege humana, quæ variis de causis multiplici exceptioni subjacet. Ratio est, quia circumstantiæ multùm conducunt ad moralitatem actuum. Ergo, circumstantiis notabiliter variatis, notabiliter variari potest moralitas actûs; qui proinde in his bonus erit, sed malus in illis. Hæc doctrina locum habet in casu nostro, quia quod malum est, si ponatur, stante dubio, illud malum non erit, si dubio rationabiliter & invincibiliter deposito credatur bonum, & opere compleatur. Idem dico de operante, quando credit utramque partem contradictionis esse æquè probabilem. Hìc enim necessariò peccabit, si ponat partem minùs tutam, nisi per discursum reflexum consideret illud objectum in ordine ad novas circumstantias, atque concludat illud in ipsis esse licitum. Hisce positis.

Quælibet est in his, prout esse bonum in alio casu.

12. Respondeo 3. Plurimùm interesse, quod lex sub dubio proposita materialiter violatur, atque illum amare periculum, qui in dubio practico existens talis violationis periculo se exponit, quia per hoc peccat, cùm dubium ipsius non sit circumstantia quæ minuat, sed potiùs quæ augeat periculum malè faciendi; quia fundat legem reflexam, per quam vetamur sequi partem minùs tutam, stante dubio. Cæterùm si circumstantiæ ita alterentur, ut idem illud opus sub illis consideratum non prohibeatur, dico nil planè interesse in ordine ad peccandum, quòd lex, quæ vetat tale opus in dubio respiciente alias circumstantias, purè materialiter violetur. Exempla allata de medico præscribente medicinam rem evidenter convincunt; nil enim refert in ordine ad peccandum, quòd medicus præscribat illam medicinam, quando rationabiliter juxta leges artis judicat illam fore proficuam; quamvis præscriptio illa (si contingat medicinam illam mortem afferre) sit materialis violatio tam præcepti vetantis homicidium, quàm legis reflexæ prohibentis talia præscribi in dubio. Ratio est, quia quando sumus in novis illis circumstantiis, nullam legem obligantem violamus; non illam vetantem opus in aliis circumstantiis, quia in illis non versamur; non illam vetantem opus in istis circumstantiis, quia talis lex non datur, sed opposita illud permittens aut præcipiens. Idem prorsùs valet in casu nostro. Qui enim agnoscit utramque opinionem esse directè æquè probabi-

Periculum quodimminet in dubio, non imminet, quàm qui depositio dubio sequitur sententiam negam.

lem,

lem, & nullo utitur discursu reflexo, eo ipso practicè dubitat, & consequenter periculo se exponit, & peccat si sectetur partem minus tutam. At si per discursum reflexum consideret idem opus in ordine ad alias circumstantias, adeò notabiliter variantes moralem rei considerationem, ut rationabiliter & invincibiliter concludat illud in dictis circumstantiis esse licitum, non peccat, nec ulli periculo, quod meritò æstimari debeat, se exponit, quia operatur in circumstantiis honestantibus operationem, atque fundantibus legem reflexam permittentem, aut etiam præcipientem tale opus in illis.

Æquivocatio Confirmationis detegitur.

13. Eodem modo respondetur ad confirmationem, nam par & minor probabilitas, cognita ut talis, non est regula formalis sufficiens ad honestatem. Regula enim formalis consistit in judicio, quod semper repræsentat objectum in quod fertur, tanquam probabilius & verisimilius oppositio. At par & minor probabilitas directa, etiam agnita ut talis, in ordine ad novas circumstantias per considerationem reflexam propositas, est regula objectiva sufficiens ad conscientiam formandam, quia absolutè connectitur cum veritate, dictante rem talem, omnibus inspectis, esse licitam. Falsum proinde est, regulam, quam ne pro sufficiente habemus, non magis conformari cum lege, quàm ab illa discordare; omnia enim opposito modo se habent, atque etiam à nobis traduntur. Itaque, cum bona Celladei venia, nulla prorsùs est paritas inter conscientiam practicè dubiam, & opiniones directè æquè probabiles, cùm practicum dubium sit circumstantia aggravans malitiam rei sub dubio repræsentatæ, atque ideo fundet legem reflexam, qua res illa certò prohibetur. At directa probabilitas, etiam par aut minor, est circumstantia, quæ reflexè considerata præbet fundamentum concludendi, rem illam omnibus consideratis esse licitam, atque ideo connectitur cum lege reflexa permittente liberum usum talis rei. Itaque hæc omnia ex mera terminorum ac statûs quæstionis æquivocatione objecta fuerunt.

Regula, quâ sequimur, juxta præscriptum benignæ sententiæ, nunquam à vero discordat.

Celladeus ipse suam objectionem solvere tenetur.

14. Demum Celladeus ipse eodem modo respondere tenetur. Docuit enim *lib. 4. quæst. 6.* Conscientiam sæpe rectè formari per non inventionem veritatis quæsitæ; & tamen certum est, non inventionem veritatis, si directè & in se consideretur, non magis applicare nobis legem, quàm non legem, nec magis connecti cum veritate quàm cum non veritate, & tamen illa ipsa non inventio juxta Celladeum est regula sufficiens, quando præbet occasionem discursui reflexo, per quem ex ipsa non inventione probabiliter inferimus legem aut non existere, aut sufficienter promulgatam non esse. Idem prorsùs dicimus nos de pari, atque etiam de minore probabilitate directa pro tali habita; illa enim quamvis ex se non magis connectitur cum vero, quàm opposita, nihilominùs reflexè considerata præbet fundamentum concludendi, aut talem legem non esse, aut non esse sufficienter applicatam ad obligandum. Ecce iterum Celladeus suismet argumentis implicatur; nec illis respondere potest, nisi eâdem operâ illa solvat etiam pro nobis.

Objectio 2.

15. Objicit secundò. In aliquo casu non licet exæquè probabilibus sequi opinionem minùs tutam. Ergo in nullo. Probatur antecedens. Si Titius & Sempronius æquales rationes pro fundo habeant, & neuter possidet, uterque juxta omnes tenetur ad partem tutiorem. Tenet Consequentia, quia eadem est ratio de omnibus, stante æqualitate. Ita Celladeus §. 4.

1. Respõsio.

Respondeo, inprimis eandem hîc quoque intervenire æquivocationem, quia objectio supponit æqualitatem omnimodam dari pro utraque parte, cùm solùm supponatur æqualitas probabilitatis directæ, quæ cum reflexa veritatis inventione connectitur; cùm non doceamus, usum opinionis directè æquè probabilis pro tali habitæ esse licitum, nisi operans reflexè autumet opus esse licitum, atque ideo magis in illud feratur ut verum, quàm in oppositum.

2. Respõsio.

16. Respondeo 2, Transeat antecedens, cujus exemplum nunc non examino. Nego consequentiam. Disparitas est, quia non omnis par probabilitas speculativa, qualis est ista circa veritatem juris illis competentis, connectitur cum circumstantiis fundantibus discursum reflexum, quo dubium practicè determinetur, atque intellectus rationabiliter inferat, rem illam omnibus consideratis esse licitam, sed è contrario aliquando connectitur cum circumstantiis probantibus contrarium, ut in casu præsenti, & in omni alio, in quo Auctores conveniunt, talem opinionem non esse practicè probabilem, nec citra peccatum posse in praxim reduci. At omnia contrario modo se habent in casu opinionis practicè probabilis, quæ etsi, directè loquendo, non excedat, & admittatur non excedere probabilitatem partis contrariæ, tamen fundat plura argumenta reflexa, ex quibus intellectus rationabiliter inferre potest, rem illam esse absolutè licitam, prout subsistat istis circumstantiis reflexis.

Æquivocatio Celladei

17. Atque hinc facilè respondetur ad ea, quæ Celladeus in eodem §. subdit, scilicet taliter operantem aut æquivalenter aut formaliter dicere, *Sive Deus prohibeat sive non prohibeat hanc rem, volo illam facere;* nam omnia manifestè se habent modo penitus contrario, quia intellectus operantis priusquam ad opus se accingat, efficaciter concludit, rem illam, prout subsistat hisce circumstantiis, non esse prohibitam. Ergo Celladeus petit principium, dum supponit operantem absolutè habere æqualem causam dicendi & negandi quòd detur lex vetans istam operationem; contrarium enim prorsùs & asseritur & supponitur ab authoribus benignæ sententiæ.

Alia ejusdē æquivocatio.

18. Similiter in eadem æquivocatione versatur, ubi dicit, taliter operantem nullam habere justam defensionem suæ operationis. Hoc quidem verum esset, si operans non determinaret quæstionem, ut ipse falsò supponit eum non posse eam determinare, stante æqualitate inter directas opinionum probabilitates. Sed cùm hoc sit apertè falsum, tuit fundamentum, & operans per hoc sufficienter se defendit, quòd post diligentiam adhibitam invenerit opus, quod fecit, fuisse licitum, atque ideo se illud posuisse, non positurum, si hoc non invenisset.

ASSERTIO III.

Dicere, quod in omni prorsùs dubio teneamur ad partem tutiorem, est irrationabile.

Pars tutior non est tenenda in omni dubio non deposito.

19. ASSERTIO hæc est contra Celladeum, qui *lib. 4. quæst. 9.* contra communem omnium opinionem ex professo tanquam principale suum dogma tradit, partem tutiorem in omni prorsùs dubio sive juris sive facti esse tenendam. Sermo autem est de dubio in sensu composito

posito dubii, nam si dubium deponatur, sumus extra casum quæstionis præsentis, ut patet. Nec loquimur de dubio practico tantùm, de illo enim omnes conveniunt, quòd illicitum sit, stante illo, partem minùs tutam sectari. Loquimur ergo de quovis dubio actualiter existente, & non deposito.

PRIORES ALIQUÆ PROBATIONES.

Probatur ex Jure Canonico.

20. PROBATUR primò *ex cap. laudabilem, de frigidis & maleficiatis*, in quo Ecclesia declarat, quod naturaliter frigidi, quando de impotentia cœundi non constat, ad triennium habitare possint ad experientiam copulæ nuptialis. Sed postea, si cohabitare velint, vir mulierem ut sororem non ut uxorem habere debeat. Hinc sic arguo. Si constaret de impotentia, actus ejusmodi non essent liciti, quia matrimonium esset nullum. Ergo quamdiu dubium est, an detur hujusmodi impotentia, dubitatur an matrimonium sit validum; & tamen, stante hoc dubio, id est stante dubio materialis peccati, conjuges licitè cohabitant & amplexus exercent, idque non solùm quando dubium est, an impedimentum sit perpetuum, sed quando illud ipsum est valdè probabile, eò quòd post unum aut duos annos experimenti nuptialiter coïre nequiverint. Jam in hoc casu non coïre est tutius, utpote quod ab omni prorsùs mali specie remotum est. Coïre autem est pars minùs tuta. In hoc tamen dubio cœtus experiundi causâ est licitus. Ergo perspicuum est ex definitione Ecclesiæ, quòd non semper teneamur ad tutius in omni dubio.

Naturaliter frigidi licitè faciunt, de quo est dubium an sit peccatum materiale.

Probatur 2. Exemplis certis.

21. Probatur 2. exemplis certissimis. Inprimis possessor bonæ fidei licitè retinet rem possessam, exorto dubio, an res illa ad alium pertineat. Nec solùm licitè retinet illam, donec veritatem quærit; sed si post diligentiam debitam duam perseveret, adhuc rem licitè retinet. Secundò, subditus in dubio belli injusti licitè militat, si à Rege suo ad bellum vocetur, ut ex August. traditur *in cap. quid culpatur*, sæpe citato. Tertiò, Religiosi licitè obediunt suis Prælatis, quamvis dubium illis sit, an res præcepta sit licita; ut SS. PP. Magistri Theologiæ Mysticæ, ac Theologi unanimiter tradunt, & probatum est *quæst. 46.* Similiter communis omnium fermè opinio est, quòd dubitans, an votum emiserit, non teneatur ad votum. Nec desunt alia exempla istiusmodi, in quibus omnes fermè consentiunt, partem tutiorem non esse ex necessitate tenendam in dubio. Irrationabile porro est tantæ auctoritati contrariari, & absolutè dicere, oppositum esse illicitum; maximè quando desunt motiva urgentia, quæ profectò in casu nostro desunt, ut infra ex objectionum solutione constabit.

Regulæ juris docent, sæpe licitũ esse operari in dubio.

22. Probatur 3. ex regulis seu axiomatibus juris, quæ apertè tradunt, *quòd in dubiis favendum sit reo. Quod in pari causa*, & consequenter *in dubio, melior sit conditio possidentis*. Hæ regulæ sunt axiomata quædam, aut lumine naturæ nota, aut ex juribus indubitatis excerpta, quæ supponunt, immò convincunt, quòd sæpe in dubio nulla sit obligatio sectandi partem tutiorem. Ergo dicere oppositum est irrationabile, cùm axiomatibus lumine naturæ notis, & indubitatis juris regulis repugnet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

23. OBJICIT primò contra secundam rationem. In casu dubii de voto emisso, homo tenetur ad tutius, si verè maneat dubius de emissione voti. Nam vel solet vel non solet oblivisci talium rerum. Si solet oblivisci, tenetur. Si non solet, non tenetur, quia tunc non memoria est ratio probabilis dubii solvendi. At in æqualitate semper tenetur. Idem valet in aliis. Ita Celladeus *quæst. 8. §. 5.*

Objectio Celladei.

Respondeo Celladeum hîc petere principium, idque contra communissimam sententiam, Audio quidem illum dicentem; *homo tenetur ad votum si maneat dubius de voto.* Sed nullam vel apparentem rationem adducit. Sed fortasse supponit id vel ex antecedentibus probatum, vel ex consequentibus probandum. Sed hæc non sufficiunt, nam antecedentia omnia sunt soluta, nec ullatenus probant intentum. Ad sequentia quod attinet, ille parum aut nihil de hac re habet, sed remittit lectorem ad Vasquium; sed rationes Vasquii infra ostendentur insufficientes. Cæterùm in hoc benè dicit, quod qui talium rarò obliviscuntur, ex ipsa non memoria probabilem conjecturam habeant, se votum non emisisse, & sic liberantur à voto ex hac ipsa probabilitate. Similiter admitto, illum teneri ad votum, qui adeo oblivioſus est in rebus ejusmodi, ut ipsa non recordatio emissionem voti ita reddat probabilem, ut oppositum non sit probabile. Cæterùm si, omnibus inspectis, votum verè maneat dubium, utique standum est pro possessione libertatis juxta regulam, *in dubio melior est conditio possidentis.* Ex hac autem regula infertur dictamen conscientiæ enuncians, quòd non teneamur lege voti, quamvis dubitemus an votum emiserimus, nec rationem habeamus ad dubium deponendum. Hæc hîc breviter dicenda fuerunt, quia Celladeus hæc eadem hîc breviter proposuit. Infra verò plura ex professo de his dicenda occurrent.

Solutio Celladei obligationem voti dubiam reflectens.

24. Objicit 2. contra tertiam rationem. Dicta juris axiomata eliduntur per alia contraria, quale est illud, *in dubio tutior pars est eligenda.*

Objectio 2.

Respondeo axiomata ista sibi non contrariari, sed debita & facili distinctione esse concilianda. Si enim contradicerent, neutra quidquam valerent, nec assumi possent ut principia, aut certa jura, sed explodi deberent ut stulta. Distinctio autem in eo consistit, quòd in dubio practico pars tutior semper sit tenenda ex præcepto. Universaliter autem quòd tutiora sint sequenda in omni dubio, ad summum est consilium, non præceptum. Hac ratione principia ista, juxta communem opinionem intellecta, non sibi contradicunt, nec se invicem elidunt, ut patet.

Regulæ ista sibi non contrariantur.

25. Objicit 3. Regulæ allatæ procedunt de dubio in sensu diviso, quando dubium deponitur, ut infra ostendetur. Regula verò de sequenda parte tutiore intelligitur de dubio non deposito, ac proinde semper est obligatio sequendi tutius in dubio non deposito. Ita Celladeus *quæst. 1. §. 5.*

Objectio 3.

Respondeo, antecedens universaliter loquendo esse falsum, ut ostendam inferiùs, ubi de dictis regulis tractabitur ex professo. Interim mirandum est hoc Celladei assertum, quòd scilicet regulæ, expresè loquentes de dubio, solùm intelligi debeant de re proposita quando non est dubia, sed dubium est solutum. Quid enim ludicrum magis quàm dicere regulam illam: *Favendum*

Incongrua Celladei interpretatio de regula Juris circa dubium.

dum est reo ac possessori in dubio: alium sensum non habere quàm hunc, favendum est illis, si omnibus inspectis nullum sit dubium, aut de crimine Rei, aut de jure possessoris? Itaque negatur consequentia, nisi sermo restringatur ad dubium practicum.

PROBATIONES ALIÆ.

Obligari ad tutius in omni dubio est certò ampliare legem, ultra intentum Dei.

26. PROBATUR tertiò. Ea est hominum ignorantia & imbecillitas, ut in casibus innumeris dubitent, nec possint aptè dubium ipsum resolvere. Certum autem est, tales dubitationes frequentissimas esse, tam quando non datur, quàm quando datur lex prohibens res, de quarum honestate dubitatur. Ergo qui dicit homines in omni prorsùs dubio teneri ad partem tutiorem, obligat ad multa, ad quæ certum est Deum nos non obligare, & in tales quadrat illud Salvatoris *Matth. 23. 4. Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum*, quæ Deus nunquam imposuit. At irrationabile est dicere, nos universaliter obligari ad multa, ad quæ certum est Deum nos non obligare. Ergo irrationabile est dicere, quod in omni dubio teneamur ad partem tutiorem.

Dubia alia remota & speculativa, alia proxima & practica.

27. Probatur 4. Ex dubiis alia sunt remota & quodammodò speculativa, alia proxima & practica. Practicum est, quando dubitatur, an operatio hîc & nunc ponenda sit illicita, nec adest ulla ratio, per quam formetur conscientia dictans illud, dubio non obstante, esse licitum. In hoc autem casu datur obligatio universalis sectandi partem tutiorem, non quia lex dubia obligat, sed quia istæ circumstantiæ fundant legem reflexam certam, qua Deus in tali casu obligat ad tutiora, ut ostensum est. At in aliis dubiis remotis & quodammodò speculativis (qualia sunt illa, an bellum sit justum? An res sit mea? An superior licita jubeat? An impedimentum impotentiæ sit perpetuum? &c.) intellectus non necessariò dubitat an licitè operetur, quia dubio illo non obstante, dantur rationes & circumstantiæ particulares, ob quas credat sibi licitum esse bellare, aut copulam experiri, &c. Ratio est, quia dubia ista remotè se habent in ordine ad operandum, ideoque operatio sequens ab illis dubiis immediatè non regulatur; sed ab aliis principiis & rationibus. Unde fit, ut, dubio illo non deposito, detur locus novæ consultationi circa positionem talis rei in sensu composito dicti dubii. Hæc autem consultatio respicit circumstantias, de quibus nulla fit mentio in priori dubio; respicit enim diligentiam positam in veritate indaganda, respicit titulum possessionis, naturam ac vim legis, jus imperantis, ac alia ejusmodi, ex quorum consideratione sæpe legitimè infertur, quod licitè operari possimus in istis circumstantiis, non obstante priori dubio. Dicere autem quod ex istorum consideratione Conscientia nunquam legitimè formari possit, stante priori dubio, est contra omnes, ac prorsùs irrationabile. At qui asserit partem tutiorem in omni prorsùs dubio esse necessariò tenendam, hoc dicit. Ergo irrationabiliter loquitur.

Dubium proximum & practicũ impedit, dubium remotum, nõ impedit dictamẽ Conscientiæ permittentia.

In casualibus, ac in dubiis neutra pars Cõtradictionis uniformiter evenire potest.

28. Probatur 5. In omnibus casualibus, quæ æqualiter se habent ad esse & non esse, necesse est, rem illam aliquoties evenire, aliquoties non evenire; saltem est summè improbabile & stultum existimare, quod in omni eventu una eademque pars sit uniformiter eventura. Hoc videre est in jactu talorum & in omni eventu casuali, in quo res indifferenter se habet ad duo vel plura, summè enim improbabile est, quod una eademque res in omni casu sit eventura; constat enim oppositum esse moraliter saltem necessarium. At omnis casus dubitationis est ejusmodi, quia stante difficultate cognoscendi res, nostraque ignorantia ac fallibilitate ante oculos habita, evidens est, omnem dubitationem æqualiter se habere ad utramque partem, & ex se non magis connecti cum lege quàm cum non lege, de qua dubitatur. Ergo moraliter necessarium est, in tota collectione dubiorum ejusmodi partem tutiorem esse aliquando juxta legem, aliquando citra legem, & etiam aliquando contra legem, de qua dubitatur; quia oppositum est prorsùs improbabile. Ergo irrationabiliter & summè improbabiliter loquitur, quicunque universaliter asserit, partem tutiorem in omni dubio, aut esse contra aut juxta legem, de qua dubitatur, nec minùs temerè loquitur, quàm si diceret, in jactu talorum, puncta paria aut semper aut nunquam esse jacienda. Utrobique enim sic loquens pari prorsùs errandi necessitati se exponit, quia utraque propositio universalis, tam ponens, quàm tollens obligationem seu legem, est necessariò falsa, quippe quæ in ejusmodi casibus nec semper datur, nec semper non datur.

Universalis propositio negans aut affirmans, est certò falsa in materia præsenti.

29. Confirmatur. Hæc illatio est temeraria. *Ego nescio & dubito, an Deus velit me hoc facere. Ergo vult.* Idem dico, si inferatur. *Ergo non vult.* Et sanè tales consequentiæ omni probatione carent, ut patet, cùm nulla sit connexio inter antecedens & consequens. Quod si loquamur de tota collectione talium conclusionum, & formentur duæ propositiones universales, quarum altera affirmet, *lex in istis casibus semper existit*, altera dicat, *lex in istis casibus nunquam existit*, utraque propositio erit falsa; quia moraliter necessarium est, legem aliquando existere, aliquando non existere. Ergo irrationabile est dicere, quòd tutior pars in omni prorsùs dubio sit tenenda.

30. Difficultatem hujus argumenti Celladeus sibimet objicit §. eamque agnoscit esse gravem, & §. 3. fatetur se habere firmum principium, quo difficultatem evacuet, cui tamen plura reponit, quæ sapientum judicio exponit, quæque mox convincam esse insufficientissima. Interim ille argumentum hoc valde efficaciter proponit, atque præter periculum falsi contentum in quavis assertione, quæ universaliter affirmat vel negat legem existere in casu dubii, benè addit, utramque vel nimis laxare, vel nimis arctare legem Dei, contra illud *Deuteronomii. Non addetis ad verbum hoc, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo. Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Christus etiam in Evangelio arguit Scribas & Pharisæos, quòd nonnulla addidissent præceptis Dei, atque aliqua ab eis detraxissent. Et sanè gravissimum crimen esset, si quis vel unam ex legibus Dei scienter tolleret aut adderet; quia læsæ jurisdictionis crimen incurreret. At in casu præsenti benè scitur, quòd additio vel diminutio fiat. Quomodò ergo non peccat, qui talia asserit? Ita Celladeus, qui ex hoc ipso benè confirmat dictum illud S. Thomæ, omnem de peccato mortali quæstionem periculosè decidi, nisi expresè veritas habeatur. Nil enim dici potest in hoc casu sine periculo additionis vel diminutionis, & consequenter sine periculo peccandi. Quod periculum benè exaggerat ex præscripto S. Jacobi Apostoli dicentis. *Nolite plures fieri magistri, fratres*

Qui universaliter liberat à lege aut universaliter onerat Conscientiam in casu dubii, certò addit legi divinæ, vel certò illam diminuit.

fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis. His tamen non obstantibus §. 3. firmiter adhæret doctrinæ suæ de eligenda parte tutiori in omni dubio, ac proinde ingenti periculo se committit, maximè cùm in re tanti momenti contra omnes singularem teneat sententiam, idque ob rationes valde debiles, sive quibus suam sententiam directè probat, sive quibus argumentis nostris, & potissimè huic ultimo, quod efficacissimum est & rem plane convincit, respondet, ut mox constabit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Contra argumenta allata.

31. OBJICIT primò. Argumenta allata, potissimè hoc ultimum, æquè urgent in casu Conscientiæ practicè dubiæ. Et tamen in eo casu omnes agnoscunt universalem obligationem sectandi partem tutiorem; ergo nil probant, quia nimis probant. Ita Celladeus §. 2. & 3.

Nostra sententia nec auget nec minuit præcepta Dei. Rigida sententia illa auget.

Respondeo, argumentum hoc locum habiturum etiam in casu conscientiæ practicè dubiæ, si diceremus, illam obligationem oriri à lege de qua dubitatur, quia argumentum æquè urget contra hoc ac contra universalem obligationem in casu omnis dubii. Ergo Celladeus hoc etiam argumento urgetur pro casu dubii practici, quia non videtur agnoscere aliam legem obligantem, quàm eam de qua dubitatur. At nos è contrario dicimus, leges taliter propositas nullam habere vim obligandi, atque id ipsum ex ipso argumento efficaciter confirmari potest, alioquin leges non existentes æquè obligarent ac existentes, leges innumeras tribuerentur Deo, quas tamen certum est Deum non tulisse. Hoc autem scienter Deo tribuere nefas est; quod quomodò vitent, qui talia asserta ponunt, seriò ab ipsis considerandum est, ne jurisdictionis usurpatæ crimen, ut cum Celladeo loquar, incurrant. Itaque totam obligationem in tali casu referimus in legem reflexam, certam & indubitatam, qua Deus prohibet, ne quis, stante conscientia practicè dubia, sectetur partem minùs tutam, quia stante tali conscientia, repugnat operationem regulari à bona fide. Jam lex ista reflexa respicit aliquas circumstantias, quas lex, de qua dubitatur, non respicit. Ergo alia est ab illa. Itaque qui docent, neminem practicè dubium excusari à peccato, si sectetur minùs tuta, nulli periculo augendi vel minuendi præcepta Dei se exponunt. Similiter quando negamus, ullam legem dubiam pro eo statu obligare, verum loquimur, idque efficacissimis argumentis probamus. Nec per hoc legem ullam aut auferimus aut addimus, sed solùm exprimimus circumstantias, pro quibus obligant; in quo, etsi universaliter loquamur, verum loquimur, nec, ut Adversarii, ponimus legem, quam scimus non dari; imò nec negamus obligationem ullam, quam dari credimus, sed in omnibus universaliter ex motivo universali procedimus, contra quod nec ex parte rei, nec ex persuasione nostra datur ulla exceptio.

Qui reflexè docent usũ omnium practicè probabiliũ esse licitum non minuunt leges Dei.

32. Eadem responsio locum habet pro casu, quando dicimus licitum esse sequi quamcunque opinionem practicè probabilem, etsi opposita & tutior sit, & æquè probabilis; per hanc enim universalem propositionem reflexam, non dicimus, omnes opiniones probabiles negantes legem esse falsas, scimus enim aliquas falsas esse, aliquas veras, ut argumentum convincit; sed solùm dicimus, dari legem reflexam, quæ universaliter permittit usum talium opinionum in illis circumstantiis, sive detur sive non detur lex, quam illæ dari affirmant; & ratio est, quia leges illæ sic propositæ non sufficienter applicantur ut obligent, & hoc solum est, quod asserimus. Præterea in quæstione hac reflexa loquimur de opere in ordine ad circumstantias quasdam, in ordine ad quas leges repræsentatæ per opiniones directas non se extendunt. Itaque dicere illas non obligare hîc & nunc, tum quia sufficienter applicatæ non sunt, tum quia procedunt de opere ponendo in aliis circumstantiis, non est addere aut tollere quidquam de legibus divinis, vel earum obligationibus, sed in omnibus veritatem quærere, & juxta veritatem reipsa, & multò magis in mente nostra inventam enunciare. Nos ergo argumentum hoc non urget.

33. Objicit secundò. Argumentum hoc æquè premit sententiam universaliter liberantem ab obligatione sectandi partem tutiorem, ac opinionem universaliter statuentem legem ac obligationem sectandi tutiora. Ita Celladeus insinuat *initio* §. 2. Ergo nos æquè premimur hoc argumento, ac ipse.

Objectio.

Respondeo, illationem nullam esse, nos enim nullam ejusmodi universalem regulam ponimus, sed multa distinguimus, ac juxta varias rerum ac circumstantiarum acceptiones diversa statuimus. Inprimis quoties dubium est propriè practicum, ponimus universalem obligationem sectandi tutiora. Deinde in casu dubii remoti, seu quodammodò speculativi, non procedimus universaliter, quia scimus circumstantias valdè varias componi posse cum tali dubio; iterum ergo distinguimus, ac dicimus, tunc solùm dari obligationem sectandi tutiora, quando non adsunt principia, per quæ conscientia, stante illo dubio, rationabiliter formetur de honestate operationis hîc & nunc ponendæ, quia tunc dubium illud remotum evadit proximum, & conscientia practicè dubitat. At quando dubio illi superadduntur motiva rationabiliter suadentia operationem esse hîc & nunc licitam, dicimus nullam esse obligationem sectandi partem tutiorem, eò quòd non simus amplius in circumstantiis legis dubiæ, sed in aliis, pro quibus lex illa dubia nec obligat nec obligare potest. Porro Auctores deinde magis in particulari determinant casus, in quibus dantur, & in quibus non dantur istiusmodi circumstantiæ, in quo majus est periculum aberrandi à vero, & major Auctorum dissentio, quàm in tradendis regulis generalibus hactenùs explicatis, in quibus omnes (si pauculos recentiores excipias) prorsùs conveniunt. Cæterùm in hisce omnibus nemo dicere potest, certum esse nos errare in ulla ex istis assertionibus, sive illæ collectivè, sive distributivè sumantur, & multò minùs nos ipsi putamus in ullo obligationem ponere, aut demere, sed præcisè eas solas docere, quæ verè dantur, & à Deo intentæ fuerunt. Itaque aliud periculum non subimus, quàm quod commune est omnibus, quodque ab Apostolo & S. Thoma supra exaggeratur. Cæterùm remoti prorsùs sumus à difficultate præsentis objectionis, quæ in eo potissimùm consistit, quod ponatur obligatio universalis, cùm certò sciamus, pro innumeris ejusmodi casibus nullam legem existere, quæ res illas prohibeat, & sic scientes & volentes addimus ad legem Dei, & onera gravia & importabilia in humeros hominum imponimus.

Nova ratio nimis ut veritati cuidam in dubio singulari diligam

34. Ob-

Objectio 3. 34. Objicit tertiò. Datur obligatio universalis reflexa in omni dubio. Ergo qui hoc docent, non augent legem Dei, sed veram legem reflexam proponunt. Similiter qui hoc docent, non majori periculo legem augendi se exponunt, quàm se exponant periculo legem minuendi qui docent nullam dari obligationem in dubio. Ita objici potest pro Celladeo.

Responsio. Respondeo, Celladeum frequenter ita loqui, ac si omnes hujusmodi leges reflexas respueret. Quod si aliquas admittat, libenter illum audirem hoc clarè proferentem. Interim sive eas admittat, sive non admittat, negatur antecedens, quod sine omni probatione, non solùm contra communem omnium opinionem, sed etiam contra veritatem, indubitatis exemplis & efficacissimis rationibus stabilitam, assumitur. Nulla proinde est consequentia. Cæterùm fateor, argumentum æquè premere liberantes, ac premit onerantes conscientiam in omni dubio; sed hoc nos non tangit, qui utramque ex illis opinionibus æquè improbamus, & cum debita rerum ac circumstantiarum distinctione, mediâ viâ incedimus. Quod si talis lex reflexa daretur, qui illam astrueret, nullam per hoc Dei legem aut augeret aut minueret. Non augeret leges reflexas ex hypothesi, nec directas augeret, quia non poneret plures quàm sunt. Diceret quidem nos obligari ad tutius, quando dubitaremus an altera pars esset prohibita, quamvis verè non prohiberetur, sed obligationem non refunderet in legem dubiam, sed solùm in legem reflexam, quæ verè daretur, & obligaret. Similiter non minueret leges directas, quia non doceret illas non dari, aut non obligare, sed solùm diceret, eas actu non obligare dum solùm dubiè proponuntur, quod est verum. Uno verbo irreprehensibilis esset, si constaret de hypothesi, sed quia oppositum constat, reprehensibilis esset, quia legem sine ratione augeret.

Objectio 4. 35. Objicit quartò. Homines ut plurimùm & ferè semper discordant à principiis naturalibus ac revelatis moralis doctrinæ, non per excessum, sed per defectum. Hoc videtur certum. Ex defectu autem in principiis nascitur necessariò defectus in conclusionibus. Ergo probabile periculum est, ne deficiamus laxando aut auferendo, non autem stringendo aut addendo: sic periculum probabile est, ne vel in judicando, vel in gubernando, vel in contrahendo, & sic de aliis ad dilectionem proximi pertinentibus, deficiamus, non autem ne excedamus; nam ut plurimum deficitur. Ergo dicere, nos in omni dubio teneri ad tutius, non est incurrere periculum fundatum additionis, imò ipsa additio est regula probabilis non errandi, sumpta ex iis, quæ plerumque contingunt. In contrario autem est periculum probabile auferendi ac minuendi legem divinam. Confirmatur ex Philosopho. *2. Eth. cap. 9.* ubi primò ostendit medium virtutum esse inventu difficile, dicens. *Irasci quidem, & dare argentum, sumptusvè facere, cujuslibet est, & facile; sed cui, & quantum, & quomodò, & cujus gratiâ oportet, est perrarum, & laudabile, & perpulchrum.* His dictis, Philosophus ponit has regulas, quibus juvemur ad medium hoc inveniendum. Prima est, *à magis contrario discedere*, quia uno extremorum graviùs delinquitur, quàm altero. Ergo ab illo potiùs recedendum est, quia ex duobus malis imminentibus minimum est eligendum. Secunda est. Consideranda sunt *ad quæ sumus naturâ propensiores: atque nos ipsos in contrarium oportet retrahere.* Tertia regula: *In Universis cavendum est maximè à voluptate.* Hæ regulæ ex mente Aristotelis valdè juvant ad medium virtutis faciliùs tenendum; eædem autem confirmant doctrinam allatam, quia in casu nostro à medio plerumque disceditur per ablationem. Deinde sumus naturâ propensi ad contraria iis, quæ Christus præcepit. Demum minùs tuta sunt magis secundùm voluptatem. Ergo quoties dubium est de lege, debemus in partem legis declinare. Sic enim plerumque à vero non aberrabimus. In moralibus enim quando certitudo deest, regula sumenda est ex plerumque contingentibus.

Utrum homines plerumque deficiant à veritate morali, per defectum.

Medium virtutis quomodo inveniri potest?

36. Confirmatur 2. quia hæreses plerumque sunt laxiores quàm Religio Catholica; cùm enim vita Christi sit arcta, periculum est discedendi per defectum, ideoque vel ex eo præsumendum est, hæreses à vero Christi instituto deficere, quia adimunt aut minuunt onerosa. E contra SS. PP. plerumque severi sunt & stricti, sicut fuerunt etiam Prophetæ. Ergò cùm doctrina hujus objectionis, seu responsionis ad argumentum ultimum, recedat à modo procedendi Hæreticorum, & modum agendi SS. PP. atque Prophetarum imitetur, tuta est, & sine periculo. Ita Celladeus §. 3.

An Hæreses sint plerúque laxiores fide Catholica?

37. Respondeo inprimis, doctrinam hanc repugnare principali asserto Celladei; ex illa enim sequitur, quòd tutiora sint tenenda, etiam quando pars minùs tuta est probabilis, aut etiam probabilior, vel unicè probabilis, quia præsumptiones istæ locum habent æquè contra probabilitatem, ac in casu dubii, ut patet eas percurrenti. Ergo si præsumptiones istæ valerent, eo ipso vel omnis probabilitas partis minùs tutæ tolleretur, vel quamvis non tolleretur directè, reflexè tamen ex ista persuasione, *quòd ferè semper deficiamus à principiis naturalibus ac revelatis*, (sunt hæc verba Celladei) deberemus tenere, quòd in ipsis maximis probabilitatibus circa partem minùs tutam à vero discederemus per defectum. Ecce iterum sibi contradicit Celladeus.

1. Respõsio.

Celladei contradictio.

38. Respondeo 2. replicam hanc, etsi tota illius doctrina admittatur esse vera, nullatenùs solvere difficultatem, quia etsi plerumque erraremus addendo, non tamen inde sequeretur, quòd in tota latitudine dubiorum non esset ingens multitudo casuum, in quibus nulla esset lex, quando dubitatur de lege. Et hoc constat. Ergo qui diceret, legem semper obligare in dubio, legem augeret, & quidem poneret legem obligare pro multis casibus, in quibus ipsemet scit nullam legem existere. At in hoc potissima argumenti vis consistit. Ergo responsio non solvit argumentum.

Doctrina Celladei admissa non solvit argumentum.

39. Respondeo 3. solutionem hanc nullatenùs satisfacere, quia transfert difficultatem operandi ad difficultatem cognoscendi ac docendi; atque ex aperta æquivocatione útramque confundit, cùm sint diversissimæ. Est quidem difficilè dura præcepta sectari: at difficilia docere facillimum est; ut videre est in hoc opere Celladei, qui magna libertate ac facilitate contra communem aliorum opinionem in omnibus fermè difficiliora tradit. Hoc sanè adeò verum est, ut non solùm in dubiis & incertis, sed etiam in certissimis homines in mala prorumpant, etsi certò nôrint, ea esse prohibita. Neque hoc Christianis tantùm, sed ipsis etiam Ethnicis probè innotuit juxta illud Poëtæ. *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Hæc eadem facilitas docendi difficilia, ex eo etiam evidenter constat, quòd

Æquè facilè est docere rigida ac facilia.

tot sint Auctores Catholici qui dura, quot sunt qui mollia docent. Nulla enim est celebris sententia directa mollis, quæ non habeat plurimos præclaros Auctores contradicentes, ut evidens est legenti quemvis Theologum moralia fusiùs tractantem. Sed & in omnibus opinionibus controversis, pars tutior à multis, & frequenter à pluribus defenditur, quàm pars minùs tuta. Ergo facilè est docere difficilia, & quidem non minùs facilè, quàm docere facilia & tuta. Ergo cessat planè præsumptio, quòd qui credit docentibus minùs tuta, ex hoc capite decipiatur potiùs, quàm qui rigida & tutiora docentibus fidem præbet. Sed & omnes Auctores, qui de omnibus fermè moralibus fusiùs scripserunt, in rebus incertis ex æquo fermè tradunt tutiora & minùs tuta. Unde mirum est, Celladeum dixisse, certum videri, quòd ut plurimùm & ferè semper deficiamus à lege minuendo potiùs præcepta, quàm addendo, cùm oppositum inductione certa sit notissimum; & ratione efficaci stabilitum.

Ratio Celladei efficaciter probat contra illũ, quòd argumentũ nostrum concludat.

40. Sed quid hoc ad dubium? Certè si verum esset, Auctores ferè semper deflectere à vero per diminutionem & defectum, id esset, quia homo adeo pronus est, ad favendum sibi, & naturæ appetitui indulgendum, ut facillimè inveniat rationes ad se excusandum, & ab onere legis eripiendum. At si hoc sit verum, utique sequitur, quòd si res maneat dubia, præsumendum sit, dubium deficere per excessum, non per defectum; quia si homo tam perspicax est ad rationes in suum favorem inveniendas, ut eas plerumque inveniat, etiam quando veritas contra ipsum stat, profectò si nullas tales inveniat, signum est, eas non dari, sed veritatem contra ipsum stare. Ergò tantùm abest, ut, si principia Celladei admittantur, ex dubio colligi possit aut debeat defectus legis, ut inde ejusdem excessus efficaciter colligatur. Ergo principia Celladei proprio ipsius intento repugnant, & non solùm solvunt argumentum, quod fatetur esse grave, sed illud validissimè confirmarent, si admitterentur ut vera.

41. Præterea *quæst. 2. num. 101.* ostendi, eam esse miseram hominis lapsi conditionem, ut, propter ignorantiam & in pœnam peccati, pronior sit ad fingendas obligationes, quàm ad eas amoliendas. Quod utique à potiori verum est de dubiis, quæ propter ignorantiam nostram sunt frequentissima, & à nobis determinari non possunt. Tantùm ergò abest, ut principium Celladei sit verum, ut oppositum sit admittendum.

Celladei contradictiones.

42. Atque hìc antequam progrediar juvat aliquas Celladei contradictiones & inconsequentias circa hoc argumentum notare. Inprimis admittit argumentum nostrum ultimum (cui nil satisfactorium reponit, ut vidimus) esse grave, ut revera est, quia rem planè demonstrat. Ergo hoc motivum per ipsum est probabile. Ergo jam tenet utramque partem contradictionis gravi fundamento niti, & esse simul probabilem eidem suo intellectui. Et tamen tenet motivum hoc esse fallax & falsum. Ergo per hoc contradicit iis, quæ antea omni conatu stabiliverat, nempe *utramque partem contradictionis non posse esse simul probabilem. Oppositа motiva non posse esse gravia. Nullum motivum falsum esse grave & prudens, sed vanum, sophisticum, inane, &c.* Nec dicat, se solùm dicere, illud motivum esse grave quoad nos, non quoad se; nam contra est, quia æquè repugnat uramque opinionem esse simul probabilem quoad nos, ac quoad se, saltem juxta illius principia; quia non minùs repugnat utramque partem eidem intellectui simul videri plerumque contingere, quàm utramque reipsa contingere plerumque. Ergo hæc replica non vitat contradictionem. Præterea, quis, quæso, unquam vocavit illud argumentum grave, quod reputat inane, phantasticum, ac sophisticum? At Celladeus, ni sibi contradicat, utramque appellationem eidem motivo tribuere debet. Sed etsi utramque tribuat, contradictionem non effugiet; nam inane, phantasticum, & sophisticum fundamentum non est argumentum grave, saltem quoad eum, qui illud inane judicat, ut patet.

Eadem incredibilia, & periculosa opinio.

43. Præterea fatetur, se non habere firmum principium, quo argumentum solvat, (vidimus autem eum in hoc verum dixisse, quia responsiones ejus sunt prorsùs invalidæ) ergo cùm res hæc sit periculosissima, non debebat contra communem omnium opinionem (nam neminem habet, qui in universalitate, quam tenet, cum ipso sentiat,) deserere tantam auctoritatem, utpote ad minimum plerumque non errantem, & viam non tritam inire, cujus aspera fatetur se complanare non posse. Non ergo videtur impleſse onus, quod ipsemet in talibus, ut sine offensa opinemur, requirit. Ergo grandi periculo, etiam juxta propria principia, se exponit, idque absque necessitate & sufficientibus argumentis. His data occasione præmissis, pergo in replica ipsius examinanda, &

Medium virtutis difficile, sed tamen, quia juvamur ab illo scientem, sunt satis facilia.

44. Respondeo ad primam confirmationem. Doctrina illa Philosophi supponit veritatem, seu medium ipsum virtutis esse quidem difficulter reperibile, regulas tamen, quibus juvemur ad medium illud quàm proximè attingendum, non esse inventu difficiles, sed satis obvias, quas ille ibidem proponit, nec in illis assignandis aut laborat, aut contradicentem habet. Cæterùm dicere, quòd qui regulas illas, aliasque ejusmodi, sequitur, potiùs erret per defectum à vero medio, quàm per excessum, dicitur sine ullo fundamento, maximè quando judicans nulla passione circa res illas afficitur. Idipsum præterea manifestæ experientiæ repugnat, tum quia facile est difficilia docere, tum quia videmus Auctores in ejusmodi judiciis ex æquo in utramque contradictionis partem propendêre. Ergo ex æquo deficiunt, ac excedunt. Itaque tantùm abest, ut regulæ istæ probent intentum Celladei, ut è contra vim argumenti nostri plurimùm confirment. Nam quamvis in executione homines plerumque deficiant à medio per defectum, maximè in bonis sensibilibus & voluptuosis, Doctores tamen in docendo non ita se habent, præsertim quando citra passionem judicant, sicut, Theologi judicare solent, quando in universali suam sententiam proferunt.

Sacra Scriptura docet homines frequenter errare circa legem, non per excessum, quam per defectum.

45. Quod additur de Hæreticis ex una parte, & de Prophetis ac SS. PP. ex altera, & falsum videtur, & ad rem non facit. Inprimis videtur falsum; si enim omnis doctrina, certò erronea, laxans sumatur ex una, & omnis stringens sumatur ex altera parte, haud facilè apparebit magnus excessus. Certè Christus, de utroque extremo Scribas & Pharisæos arguens, ita loquitur, ut unde excessus colligi possit non appareat. Contra additionem loquutus est *Math. 23.* dicens. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint nobis, servate, & facite. Secundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt. Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.* Hæc locutio apertè

supponit,

supponit, Scribas & Pharisæos ultra legem Dei miseris hominibus plurima præcepta, eaque gravissima imposuisse. Sed & S. Marcus initio *cap. 7.* circa solas lotiones enarrat, plurimas fuisse Pharisæorum traditiones, addens tandem hæc verba. *Alia multa sunt quæ tradita sunt illis servare, baptismata Calicum & urceorum, & æramentorum, & lectorum:* sed & Christus ipse ibidem hoc ipsum illis objecit, dicens. *Relinquentes mandatum Dei tenetis traditionem hominum; baptismata urceorum, & calicum, & alia similia hisce facitis multa.* E contra idem Salvator, *Mathæi 15.* & fusiùs *Marci 7.* reprehendit eosdem Pharisæos, quòd Dei legem de honorandis parentibus laxassent, & irritam fecissent per traditionem suam. Tandem concludit, & *similia hujusmodi multa facitis.* Ex his, aliisque locis Evangelii benè collatis, inveniemus, Scribas ac Pharisæos frequenter & auxisse legem ponendo præcepta quæ non erant, & eam diminuisse auferendo præcepta quæ erant; ex quo clarè sequitur primò, falsum esse, quod dicit Celladeus, errores circa legem fere semper esse circa detractionem, rarò aut nunquam circa additionem. Sequitur secundò, Scripturam ita loqui, ut in incerto relinquat ex qua parte error fuerit frequentior, cùm apertè insinuet, ex utraque parte fuisse frequentem. Uno verbo ita in hac re loquitur Sacra Scriptura, ac locuta fuisset, si supposuisset homines ex utraque parte æquè deficere in tradenda strictiore ac laxiore doctrina: unde vis argumenti nostri roboratur; & Celladei responsio evertitur.

46. Rursus ab initio Ecclesiæ reperio, plus fuisse erratum in doctrina per adjectionem, quàm per subtractionem legum. Plurimi ex natione Judæorum contendebant omnes ad fidem conversos debere servare legem Moysis, & Gentiles etiam circumcidi: contra quem errorem, qui unus innumeros continebat, coactum fuit Concilium Apostolorum, & Paulus ipse contra eundem errorem fusè scripsit. Præterea S. Petrus in ipso Concilio Apostolorum, *Actorum 15. 10.* dicit, Deum per hanc ipsam doctrinam tentari, & jugum imponi in cervices discipulorum, quod nec ipsi, nec patres ipsorum portare potuerunt. E contrà, ni fallor, non invenietur in exordio Ecclesiæ tanta copia doctrinam laxantium legem Christi, quanta erat eam gravantium. Postea verò fuêre innumeræ Hæreses legem gravantes. Quidam damnarunt nuptias, ut illicitas. Alii prohibuerunt lapsos ad pœnitentiam recipi. Hi pueros Baptismi incapaces esse tradiderunt: illi negârunt licitum esse confiteri venialia peccata: & quidem si de modernis hæreticis loquamur, quorum multi valdè laxârunt legem Dei, dubium mihi est, an in pluribus laxaverint legem, an eam strinxerint? Quidam omnem detestationem peccati ex Gehennæ metu conceptam esse hypocrisim, & magis peccatorem facere dixerunt. Alii operantes ex intuitu mercedis æternæ peccati damnarunt. Hi justos dixerunt in omnibus suis actibus peccare, saltem venialiter: illi docuerunt illos etiam mortaliter peccare; quo uno asserto plus indebitè legibus adjecerunt, quàm omnes simul de legibus indebitè abstulerunt. Itaque sicut Hæretici frequentissimè legi detrahunt, frequentissimè etiam eandem ultra debitum augent, adeo ut ex hoc capite nil in favorem Celladei concludi possit; sed omnia eò tendunt, ut vim argumenti stabiliant.

Ab initio Ecclesiæ plus erratū est in doctrina per excessum rigoris, quàm per defectū.

Hæretici fermè ex æquo legem augent, & minuunt.

47. Idem dicendum de Prophetis, & Sanctis Patribus, qui omnes ex æquo favorabilia & rigida tradiderunt. De Prophetis res nimis clara est. Ab initio enim Prophetæ potissimè loquebantur de liberatione Hebræorum à captivitate Ægyptiaca, & de danda illis Promissionis terra, quæ lacte & melle manaret, item de adventu Messiæ, ejusque Regno in perpetuum duraturo. Deinde quot fuerunt, qui prospera prædixerunt; maximè quando populus, invitabatur ad reditum è captivitate Babilonica? Sed & in aliis Prophetiis plurima læta prædicta sunt. Adeo ut, si omnia inspiciantur, aut nulla aut exigua inveniatur differentia. Idem prorsùs apparet in SS. Patribus, qui dura mollibus temperârunt, ut apparet ex resolutionibus Quæstionum in materiis incertis, quas apud illos reperire est: & quidem existimo, Celladeum haud negaturum, quin SS. Thomas, Bonaventura, Antoninus, Bernardinus Senensis, Sanctis Patribus accensendi sint; constat autem, istos ex æquo methodum inter utrumque extremum tenuisse, & modò strictiùs, modò laxiùs, planè instar reliquorum & graviorum tum sui tum nostri sæculi Authorum, sensisse. Et sanè non possum non hîc convellere dictum quoddam Vincentii Baronii, qui in Theol. morali falsò asserit, S. Thomam non adhærere sententiis minùs tutis, nisi, allatis rationibus cogentibus, probet eas esse certas, & contrarias improbabiles. Falsitas hujus asserti inprimis ex eo probatur, quòd quivis Scotista æquo jure similia dicere possit de S. Bonaventura & Scoto; & tamen certum est, vel illum, vel Baronium seu potius utrumque falli, cùm Sancti illi in pluribus sibi contradicant, nec ullus assertum suum demonstret, aut probabilitatem ab opposito auferat. Secundò falsitas ejusdem asserti manifestis exemplis evincitur. Inprimis S. Thomas *in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4.* docet, Confessionem integram mortalium sine debito dolore esse validam, sed informem; ac proinde, etsi gratiam non præbeat, mortalia illa non esse necessariò reconfitenda. Contraria tamen sententia non est improbabilis, imò est, & communiter censetur probabilior opinione S. Thomæ, maximè cùm Tridentinum *sess. 14. cap. 3. & 4.* ad valorem Confessionis dolorem exigat.

Vincentius Baronius erroris convincitur.

S. Thomas frequenter sequitur partem minùs tutam contra tutiorem probabilem.

Rursus, *quodlib. 10. art. 10. & in 2. dist. 44. quæst. 2. art. 3.* Angelicus D. docet, eum, qui votum obedientiæ emisit, in iis, quæ ad regulam nullatenus reducuntur, non teneri obedire, eò quòd obedire in hujusmodi non sit de necessitate, sed de perfectione obedientiæ. Communis tamen opinio in iis obedientiæ obligationem agnoscit. Idem dicendum de celebri S. Doctoris opinione, quòd judex licitè condemnet innocentem, scitum innocentem, modò juxta allegata legitimè probetur nocens. Qui plura exempla cupit, adeat Franciscum Bordonum *in Propugnaculo opinionis probab. cap. 16. & seq.* legat etiam Joannem de Cardenas *in Crysi Theologica disp. 15. cap. 6. art. 4.*

48. Ecce exempla à Celladeo allata nulla sunt, cùm non ill sed contraria subsistant. Præterea etsi exempl la verè subsisterent, nulla ex iis ad quæstionem præsentem illatio fieri posset; Hæresiarchæ e im, qui legem Dei minuerunt, fuêre homines improbi, qui ex libidine, non ex ratione doctrinam suam tradidêre, quique obstinato animo commentis suis inhæsêre; de quibus proinde nemo fundatè præsumere potest, eos post debitum examen, sicut decet viros probos, suam sententiam tulisse. A talibus autem non valet consequentia ad Catholicos peritos ac probos.

Exempla Celladei nō sunt vera.

Si vera essent, ex illis nil ad intentum ipsius inferri posset.

Certè consequentia ista est prorsùs nulla. *Hæresiarchis sceleratis perverso animo certam fidei regulam, & in multis certam etiam morum regulam convellentibus non est credendum, quando docent ea esse vera, quæ libertati favent. Ergo neque credendum est viris probis ac peritis, quando talia docent.* Et tamen hæc debet esse consecutio ex illo antecedenti, ut argumentum Celladei subsistat; quæ tamen similis est istis. *Non est credendum notorio nebuloni in multis falsi convicto; ergo non est credendum viro perito ac probo omnig, exceptione majori.* At consequentia ab exempio Prophetarum rigida denunciantium adhuc deterior est: sic enim arguendum est, ut aliquid ad intentum Celladei inferri possit. *Credendum est Prophetis ex certissima Dei revelatione loquentibus, quando rigida nunciant, quæ Deus illis nuncianda commisit. Ergo, quando nulla adest certitudo pro determinanda lite, non est credendum peritis & probis, si post quæstionem examinatam libertati faventia enunciaverint.* Aut certè sic: *Prophetæ, qui à Deo rigida tantùm audierunt, rigida tantùm docuerunt. Ergo omnes debent rigida docere, quando non regulantur à revelatione Dei alligata ad rigida, sed utuntur ratione, quamvis illa probabilissimè probet rigida illa esse falsa.* Si ullæ in mundo sint consequentiæ nullæ ac irritæ, profectò sunt istæ; quæ tamen solæ in ordine ad præsentem quæstionem inferri possunt ab exemplis à Celladeo inductis.

Alia absurda ex sententia Celladei.

49. Cæterùm si principium Celladei subsisteret, & Doctores ut plurimùm & fere semper à vero deficerent, quando docent legem non dari; & rarò aut nunquam fallerentur, quando legem dari asserunt; eo ipso quòd opinio aliqua enuntiaret legem non dari, ex hoc solo principio præsumenda esset falsa, quòd opiniones libertati faventes fere semper sint falsæ. Porrò cùm hoc motivum sit reflexum, & præsupponat studium ac diligentiam præcessisse in determinatione quæstionis, nulla determinatio probabilis obstare posset, quò minùs posterior hæc præsumptio locum suum haberet. Hinc autem sequitur, nullam dari posse veram & practicam probabilitatem pro non lege; quia quamdiu versamur in incertis, quicunque talem regulam eligeret, eligeret regulam plerumque & ferè semper errantem. Porro Celladeus absolutè vult hoc principium reflexum subsistere. Ergo tollit omne directè probabile practicum. Ergo semper tutiora tenenda sunt. Similiter ex eodem illo principio reflexo, sequitur, omnes Celladei assertiones solùm probabiles, legi faventes (habet autem complures) non esse positivè probabiles, nec sufficientem morum regulam; quas tamen pro talibus proponit. Similiter sequitur ex ipsius sententia, resolutiones probabiles libertati faventes esse plerumque veras ex vi motivi directi, & ex vi hujus motivi reflexi sequitur, easdem esse plerumque & fere semper falsas; hoc est utramque partem contradictionis esse simul probabilem, quamvis revera neutra sit probabilis. Ecce in quot & quantis Celladeus sibi contradicit.

Multiplex Celladei cõtradictio.

Celladei principium omnẽ quæstionis resolutionẽ inutilem reddit.

50. Ex eodem principio sequitur, neminem prudenter stare posse incertæ quæstionis resolutioni pro parte minùs tuta, quamvis valde peritus eam dederit; quia sequeretur regulam, quæ & reipsa, & in mente ipsius plerumque erraret. Hoc ergo principio admisso, prudentum & peritiorum resolutiones in ordine ad alios gubernandos nil valerent. Nec quisquam nisi imprudenter talem resolutionem dare auderet. Et tamen lumine naturæ notum est, tales resolutiones & utiliter tradi, & innoxiè in praxim reduci, cùm sine illis homines humano modo gubernari non possint.

51. Ex his ergo fixum manet, legem Dei in immensum quodammodò augeri ab ipso, qui dicit, præsumendum esse in omni prorsùs dubio legem dari. Idem esset periculum minuendi legem, si quis diceret, præsumendum esse nullam prorsùs dari legem circa tutius, quando homo versatur in ullo dubio. At qui mediâ viâ procedit, vitat hæc absurda, quia dicit veritatem competàm, scilicet legem aliquando dari, aliquando non dari in dubio. Tum distinguit inter legem obligantem, seu exerentem & exercentem vim legis, & legem hîc & nunc non obligantem nec exerentem vires suas; quarum neutrum aut tollit aut minuit, sed exactè docet, quænam sint quæ obligant, quænam quæ hîc & nunc non obligant; atque ita progreditur, ut in nulla assertione ponat ullam legem obligare vel non obligare in ordine ad easdem circumstantias, in ordine ad quas certus est de contrario. Et sic nostra doctrina clarè vitat hæc inconvenientia, quibus opinio Celladei inevitabiliter subjacet.

52. Objicit quintò. Argumentum procedit de subjecto non supponente; supponit enim dubia frequentissimè oriri circa legem. At hoc est per accidens, vel ex defectu virtutis, quæ multùm illuminat; vel ex vitiosis habitibus intellectum obfuscantibus. Remotis enim vitiis, & virtute habita, omnis prorsùs per se loquendo cessat dubitatio tam de lege humana, quàm de naturali & divina. Omnis enim lex naturalis ac divina est invenibilis per debitam diligentiam. Similiter lex etiam humana saltem plerumque, utpote quæ rarò ignoratur, nisi depêdenter à nostrâ negligentia; quæ omnia Celladeus in secundam partem probanda rejicit. Dubitantes ergo directè obligantur ad quærendam veritatem, & solùm indirectè ad partem tutiorem, scilicet si quærere nolint. Porro indiligentes meritò hoc modo obligantur, ut sic excitentur, & quodammodò necessitentur ad inveniendam veritatem, quæ est finis dubitationis.

Objectio.

Respondeo, solutionem hanc, non objectionem procedere de subjecto non supponente; certissimè enim constat casus innumeros tam de lege naturæ & divina, quàm de lege humana manere dubios & incertos, etiam post magnam diligentiam ad veritatem inveniendam adhibitam. Patet hoc ex innumeris veritatibus practicis contradictoriis circa omne genus legum, potissimè verò circa legem humanam, quibus scatent opera piissimorum juxta & doctissimorum virorum, de quibus nec probitatis defectus, nec diligentiæ neglectus venire potest in suspicionem, ratione quorum dubitatio ac incertitudo illa ulla ratione imputabilis præsumi possit. Stat ergo certissimum esse, quòd dubitationes ac incertitudines de legibus sint prorsùs necessariæ & frequentissimæ inter homines. Proinde vim argumenti, quod mihi videtur manifestè demonstrare intentum, non elidi. Porrò quod Celladeus promittat, se probaturum oppositum, neminem movere debet; argumenta enim illa (si ex plerumque contingentibus judicare liceat) invenientur prorsùs invalida, sicut hactenus omnia inventa sunt, quæ tamen Celladeus pro validissimis ac insolubilibus proposuit.

SOL-

SOLVUNTUR FUNDAMENTA Celladei.

Objectio 1.

53. OBJICIT primò. Tenemur ad tutius in omni dubio, tam ex lege naturæ, quàm ex lege positiva divina, & humana. Inprimis sic naturâ comparati sumus, ut lex Dei, in se existens, ac in se sumpta, sit regula actuum nostrorum, nosque simus quid regulandum ac regulabile per illam. Regula hæc applicatur seu intimatur per rationem nostram, quæ propterea etiam ipsa regula dicitur. Hanc legem omnes aliquo demum modo scire tenemur; nec excusamur, si illam ignoremus, nisi ignorantia fuerit invincibilis. Ex hoc principio sequitur, hominem teneri non ita se gerere in operando, ut non magis habeat operari juxta, quàm contra legem; quia per hoc ipsum exponit se periculo violationis, & per hoc ipsum peccat contra regulam. At ita se habet homo in omni dubio, & in omni casu æqualitatis rationum, vel opinionum, si eligat partem minùs tutam. Ergo in omni tali casu tenetur ad tutius, idque ex ipso jure naturæ. Ita Celladeus *quæst. 9. §. 1.* qui paulò post §. 3. reflectens super hanc rationem, dicit tanquam manifestè concludenti insistendum esse, non obstante ratione illa, quam ultimo loco pro nostra assertione attulimus, quamque ipse fatetur esse gravissimam; atque eam ibidem laboriosè sed frustra conatur eludere, ut vidimus.

Prætensa Celladei demonstratio.

Peccat qui nò magis operatur juxta, quã contra legem obligantẽ.

54. Respondeo, hominem haud dubiè peccare, si ita in operando se gerat, ut non magis operetur juxta quàm contra legem Dei certò in se existentem, & sufficienter applicatam: v. g. Lex prohibens homicidium certò existit, & est sufficienter intimata; contra hanc legem non solùm peccatur, si homicidium scienter patretur, sed si dubium sit, an actio, quæ ponitur, sit homicidium. Ratio est, quia lex illa in se existens, & applicata exerit vim suam, & obligat ad abstinendum non solùm ab homicidio certo, sed etiam à dubio. Hoc bene probatur argumento allato, eoque omnes utuntur ad hoc probandum. Sed hæc doctrina nil facit ad præsentem quæstionem, quæ procedit de ipsa lege, quando dubium est, an detur; nec procedit solùm de dubio legis, sed etiam de dubio facti, ut patet; nec hic adhuc est legitimus quæstionis status, nisi superaddatur dubium illud etiam post sufficientem diligentiam adhibitam adhuc manere, nec solvi posse. At in hoc sensu objectio non urget, quia talis lex vel non existit, vel certè non sufficienter applicatur, ideoque nullam vim obligandi exerere potest: homo ergò in tali casu non peccat contra hanc legem, licèt ponat opus, quod fortasse est, fortasse non est contra talem legem, quia per hoc nullam legem obligantem violat, ut patet. Jam homines hoc, non priori modo se habent, quando in dubio operantur, juxta doctrinam eorum, qui docent in variis casibus licitum esse sectari partem minùs tutam in dubio. Ergò si bona fide talem doctrinam probabilem sectentur, non peccant. Tantum ergò abest, ut objectio intentum manifestè evincat, ut è contrario procedat ex manifesta æquivocatione & confusione legis certò existentis ac sufficienter applicatæ, cum lege post omnem diligentiam latente ac dubia, quæ fortè est fortè non est; & sive sit sive non sit, non est sufficienter applicata; &, quod plus est, quando certum est, legem illam non extendi ad circumstantias, in quibus opus ponitur,

Prætensa demonstratio non est nisi terminorũ æquivocatio.

55. Et sanè mirum est, Celladeum hoc non advertisse; vult enim solùm legem Dei verè existentem & per rationem applicatam esse regulam completam. At hinc clarè sequitur, legem dubiam, utpotè quæ sæpe non existit, & numquam applicatur, non esse regulam, cui debeamus conformari, cùm talis lex vel non habeat, vel nequeat exerere vim obligandi. Præterea est contra rationem regulæ, ut non magis sit, quàm non sit; non magis cognoscatur, quàm non cognoscatur. At talis est omnis lex, quæ post diligentem inquisitionem manet dubia. Ergo talis lex non potest esse regula humanarum actionum. Inconsistentia ergo sunt, sibique prorsùs contradictoria, quæ in hac objectione Celladeus conjecit, & pro solidissimo fundamento suæ doctrinæ proponit.

Eadem argumentatio involvit terminos sibi contradicentes.

56. Datur quidem lex reflexa certò existens, & sufficienter applicata, quæ in dubio legis obligat ad partem tutiorem, donec veritas diligenter quæsita fuerit, quia nefas est in dubio legis operari, nisi operans rationabiliter formet conscientiam suam, quæ vel explicitè vel implicitè dictet, legem aut non esse, aut si fortè sit, non esse sufficienter applicatam ut obliget. Atqui tale dictamen formari nequit nisi diligentia præmittatur, vi cujus intellectus alterutrum ex duobus illis concludat.

In dubio tenemur ad tutius donec, diligẽtiâ præmissâ conscientia rationabiliter formetur.

57. Quòd si Celladeus contendat, dari legem reflexam certam & sufficienter applicatam, quæ in omni prorsùs dubio tam juris, quàm facti obliget ad partem tutiorem, debet potens aliquod argumentum ad hoc probandum afferre, alioquin nemo, opinor, illi fidem dabit. At tale argumentum nondum tulit, nec ferre intendit, quia sermonem de legibus reflexis, quas ut futiles rejicit, non admittit, sed omnia per solas leges veras & directas gubernari contendit, quod quàm absurdum sit, ex dictis constat; quia hoc ipso ponit non leges pro legibus, & consequenter non regulam pro regula. Sola enim lex verè existens est lex & regula. Ex legibus autem dubiis plurimæ non dantur. Ergo si omnis lex etiam dubia sit regula, inevitabiliter sequitur, aliquam non legem, & aliquam non regulam esse regulam. Quod est apertè contradictorium.

Effugium præcluditur.

Objectio 2.

58. Objicit secundò. Nullus dubitans de lege, persuasus est legem non esse, sed virtualiter saltem dicit, *Fortasse est lex prohibens hanc operationem.* Ergo si operando violet illam legem, violatio est illi imputabilis & voluntaria, quia sciens, & volens exponit se periculo talis violationis. Et sanè sicut ludentibus imputabilis est jactura, quia se periculo perdendi scientes exponunt, & totum casui committunt; ita pariter se res habet in casu nostro. Præterea ipsa temeritas operandi in tali periculo est peccatum, quia omnis ita operans, vel expresè vel æquivalenter habet hanc voluntatem: *Sive re ipsa violem, sive non violem legem, volo hoc facere.* At talis voluptas est peccaminosa. Ergo. Ita Celladeus §. 5.

Æquivocatio argumẽti multiplex detegitur.

Respondeo hæc omnia jam soluta esse, quia alia est lex vetans rem in his, alia lex vetans eandem rem in aliis circumstantiis. At operans in dubio legis vetantis rem in talibus circumstantiis, si juxta præscriptum sententiæ benignæ procedat, non versatur in illis, sed in aliis; ideoque non exponit se periculo violandi illam legem. Rursus alia est lex & certa in se, & sufficienter applicata; alia nec certa in se, nec sufficienter applicata, sed manens

manens dubia etiam post debitam diligentiam. Peccatum est primam violare, aut periculo eam violandi se exponere, ut dictum est. At secunda est incapax propriæ violationis, quia aut non habet vim obligandi, si fortè non existat, aut certè non potest eam vim exerere, cùm sufficienter applicata non sit. Unde operans in dubio talis legis non temerè operatur, nec dicit, ut vult Celladeus, volo hoc facere sive sit, sive non sit prohibitum per legem; sed hoc modo dicit. *Volo hoc facere, quia aut nulla est lex id vetans, aut si est, non est sufficienter applicata ut obliget.* In quo nulla est temeritas, nullus contemptus ut patet. Præterea dicit etiam hoc modo. *Volo hoc facere in hisce circumstantiis, quia in istis non vetatur, quamvis dubitem an sit lex illud prohibens in aliis circumstantiis, quæ tamen lex, etsi sit, non tamen est sufficienter applicata ad ullam obligationem inducendam, etiam pro illis circumstantiis.* Hoc modo se habet operans in circumstantia legis aut facti dubii, quando juxta benignæ sententiæ præscriptum operatur, qui proinde cum debita submissione, absque temeritatis vel contemptûs ullius apparentia, procedit.

Objectio 3. 59. Objicitur tertiò. Jussi sumus legem Dei benè scire, ac custodire. Item ubi dubitamus, quærere, orare, Scripturas scrutari, &c. Hæc intelliguntur de legibus verè existentibus, quas Deus dedit, & observari vult. Ergo Deus non vult nos casualiter nos gerere in operationibus ad ista mandata spectantibus, alioquin nec scire, nec quærere teneremur, sed sufficeret fortè fortunâ operari. Atqui omnis dubitans hoc modo se habet, si sectetur partem minùs tutam: ergo ex lege divina tenemur ad tutiora in dubio. Ita Celladeus §. 5.

Non tangit controversiam præsentem. Respondeo quid ad rem? Tenemur quidem legem Dei scire quantum humanò modo possumus, & in dubio vi legis reflexæ tenemur veritatem quærere. At de hoc non agitur, sed de eo solùm, an si post omnem conatum lex seu factum maneat dubium, adhuc teneamur ad partem tutiorem. Hoc unicè probandum erat. Jam Deus vult nos non fortuitò nos gerere circa violationem legis certæ & cognitæ, ut dictum est. At si lex post diligentiam adhibitam lateat, non ampliùs prohibet Deus actionem talem; tum quia lex illa non obligat, tum quia operatio consequens talem diligentiam afficitur peculiaribus circumstantiis illam honestantibus, ad quas lex illa dubia non extenditur. Ergo neque ex lege naturæ, neque ex lege divina tenemur ad tutius in omni dubio; sed neque ex lege positiva, ut mox ostendam contra Celladeum, qui quæstione decima argumentum ex hoc capite petitum proponit, atque expressis terminis tradit, partem tutiorem in omni prorsùs dubio, non tantùm ex consilio, sed ex stricto præcepto esse tenendam; ego verò hoc ipsum, utpote falsum, jam efficaciter rejeci. Quare solùm superest argumenta contraria solvere.

SOLVITUR OBJECTIO

Ex Jure Canonico desumpta.

Jus Canonicũ an doceat partem tutiorem in omni dubio esse tenendam? 60. OBJICIT primò. Jus Canonicum plurimis in locis supponit, partem tutiorem necessariò tenendam esse in omni dubio. Resolvit enim casum per hanc regulam, *quòd in dubio pars tutior sit tenenda.* Itaque Jus Canonicum supponit, hanc obligationem jure naturæ ac divino esse inductam. Supponit, inquam, eam potiùs, quàm inducat, quia assumitur ut regula juris, *quod tutior pars tenenda sit in dubio.* Regulæ autem sunt ex jure, non jus ex regulis, ut communiter Canonistæ ac Juristæ tenent. Porrò tres sunt textus, ex quibus potissimè sumi videtur hæc regula. Omnes autem habentur in eodem titulo *de homicidio voluntario & casuali.* Primus est *caput ad audientiam*, in quo quidam Presbiter declaratur irregularis merè ob dubium homicidii casualis. Vulneraverat is casualiter famulum suum, dum eum cingulo suo, cui cultellus adhærebat, verberaret; cultellus enim vaginâ elapsus famulum in dorso aliquantulùm vulneraverat. Supervixit famulus aliquamdiu, & à vulnere curatus est, mox alia graviori infirmitate superveniente extinctus est; hæc autem ita contigerunt, ut dubium relinquerent, an famulus ille ex vulnere moreretur. His præmissis, Clemens III. sic de hac re decernit. *Quia verò utrum occasione vulneris decessisset, dubium habetur: tuæ discretioni duximus respondendum, quod cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, te convenit injungere Presbitero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret, &c. si verò ille ex altera infirmitate obierit, poterit divina Officia celebrare.*

Secundus textus est *cap. significasti 2.* in quo quidam Presbiter maleficum, qui Eucharistiam & ornamenta altaris extra Ecclesiam asportaverat, ligone percussit. Mox parochiani videntes furem ornamenta asportantem accurrunt, eumque gladiis & fustibus in eodem loco occidunt. His peractis, dubitabat Presbiter, an ipse ictum lethalem inflixisset, & ideo reputandus esset irregularis? Huic casui, post plura clarè distinctèque enuntiata, sic Respondet Innocentius III. *Quod si discerni non potuit ex cujus ictu percussus interierit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos: & si fortè homicida non sit, à Sacerdotali officio abstinere debet. Cùm in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in illo verò magnum periculum timeatur.* Caput gratulabamur.

Tertius textus est *caput Petitio*, in quo clericus, eruptione cum aliis clericis & laicis è castro facta, contra inimicos Christiani nominis pugnans plures percussit, sed nesciebat, an suis ictibus quemquam occidisset, quamvis in conflictu plures hinc inde essent interfecti. Huic ergo metuenti, an hac de causa censendus esset irregularis, respondet Honorius III. *Mandamus, quatenus si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet à ministerio altaris abstineas reverenter, cùm sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quàm temerè celebrare.* Hi textus expressè supponunt obligationem sectandi partem tutiorem in dubio. Ita Celladeus *quæst. 10. §. 1.* qui citat etiam *cap. Iuvenis, de sponsalibus.* Et *Clementinam, exivi, de verborum significat.*: Quos textus, quamvis plures magni illos faciant, ipse tamen existimat abs re adduci, idque judicat clarè demonstratum esse à Cardinali Pallavicino *de actibus hum. disp. 9. quæst 4. num. 10. & 11.* Caput petitio, de homicidio.

Respondeo me textus istos fusè explicuisse *quæst. 26. de Consc. probabili*, atque ex illis ipsis aliisque sacris Canonibus benignæ sententiæ veritatem ostendisse. Textus enim isti apertè supponunt, solutionem probabilem dubii sufficere ad sectandam partem minùs tutam. Legantur ibidem dicta, quia non est cur hìc repetantur. Verùm quia ibi non tam agebatur de dubio quàm de solutione probabili, ideo sistendo in terminis propriis præsentis quæstionis, Respondeo.

62. Respon-

62. Respondeo secundò. Casus horum textuum non urgere, quia omnes, aut certè duo ultimi procedunt de dubio contra legem certò existentem: Lata enim erat lex, ne homicida culpabilis altari deserviret, &c. tales autem leges, nisi peculiaris ratio obstet, non minùs prohibent dubiam quàm certam transgressionem; sicut lex non occidendi non solùm prohibet actum, qui certò necem illaturus est, sed etiam actum omnem de quo dubitatur an sit necem allaturus. Atque hinc est, quod Pontifices in istiusmodi casibus declaraverint, homicidas dubios esse irregulares, & non minùs ligari lege illa Ecclesiastica, quàm certos; sicut omnes dicunt nos lege naturali obligari ad abstinendum non solùm à certo, sed etiam à dubio homicidio, quia lumine naturæ notum est, quod lex prohibens homicidium, non solùm certam sed etiam dubiam occisionem prohibeat. In his ergo aliisque similibus ultrò fatemur, semitam tutiorem esse terendam, & ex una parte nullum, ex altera magnum periculum imminere, nempe periculum contraveniendi legi verè existenti, & sufficienter applicatæ, ex quo periculo ritè inferimus, actionem illam esse malam, & in hisce circumstantiis per illam eandem legem absolutè prohibitam. Verùm hinc non sequitur, quod par sit obligatio in omni prorsùs dubio, ut supra ostensum est. Distinximus enim dubium facti à dubio legis, & dubium facti contra legem certam à dubio facti contra legem dubiam; neque enim ulla est paritas unius ad alterum, ut ibi quoque indicatum est.

Lex certa dubiam ejusdem trā. gressionem prohibet, nisi peculiaris ratio obstet.

63. Et sanè si sermo sit de dubio universim sumpto, nil manifestius vel ex hoc ipso titulo *de homicidio*, quàm Pontifices supponere, nullam dari obligationem sectandi partem tutiorem in omni dubio. Legantur capita 9. 13. 14. 16. 21. 22. 23. & 25. hujus tituli, & in illis apertè videbis, Pontifices, non obstante morte ex quorundam Clericorū actionibus sequuta, declarasse eos non fuisse irregulares. Ergo à fortiori idem declarassent, si, reliquis stantibus, fuisset dubium, an mors sequuta fuisset. Sed quid? numquid non dubium erat, an isti etiam ab altaris ministerio arceri deberent? Utique dubium fuit, quia plurimi gravissimique viri quæstiones has Pontifici solvendas tradidere. Cur autem non responderunt Pontifices ad hos casus, sicut ad priores in superiùs allatis exemplis contentos responderunt, *in dubio tutius tenendum est*? Dicam, quia bene sciebant, non constare de lege ulla, quæ eos redderet irregulares, qui attendentes rei licitæ casualiter & sine culpa homicidium committerent. Nam quamvis alii dubitarent, an talis lex daretur, & quamvis fortassis ipsimet Pontifices dubitarent an talis lex fuisset condita; quia tamen sciebant illam non esse certam sed dubiam, responderunt illam neminem arctare, sed omnes esse liberos, ac si certò constaret, nullam ejusmodi legem fuisse conditam. At in casu homicidii imputabilis, etiam dubii, contrarium censuerunt, quia bene sciebant, legem extare, quæ omnem culpabilem homicidam ab altari arceret, quæque proinde contravenientes tali legi irregulares redderet. Videbant autem talem legem ex æquitate extendi ad arcendum etiam homicidam dubium ab altari, quia eadem lex quæ vetat celebrationem fieri ab homicida, vetat illam fieri etiam ab homicida dubio, quamdiu contrarium non exprimitur in Jure, aut ratio peculiaris non obstat. Tantùm ergo abest, ut ex hoc loco probetur universalis obligatio sequendi tutiora in dubio, ut potiùs oppositum probetur, & tota res declaretur per illam ipsam distinctionem, quam nos ad præsentes textus attulimus, quamque antea etiam exposueramus.

Pontifices in titulo de homicidio supponunt non dari obligationē sectandi tutiora in omni dubio.

Videntur fūdari in eo quod in uno casu lex certa daretur, in alio verò solùm lex dubia.

64. Hoc autem maximè ex eo patet, quòd Pontifex ipse *in cap. significasti 2.* quod maximè favet Celladeo, ponat casum (qui habetur post textum, cui interjectus erat) de homine, quem constabat ab uno tantùm ex multis fuisse interfectum: quærit autem Pontifex, an omnes in eo casu sint habendi irregulares, cùm discerni nequeat, qui debeant culpabiles judicari? Huic autem quæstioni non respondet, sicut casui in *illo cap.* contento responderat, scilicet tutiorem viam tenendam esse, & unumquemque quoad præsentem quæstionem reputari debere homicidam, quamvis fortè homicida non sit. Et tamen in eo etiam casu dubium fuisset, an hic particularis homo alium occidisset. Ergo Pontifex in hac ipsa re, etiam quando homicidium peccaminosum & imputabile est dubium, non censuit universaliter partem tutiorem esse tenendam, alioquin eodem modo ad hunc casum respondisset, sicut ad priorem; quia uterque casus in ordine ad præsentem quæstionem fuisset planè idem, cùm in utroque ex æquo homicida, etiam dubius, ab altari arcendus fuisset. At Pontifex non ita respondet, sed solùm dicit de hac re diligenter cogitandum, & casum istum ab alio esse valde diversum. Et ratio esse potest eadem, quam jam insinuavi, quia scilicet in hoc casu non constabat, hanc determinatam personam percussisse alterum aut illi nocumentum intulisse, cùm in priori casu constaret Presbiterum ligone, &, ut dicebatur, etiam in capite furem percussisse, adeoque actionem in alterum exercuisse, quæ & ob gravitatem instrumenti, & partis percussæ præstantiam & tenueritudinem facilè lethalis existimatur. Quocirca credibile videtur, diversam hanc Pontificis resolutionem in alio non fundari quàm in eo, quòd in priori casu constaret legem latam esse, ne quis celebraret qui alium inflicto vulnere occidisset, quam legem non constat adversus eos latam, de quibus dubium erat, non solùm an occidissent, sed etiam an ullo modo alium percussissent; alioquin si ex æquo constasset, legem utrumque casum involvere, Pontifex pro utroque casu eandem prorsùs sine ullis ambagibus responsionem dedisset. Quod cùm non fecerit, apertè ostendit, longè diversam habendam esse rationem de dubio circa legem, ac de dubio facti, quod à lege certò prohibetur. Itaque & nullitas argumenti, & tota doctrina nostra ex hoc ipso titulo confirmatur.

Pontifex in ipso capite *significasti*, supponit nō omne dubium de homicidio etiā culpabili inferre obligationē sectandi partē tutiorem.

65. Hæc est genuina responsio, ex ipsa rerum gestarum legumque natura desumpta, quam Celladeus aut nullo modo aut solùm confusè vidit. Refert quidem §. 2. plurium responsiones, easque postea tanquam insufficientes, sed immeritò & insufficienter rejicit, ut mox ostendam. Inprimis ergo, plures, inquit respondent, has & alias ejusmodi decisiones procedere de dubio practico, in quo juxta omnes tenemur ad partem tutiorem. Hæc responsio veram solutionem continet, quia etsi dubium de homicidio per actionem culpabilem admisso non sit proximum, & propriè practicum, necessariò tamen connectitur cum dubio proximo & practico, ut ostensum est; ideoque eadem doctrina æqualiter procedit de utroque dubio, quia in his & similibus casibus dubium remotum & speculativum necessariò

Textus isti solū loquūtur de dubio practico, vel de dubio inferente dubiū practicum.

sariò infert dubium proximum & practicum, Huic responsioni aliud non reponit Celladeus, quàm quòd eadem sit ratio dubii speculativi & practici, & remittit se ad rationes præcedentes, quibus id convinci autumat; sed illas prorsùs nullas, æquivocationibusque plenas invenimus, & ut tales rejecimus. Præterea ingens est disparitas inter talia dubia, ut clarè constat ex dictis.

Celladeus immeritò dicit, nos non clarè mentê nostram explicare.

66. Subdit tamen, vix apparere quid velimus, cùm fateamur eandem esse rationem dubii speculativi ac practici, quando non adest causa rationabilis variandi in judicio practico. Sed assertio nostra est nimis perspicua; volumus quidem aliquando eandem esse rationem dubii speculativi & practici, scilicet quando dubium speculativum infert practicum, quia verè tunc eadem ratio procedit de utroque. At negamus hoc semper evenire, sed probamus dubium speculativum sæpe non obstare, quò minùs conscientia, dictans opus hîc & nunc esse licitum, rationabiliter formetur. Quid hoc asserto clariùs, & intelligibilius?

Secunda & tertia responsio aliorum ad dictos textus.

67. Respondent alii 2. has decisiones intelligendas esse de iis solùm casibus, qui in illis continentur, nec extendendas ad alios, & multò minus ad omnes casus dubios.

Ratio hujus rei desumitur à tertia Auctorum responsione, quæ asserit, congruentiam in genere sectandæ partis tutioris non esse præceptum, sed consilium, ut ex innumeris exemplis patet, in quibus pars minùs tuta licitè eligitur. Itaque axioma illud universaliter sumptum non est nisi consilium in quadam æquitate rationis naturalis fundatum. Hac æquitate nixus Pontifex in casibus propositis gravem obligationem induxit, quæ nec ad omnes, nec ad alios casus, etiam similes, est deducenda.

Sanchez benè probat, neminem in dubio juris cẽsendum irregularem.

68. Fundamenta harum interpretationum Celladeus recitat ex Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 10. qui ibi contendit, neminem in dubio juris reputari debere irregularem, sed neque in dubio facti extra casus in dictis capitibus expressos. Fundamenta prioris asserti sunt primò *ex cap. Is qui, de senten. excomm. in 6.* ubi deciditur, irregularitatem non incurri ob casus similes, aut jus apparens, sed solùm in casibus in jure expressis. Ergo à fortiori non sufficiet, ubi totum jus est dubium.

Confirmatur: Textus inducentes irregularitatem in homicidio dubio, solùm loquuntur de dubio facti. Ergo nullus est irregularis in dubio juris cùm nullum sit jus hoc statuens. Secundò dispar est ratio in dubio juris, & in dubio facti, quia jus dubium nequit suum effectum, id est obligationem, inducere, cùm de ipso Jure dubitetur. At, stante dubio facti, potest esse jus certum statuens eam irregularitatem. Tertiò, nemo in casu juris dubii condemnari potest ut irregularis, quia judex juxta jus sententiam ferre debet. Ergo nemo in tali casu censendus est irregularis, nequidem in foro conscientiæ, cùm forum conscientiæ sit mitius foro externo. Quartò, in pœnis ipso jure inflictis, qualis est irregularitas, delinquens ipse est judex, qui & contra se profert sententiam, & illam etiam in seipso exequitur. Ergo in dubio juris non tenetur exequi pœnam in seipso, sed ex eodem principio seipsum potest absolvere, quo in foro externo à judice externo absolveretur. Quintò demum, jus dubium non est sufficienter promulgatum & applicatum. Ita Sanchez *num. 42.*

69. Idem author *num. 48.* probat alteram partem, scilicet irregularitatem non incurri in aliis casibus dubiis, sive juris sive facti, sed solùm in casu homicidii dubii, ac proinde in aliis dubiis standum esse pro possessione. Primò: omnia jura clamant in dubio delicto reum esse absolvendum. *Reg. favorabiliores 168. ff. de reg. Iuris. & cap. cùm sunt, eodem titulo, in 6.* ubi expressè habetur, *cùm sunt jura partium obscura, reo favendum est potiùs quàm actori*; ubi Glossa dicit, reum in eo ipso absolvendum, quòd actor non probet delictum, & ideo hæc regula apertè procedit de utriusque generis dubio, atque idipsum expressè traditur *in cap. unico, ut Ecclesiastica beneficia*, versu, *cùm enim*, ubi hæc habentur, *cùm enim Iuris sit explorati, quòd, actore non probante, is qui convenitur, etiamsi nihil præstiterit, debet absolvi*, quod perinde est, ac si diceret, etsi reus non probaverit se innocentem, tamen sola negatio probationis in actore est sufficiens ratio absolvendi reum. At quoties factum manet dubium, delictum non est probatum. Ergo tunc reus absolvendus est, quamvis altera pars sit æquè dubia; & hæc est consuetudo tribunalium. Itaque cùm hæc sit regula juris, & quidem rationi consona, non est ab illa recedendum absque textu expresso, qui extra casum homicidii dubii non invenitur. At ille extendi non debet ad alias irregularitates contra aliam regulam juris. Adde forum internum à foro externo in nullo discrepare, nisi quando forum externum ex falsa præsumptione procedit, qualis certè nulla est in præsenti casu. Ergo, extra illos casus expressos, nemo ob dubium ullum juris vel facti habendus est irregularis, nec in foro externo, nec in foro interno. Et sanè, si omnia benè perpendantur, hoc dubium non est tam dubium facti quàm juris, quia tandem quæstio devolvitur ad hoc, an jus statuerit irregularitatem pro factis dubiis extra casum homicidii. At hoc jus est dubium. Et nemo in dubio juris censendus est irregularis. Ergo nec in hoc dubio. Ergo præmissæ illæ decisiones de irregularitate nequidem ad alios casus irregularitatis extendendæ sunt. Et multò minùs ad omne dubium in genere. Hæc fermè Celladeus in Thoma Sanchez, quæ sine dubio valdè fundatè dicta sunt; & validissimè confirmant nostram sententiam, quia probant quòd in materia irregularitatis sæpe non teneamur ad partem tutiorem in dubio. Sed videamus quid Celladeus opponit.

Replicatio Celladei.

70. Opponit primò. Quod pœna irregularitatis non extendatur ad casus similes in jure non expressos, æquè facit contra nos. Deinde hoc ipsi non repugnat, quia non agit de casibus similibus, in quibus potiùs certum est, eam pœnam non incurri.

Respondeo, nos docere homines in aliquo saltem dubio non teneri ad partem tutiorem, & afferimus casum dubium tam de jure inducente irregularitatem, quàm de facto, cui irregularitas annectitur. Deinde probamus nos in hoc dubio non teneri ad partem tutiorem. Quid hoc faciat contra nos, nec Oedipus dixerit, cùm evidentissimè probet intentum nostrum. Sed quid? fortè hoc ipsum Celladeo non repugnat? Verè ipsi non repugnaret, si certò constaret, legem latam esse, quæ disertè statueret, irregularitatem non incurri in ullo casu dubio nisi in casu homicidii. At non constat de tali lege. Neque enim certum est, caput illud, *is qui*, hoc universaliter aut statuere, aut supponere. Quid ais Celladee? est ne certum, quod dubius de mutilatione, de legitimitate, & aliis similibus non sit irregularis? minimè;

Ostenditur inductum.

minimè; quia caput illud solum dicit, irregularitatem non incurri propter celebrationem in templo polluto, quia hoc non est expressum in jure. At, hoc non obstante, irregularitas per legem statuta est propter mutilationem, & defectum natalium, &c. Quidni ergo etiam propter dubiam mutilationem aut legitimitatem, &c. statuta sit? oppositum non certò sed solum probabiliter deducitur ex *illo cap.* Ergo versamur in casu quæstionis, quæ ex hoc ipso argumento decidituir contra Celladeum, quia, non obstante dubio aut juris aut facti alicujus, per varias rationes consurgere possumus ad probabiliter concludendum, nos non teneri ad partem tutiorem in tali dubio sectandam.

Secunda Celladei replica.

71. Opponit 2. Regulæ & doctrinæ faventes reo, ac usus tribunalium adducuntur abs re; quia eliduntur aliis juribus. Si enim jura clamant, *Reum absolvendum in dubio:* clamant etiam, *tutiorem partem in dubio tenendam.* Jam ne priora violentur, tu interpretaris secunda esse de consilio, vel solùm locum habere in casibus expressis. At ego, inquit Celladeus, eodem jure contendam, prióra esse solùm de consilio, vel extendi solùm ad casus in jure expressos, ut sic inviolata censentur axiomata posteriora. Ergo nil ex hoc infertur, sed quærenda est concordia, vel nescientia veri sensûs est fatenda.

Insufficientia replicæ ostenditur.

Respondeo, nullam esse allisionem horum jurium; nam quod de actore & reo dicitur, haud dubiè est de præcepto, & extenditur ad omnes casus, cùm nemo inficias eat, aut ullam exceptionem ponat, nisi fortè exceptio ipsa alicubi ponatur in jure. Ergo de hujus regulæ sensu dubitandum non est, cùm & ipsum lumen naturæ & omnium tribunalium praxis clarissimè ostendant, sensum illius esse perspicuum & universalem, atque obligationem judicibus inferre. E contrario non est certum, quòd tutiora aut universaliter, aut etiâ in omni dubio sint tenenda ex præcepto, quia certum est, quod in multis non teneamur ad tutius, quod & ipse Celladeus fatetur de suo probabili, quod excusat sequentes illud, quamvis procedat de parte minùs tuta. Ergo certum est apud omnes Catholicos benè sentientes, quod tutiora non sint universaliter tenenda ex præcepto. Jam verò si agitur de casu dubii remoti & speculativi, neque certum est quod teneamur ad partem tutiorem, cùm innumeri & ferè omnes id negent. Ergo regula de parte tutiori universaliter tenenda in dubio explicanda est per regulam de favendo reo in dubio, quia jura dubia per certa declaranda sunt, non ex adverso; congruum enim est ut clarum jus limitet jus dubium, ut & per se patet, & omnes fatentur. Itaque Celladeus, regulam priorem opponendo secundæ, & contendendo id ex æquo posse fieri, per manifestam violentiam sensum legis certæ regulæque clarissimæ detorquet, & contra lumen naturæ, contra consensum doctorum, ac omnium tribunalium usum, sine ullo fundamento vocat in dubium, & per jura incerta exponit certa, eaque limitat. Reprehendendus itaque est ex hoc ipso titulo, ex quo nos reos, se autem immunem esse jactat & arbitratur.

Quod Reo sit favendū in dubio est jus certum ac universale, quod obligationē secum affert.

Jus certum non debet exponi & limitari per Jus dubiū, sed è cōtra.

3. Replica. Celladeus mira. cōbinat, ut ostēdat nos nescire, quomodò regulæ Juris cōcilientur.

72. Opponit 3. nos prodere nostram nescientiam de harum regularum concordia, & illas ipsa habere pro inconcordabilibus. Hoc ut probet, sic pergit. Tenetis, inquit, doctrinam de parte tutiori tenendam esse universaliter de consilio, & huic universali æquitati innixum Pontificem per novam legem induxisse gravem illam obligationem quoad casus illos dubios. Mox affertis aliam doctrinam universalem, quòd in dubio reo sit favendum, quod reus absolvendus sit, actore non probante. Cur ergo Pontifex non absolvit eos in casu illo dubio? cur illos damnavit? scis quare? quia illi erant rei, etiam antequam Pontifex illos expressè damnavit ut irregulares. Præterea ex eadem vestra doctrina sequitur, Pontificem simul & semel contra ac juxta rationem fecisse. Juxta quidem, quia innititur doctrinæ rationabili de tutiori parte. Contra verò, quia contra aliam universalem doctrinam, etiam rationi consonam, damnat reum in dubio. Rursus tenemini asserere, doctrinam de tutiori parte ne quidem esse de consilio, tum quia contrariatur alteri doctrinæ universali, quàm præfertis; tum quia forum exterius, ex quo ad interius arguitis, nec de consilio tenetur condemnare reum in dubio. Imò si arguendum sit à foro externo ad internum, quod mitius est externo, sequeretur, homines peccare tutiorem partem eligendo, quia judices peccarent damnando reum in dubio. Ergo ista jura conciliare nescitis: sed habetis illa pro inconcordabilibus. Ita ille.

Regulæ de favendo reo in dubio & de sectandā parte tutiore in dubio conciliātur.

Respondeo, mirum mihi videri, talia à viro prædocto combinari, ac objici potuisse. Inprimis ergo perspicuum est, nos optimè conciliare illa jura, nam reo à Judice favendum est semper, quamdiu crimen non probatur; & hoc non consilium sed præceptum est, quamdiu dubium est, an sit reus ejus noxæ aut notæ, de qua quæritur. Jam verò quod plerumque sit solùm consilium sequi partem tutiorem in dubio, aut quòd pars tutior sit etiam tenenda de præcepto tam in dubio practico, quàm in omni dubio necessariò connexo cum dubio practico, nulla ratione contrariatur præcepto de favendo reo; nam qui practicè dubius est, eo ipso reus est sectandi partem tutiorem, cùm de honestate partis minùs tutæ nullum conscientiæ dictamen formare possit, ut patet.

Pontifex declaravit illos irregulares, quia habebat illos ut absolutè reos.

73. Cur ergo Pontifex eos non absolvit in illo dubio? Respondeo inprimis, ideo eos non absolvit, quia etsi dubium esset de facto an essent homicidæ, non tamen dubium erat de lege, & an essent indirectè saltem irregulares, quia existimabat eos à divinis arceri per eam legem, quæ simpliciter prohibet homicidam altari ministrare, ea prorsùs ratione, qua omnes ab actione, de qua dubitatur an sit illatura homicidium, arcemur per eam legem, quæ homicidium vetat. Ergo Pontifex habuit eos ut irregulares, & absolutè reos. Idemque jam etiam dicendum esset de quibusvis aliis dubiis facti, cui irregularitas imponitur, nisi per posteriorem legem satis indicatum esset, neminem habendum irregularem, nisi ob casum clarè expressum in jure.

Pontifices censuerunt, legem latā ad casus illos dubios extēdi, ideoque eam dixerè ad illos extenderūt.

74. Respondeo 2. Dato, non concesso, quòd non constaret, legem illam certam fuisse extensam ad homicidam dubium ab altari arcendum, dicendum tamen est, Pontifices illos sensisse legem illam ad tales casus dubios extendi, atque ideò suis illis decretis extendisse legem statuentem homicidas esse irregulares, ad certò comprehendendos homicidas etiam dubios, ut sic in posterum omnis circa hoc difficultas cessaret. Et sanè, universaliter periculosum erat talibus hominibus altari ministrare; eò quòd frequentissimè dubium practicum occurrisset, an tenerentur ab ordinis ministerio abstinere: ex alia verò parte multa eos stimulassent ad ministrandum in ordine. Ergo versati fuissent in periculo peccati. Huic malo

malo ut præcaverent Pontifices, declârarunt eos esse irregulares, eò quòd universaliter loquendo tutius illis esset se pro talibus gerere, quàm semper exponi periculo contraveniendi legi certæ, quæ non poterat non valdè probabiliter æquè obligare in homicidio dubio, ac in certo. Et quidem credibile est, Pontifices æstimasse non extensionem illius legis ad homicidas dubios non fuisse probabilem, sicut videtur non fuisse; ideoque rectè concluisse, oppositum fuisse temerarium, eaque declaratione legem illam practicè extendisse ad homicidas dubios certò complectendos. Hæc de sensu & concordia harum constitutionum, quæ mihi videntur non tam fuisse leges propriè novæ, quàm novæ & certæ extensiones legis antiquæ; quamvis tales extensiones de novo factæ non incongruè dici possint leges novæ. Sicut enim verè sunt leges, & de novo conditæ, ita indubiè sunt aliquo modo leges novæ, quamvis agant de re, circa quam leges priores stabilitæ erant; de quibus tamen non usque adeo certò constabat, eas ad casus illos dubios fuisse extensas. Itaque Celladeus immeritò carpit eos, qui decreta ista leges novas appellant.

Sola [illegible]tas [illegible] causa [illegible]ciens condēdi novas istas leges.

75. Respondeo 3. Quamvis ante has declarationes nulla in puro dubio fuisset obligatio gerendi se pro irregulari, nihilominus ex sola æquitate regulæ illius, *quòd in dubiis tutiora sint tenenda*, meritò potuisset Pontifex novam illam legem condere. Hoc enim in omnibus fermè legibus humanis cernitur, cùm pleræque non ex necessitate, sed solùm ex congruitate statuantur. Dixi *in puro dubio*, utpote in quo nulla fuisset probabilitas homicidii; ideoque in puro illo dubio solùm consilium fuisset partem tutiorem sequi, & legi contra homicidas latæ obtemperare. Ratio est, quia Pontifex ob solam æquitatem rationabiliter poterat dictas leges statuere, obligando ad æquitatem illam. Et talis videtur lex contenta in *cap. ad Audientiam*, quod procedit de dubio causali, & in quo nulla est mentio de temeritate contrahenda ab eo, qui, non obstante dubio, celebrasset. At in reliquis duobus capitibus homicidium casuale non erat, sed percussio & vulneratio fuerat voluntaria, omnibusque inspectis, ita probabile erat homines illos fuisse homicidas, ut oppositum non fuerit probabile. De his autem non videtur dubium, quin Pontifices censuerint illos, quoad abstinendum ab exercitio Ordinum, lege homicidarum teneri; atque ideo mentionem fecerunt temeritatis in celebrando, quia tales, etiam ante has declarationes, utique temerè celebrassent. Itaque pro his constitutionibus existimo, non solùm æquitatem abstinendi, sed etiam notam temeritatem exercendi Ordines, induxisse illos ad præfatas sanctiones evulgandas. Sed & Sanchez ipse sat clarè hoc expressit, ostendens quod sicut magna est diversitas inter casus *illorum cap.* ita pariter longè aliter Pontifices loquuntur de posterioribus, ac de primo. Pontifex ergo potuit legem *prioris cap.* ex mera æquitate dictare, & duas posteriores ex prævia quadam necessitate statuere, cùm duæ ultimæ sicut supponunt jus antiquum ad illos casus extendi, ita expressè declarant, quod homines in casu talis dubii eidem pœnæ subjaceant quoad sacrorum Ordinum administrationem, cui homicidæ certi subjacent. Ex his constat, Pontificem ita in duobus posterioribus capitulis habuisse Presbyteros illos reos, ut in primo capitulo non certò videatur Presbiterum reum supponere; fortassis ergo legem novam condidit, qua illum tali pœnæ ex quadam æquitate subjecit. Neque hinc sequitur, Pontificem in eadem declaratione & juxta & contra rationem fecisse. Nam in priori casu ita egit ex æquitate, ut non damnarit reum ob dubium legis prioris, sed novam condiderit, per quam illum eidem pœnæ subjecit. At in duobus reliquis damnavit eos ut reos, quia etsi homicidium non esset certum, irregularitas tamen videbatur certa, quia valdè probabile erat, Presbiteros illos homicidum commisisse, & quia erant culpabiles ob actiones Clerico valdè indignas. Certum autem videbatur, legem, vetantem homicidas voluntarios in sacris ministrare, extendi ad eos, qui talia sponte agerent, quæ non solùm apta erant ad mortem causandam, sed insuper maximam probabilitatem inducerent, quod vulnus lethale inflixissent. Ubi ergo, quæso, est illa Pontificum actio, quæ simul & semel sit juxta & contra rationem? Nullibi, nisi in apprehensione Celladei, qui simul & semel complectens plures casus inter se dissimiles, eosque confundens, tribuit omnibus, quæ non omnibus sed aliquibus tantùm conveniunt. Aliqua enim ex uno, alia ex altero principio sum stabilita, non autem singula ex utroque, ut immeritò, & sine ulla probatione supponit.

76. Præterea Celladeus in hac ipsa re ingentem æquivocationem passus est, quia supponit, Pontifices declarâsse, Presbiteros illos reos ejus rei, de qua dubium erat, an essent rei. Sed non est ita: non quærebatur, an illi essent declarandi absolutè homicidæ, quia supponitur id aut dubium, aut saltem incertum fuisse. Quare dico, si Pontifex eos absolutè reos homicidii damnâsset, egisset utique contra omnia jura, quæ clamant, reum in dubio esse absolvendum; sed quærebatur, an, stante illo dubio, essent irregulares, nec nè? Jam peto à Celladeo, an irregularitas eorum esset dubia apud Pontifices, an certa, vel saltem probabiliter existimata? Si dubia, utique Pontifices egissent contra jura omnia, si ex vi jurium antiquorum eos declarâssent irregulares. Ergo non aliter dici possent rationabiliter egisse, quàm condendo novas leges, per quas eos irregulares constituebant. Quòd si irregularitas eorum habita est certa, dicat velim Celladeus, quomodò Pontifices pro motivo attulerint, *quòd in dubio tutior pars sit tenenda*, cùm hîc nullum prorsùs fuisset dubium de re quæsita? Si verò irregularitas eorum erat solùm probabiliter credita, peto inprimis, quomodò regula de dubiis locum habeat, cùm per decisionem probabilem dubitatio tollatur? Peto secundò, an illa probabilitas sufficeret necne ad condemnandum reum? Si non sufficiebat, Pontifices egerunt contra rationem & jura, si ex jure antiquo sententiam tulerunt; nec aliter ab hoc excusari possunt, quàm si dicantur leges novas condidisse. Si sufficiebat, tunc quidem ex vi legis antiquæ poterant decisionem formare, & ea occasione arrepta per legem novam declarare, omnes ejusmodi homicidas dubios esse irregulares, ut ita omnis in posterum dubitatio tollatur, quæ non potest non sæpe incurri, quando res opinioni subjacet. Itaque congruum fuit, & quodammodo pro uniformitate publica necessarium, ut istæ decisiones ita extenderent antiquas leges, ut quoad illam indubitatam ac fixam extensionem essent & haberentur leges novæ. Hæc qui considerat, videbit, nî fallor, Celladeum suam magis quàm nostram de harum legum & regularum concordia & usu

Magnus Cl. [illegible] vocatio- [illegible] Pontifices in dubio [illegible] regularita- [illegible] tis eo dan- [illegible] sufficer, de- [illegible] fendi non [illegible] possent si [illegible] dicantur [illegible] novas ergo [illegible] condidis-

nescien-

neſcientiam prodere, & ſine novarum legum admiſſione (quod tamen audire non vult) non poſſe illas inter ſe conciliare.

Noſtra harum legum & regularũ concordia.

77. At nos omnia facilè conciliamus; dicimus enim, Pontifices non proceſſiſſe in caſu irregularitatis propriè dubiæ, ſed ſolùm in caſu homicidii dubii, quo dubio ſtante, ipſi probabiliter ſaltem judicabant eos eſſe reos irregularitatis, & obligatos ad abſtinendum ab exercitio Ordinum ex vi legis, arcentis homicidas à ſuſcipiendis & exercendis Ordinibus. Jam, ſtante hac probabilitate, quamvis non eſſet certum, eos peccaturos fuiſſe contra legem exercendo Ordines, id tamen erat valde periculoſum: unde temerarium erat ſic celebrare, cùm ita probabile eſſet, talem celebrationem eſſe illicitam, ut oppoſitum non eſſet probabile. Quare etſi inhoneſtas talis operis non eſſet propriè dubia, quia tamen planè certa non erat, aliquo modo dubia cenſebatur. De hoc dubio, & de hac temeritate loquitur Pontifex, & in illo fatemur dari obligationem ſectandi partem tutiorem. Et quidem *duo poſtrema capitula* de hoc dubio procedunt, quæ proinde ex una parte declarant, & quodammodo extendunt antiquum jus; ex altera verò, quatenus extenſionem illam certam reddunt & indubitatam, & ſunt & dici debent leges novæ. Quod ſi quis contendat, ipſam irregularitatem fuiſſe dubiam in caſu *cap. ad audientiam*, tunc dicendum eſt, Pontificem novum penitus jus ſtatuiſſe, & non condemnaſſe homines, quos jam reos habebat; ſed eos reos ſua conſtitutione feciſſe. Hactenus dicta eò tendunt, ut oſtendam, magnam inter caſus horum Capitum eſſe diverſitatem, quam Sanchez benè examinat; ex ea autem diverſitate culpandus non eſſet, qui diceret, nullam in primo caſu fuiſſe obligationem ſectandi partem tutiorem, antequam Pontifex legem illam penitus novam ederet; qui proinde in illa edenda, non ex neceſſitate, ſed ex mera congruentia proceſſit.

Illatio Celladei peccat contra Logicam.

78. Sed quid? Fatendúmne nobis eſt partem tutiorem ne quidem ex conſilio ſectandam eſſe? Nullo modò: non enim repugnant illa jura, neque de eodem caſu pro eiſdem circumſtantiis loquuntur, ut oſtenſum eſt. At dices: in foro externo, à quo arguimus, non licèt ne quidem de conſilio damnare reum. Ergo ſequi partem tutiorem in dubio non eſt ne quidem de conſilio. Negatur conſequentia, quæ ſimilis eſt iſti: non licet judici ne quidem de conſilio cogere me ad dandum eleëmoſynam, quando poſt omnia inſpecta dubium eſt, an obliger: Ergo non eſt conſilium mihi dare eleëmoſynam in tali dubio. Duo evidenter refellunt talem illationem. Primum eſt, quòd in ipſo antecedenti complicentur termini ſibi prorsùs contrarii, & *conſilium* adjungitur *neceſſitati*, ſicut ſi diceres, *non licet de conſilio peccare.* Certè judex tenetur non damnare reum in dubio. Ergo dicere, non licet de conſilio illum damnare in dubio, eſt dicere, non licet de conſilio peccare; quæ eſt locutio tam impropria propter unionem terminorum, quorum alter non poteſt ſupponere pro ſuo ſignificato in illa conjunctione, ut indigna ſit quæ proferatur ad firmandum argumentum, cùm ſenſum non faciat ob terminum neceſſariò non ſupponentem. Quid ergo ex tali antecedenti inferri poteſt? Secundum eſt, quòd pars tutior reſpectu judicis non eſt cogere reum ad id, quod reo eſt tutius, ſed è contrario, pars tutior reſpectu judicis eſt reum non cogere ad tutius. An ergo ex eo, quòd non ſit conſilium judici ſequi partem ſibi minùs tutam, inferri poteſt, quòd non ſit conſilium reo ſequi partem ſibi tutiorem? nullo modo. Improportionata ſunt iſta, & prorsùs diſparata; ut ex uno alterum ulla ratione inferri poſſit.

Stupenda Celladei Logica, & Theologia.

79. At ſaltem ſequitur, inquit Celladeus, quòd ſit peccatum eligere partem tutiorem; ſi enim valet arguere à foro externo ad internum, rectè ſic infertur, *peccat judex damnando reum in dubio. Ergo peccant homines eligendo partem tutiorem in dubio.* Reſpondeo, me Logicam ac Theologiam huic ſimilem apud neminem cordatum hactenus legiſſe; nam ſi argumentum reſolvatur, hunc ſenſum habet. Peccat judex ſectando partem minùs tutam, imò certò malam. Ergo peccamus nos ſectando partem nobis tutiorem. Quæ autem iſthæc eſt Logica? Quæ Theologia? At, inquies, per nos valet argumentum à foro externo ad internum. Valet utique, ſi termini retinent congruam ac debitam proportionem: & velis nolis Celladee, valet argumentum Sanchez à foro externo ad internum, cui hactenus non reſpondiſti, nec debitè reſpondebis, quia planè intentum convincit. Sic arguit Sanchez. Si judex fori externi, totâ causâ auditâ, & omnibus, quæ ego habeo in conſcientia, etiam exteriùs probatis, non poteſt me condemnare reum irregularitatis: neque ego teneor me in foro interno illius pœnæ reum damnare, ſed poſſum licitè me abſolvere in illo foro, ſicut judex poteſt in foro externo. Hoc argumentum validum eſt, quia utrùmque forum convenit in judicio, quando externum non nititur præſumptionibus diverſis ab iis, quibus nititur internum. Huic argumento reſpondendum erat, Celladee, in quo nulla terminorum ſibi contradicentium commixtio, nulla à ſenſu diſparato argumentatio invenitur, ſed omnia ex æquo, & ſimillima vocum ſignificatione ac ſenſu ritè inferuntur. Huic argumento tu non reſpondiſti, nec aliud repoſuiſti, quàm incongruas iſtas ac evidenter nullas conſequentias. Cæterùm eſt & alius etiam error in hoc tuo ultimo argumento, ſcilicet quòd circumſtantiæ antecedentis prorsùs variæ ſint à circumſtantiis conſequentis. Ideo enim judex peccat damnando reum in dubio, quia privat reum ſuo jure, reo invito, cùm judex non ſit dominus juris ſpectantis ad reum. Hæ ſunt circumſtantiæ antecedentis. At in conſequente ſolus reus conſideratur, qui dominus eſt rerum ac jurium ſuorum; qui proinde poteſt de illis pro ſuo arbitratu abſque ullius injuria diſponere. Ergo quamvis judex peccet reum damnando in dubio, quia ſine domini conſenſu præjudicat juri alieno, non inde ſequitur, reum ipſum non poſſe ſequi partem ſibi tutiorem, & ſuo juri ſectando partem minùs tutam renunciare. Præterea tota arguendi ratio eſt prorsùs diſſona. Antecedens procedit de eo, quòd debet fieri ob jus contrarium & repugnans. Conſequens tranſit ad objectum ſoli operanti ſubjectum, & in pura ejus libertate abſque ulla reſtrictione poſitum, ut patet. Cæterùm argumentum hoc ab apparentia veritatis minùs deviaſſet, ſi intuliſſet, quod ſicut judex non poteſt in dubio reum damnare ad tutius, ſic reus ipſe non poteſt ſeipſum ſine peccato ad illud damnare; ſed nec ſic valuiſſet, quia reus poteſt, ſi velit, ſeipſum ſuo jure privare, quo nemo alius eum privare poteſt, ipſo nolente.

Argumentũ Sanchez clarũ eſt & efficax, cui Celladeus nõ ſatisfeciſt.

Judex cur peccat damnando reũ in dubio?

Quivis poteſt ſe ipſũ ad tutius dãnare.

80. Ecce argumentum hoc nos non tangit, ſed tamen validè urget Celladeum; quia ille alios omnes, etiam nolentes & reclamantes, in dubio damnat

Argumento ſuo Celladeus premitur.

damnat ad tutius. Quod quo jure fecerit, ipse viderit. Hoc dico: si Judex externus in aliquo dubio non possit reum damnare, etiam quando nulla nititur falsa præsumptione, sed omnia ipsi patent quæ sunt in conscientia ipsius rei; si, inquam judex externus in tali circumstantia non possit licitè damnare reum ad partem tutiorem, ut sæpè non potest: ergo neque potest Celladeus licitè damnare omnes ad partem tutiorem in omni prorsùs dubio; quia per hoc plus præjudicat juri alieno, si ipsius sententia locum habeat, quàm ullus judex externus per unam aliquam sententiam in universali propositione Celladei contentam. Præterea Celladeus, non minùs quàm judex externus, per hoc facit contra omnia jura, quæ clamant reum in dubio non esse condemnandum. Consideret hæc, & videbit, has consequentias non ex indebita & inintelligibili terminorum combinatione, non ex incongrua & aliena antecedentis ad consequens translatione, sed ex propria verborum significatione, & valida rerum connexione rectè inferri; videbit etiam illud, quod objecit, non in nos, sed in se quadrare, scilicet quòd suam prodat nescientiam de harum regularum concordia, quodque illas pro incordabilibus reipsa habeat.

Quarta replica Celladei.

81. Opponit 4. Esto casus in his textibus contenti sint de dubio facti. At doctrina eligendæ partis tutæ in dubio est universalis, & æquè procedit de omni dubio; & quidem traditur sub terminis regulariter significantibus obligationem gravem, scilicet per terminos, *cùm in dubiis debeamus eligere partem tutiorem*, item, *in hoc dubio tanquam homicida haberi debet, cùm in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare, pro eò quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* Hæ duæ expressiones supponunt obligationem gravem. Et quidem de secunda non est dubium, *quia temerè celebrare*, & *magnum incurrere periculum*, peccatum grave est. Sed & prima expressio, tradita per verbum *debet*, continet obligationem gravem, quoties exceptio non constat, ut sumitur ex Clement. *Attendentes, de statu Monachorum.* At hîc exceptio non constat. Ergo obligatio est gravis, eaque gravis erat etiam ante dictas constitutiones, utpote quæ præsupponunt has obligationes præcessisse, & ex illis ortum habuerunt. Ergo absque fundamento dicuntur Pontifices in his textibus novas leges condidisse; quomodò enim nova lex dicenda est illa, quæ supponit obligationem, quam asserit fuisse se anteriorem? Præterea nullum in istis constitutionibus est vestigium novæ legis, immò absurdum fuisset novam legem condere contra eos, qui omni indulgentia videbantur digni; nam unus eorum pro defensione ornamentorum Ecclesiæ contra raptorem eorundem, alter contra inimicos Crucis Christi castrum invadentes pugnaverat. Indecens autem videtur novam legem contra tales inducere.

An Pontifices supposuerint gravem obligationem præcessisse constitutiones contra homicidam dubium?

Respondeo inprimis, obligationem sectandi partem tutiorem in omni omnino dubio esse prorsùs fictitiam, ut constat ex dictis; nec huic asserto quidquam obstaret, si concederemus, gravem obligationem in omnibus hisce casibus tutiora sectandi istas constitutiones præcessisse. Non enim inde extendi posset aut doctrina aut ratio ad casus dubios de lege ipsa, &c. cùm dispar sit ratio. Narrant quidem Pontifices dubium peculiare, illoque præsupposito dixerunt, *in dubio*, & alicubi, *in hoc dubio tutiorem partem eligendam.* At qui sic loquitur, censetur doctrinam & locutionem suam ad dubia similia restringere, non autem eam ad dissimilia extendere, ut patet. Ergo quamvis admitteremus, gravem fuisse obligationem sectandi partem tutiorem in omnibus istis casibus aliisque similibus, non inde inferri posset, talem obligationem ad omnem prorsùs dubitationem extendi.

82. Respondeo 2. me prorsùs admittere, quòd ex tribus illis textibus duo ultimi præsupposuerint gravem obligationem sectandi partem tutiorem in casu, quem referunt, ideoque textus illos non esse tam propriè leges novas, quàm si processissent de rebus, de quibus aliæ leges priores nullam mentionem fecissent. Hoc sufficienter probatur ex eo, quòd Pontifex supponat tales homines remerè fuisse celebraturos. Nihilominus cùm ista irregularitas non esset certa, alioquin nullus ad Papam pro hac re recursus fuisset, istæ constitutiones quoad certitudinem hujus extensionis verissimè sunt novæ leges, ac legum novarum speciem gerunt. Cæterùm ratio, qua Celladeus hoc confirmat, non placet, ait enim, viros illos fuisse omni indulgentia dignos, ideoque non debuisse nova lege declarari irregulares. At hoc aut verum non est, aut ad rem non facit. Certè non erant magis indulgentia digni jam, quàm cùm lex antiqua inducens irregularitatem etiam pro illis ipsis casibus (quam legem vult Celladeus præcessisse) lata est. At tunc non erant digni omni indulgentia, sed potius digni habiti sunt, qui pari pœna irregularitatis involverentur cum aliis quibuscumque homicidis. Ergo etiam nunc eadem pœna digni fuissent, etsi nulla lex antiqua eos irregularitatis damnasset. Præterea tanti est Sacerdotes habere manus à Sanguinis effusione immunes, ut, ob talem effusionem voluntariam, peccaminosam, & non necessariam, omnes meritò citra ullam indulgentiam irregulares declarentur. Ergo isti, de quibus loquimur, ob eam ipsam causam digni erant, qui citra indulgentiam irregulares declararentur, maximè cùm jam, Sacerdotes facti, contra dignitatem suam & ordinem voluntariè & graviter percussissent alios. Ergo quamvis ambigua lex eos non constituisset irregulares, meritò potuissent tales declarari per has posteriores constitutiones. Falsum ergo est, eos omni indulgentia dignos fuisse. Cæterùm, si admitterentur fuisse digni omni indulgentia, hoc nihil faceret ad rem præsentem; quia sicut, non obstante dignitate sua ad obtinendam indulgentiam, decreti fuerant irregulares per antiquam legem, sic pariter poterant jam declarari per novam. Porro contra hoc nil inferri potest ex prætenso merito indulgentiæ, quod proinde abs re allatum est.

Cognitio in dubio. Quòd non erant digni indulgentia. Fallitur. Invitè à Scoto.

83. Cæterùm, si loquamur de casu primi textûs, seu *capitis ad audientiam*, non adeo fidenter dico, Pontificem supposuisse hominem illum ex casuali illo homicidio fuisse irregularem vi legis antiquæ (quamvis non sum, qui de hac re velim multùm contendere, cùm nil referat ad præsentem quæstionem, sive fuerit sive non fuerit comprehensus antiqua lege) Ex dictis enim satis constat, rem hanc esse dubiam, & non inverisimile esse, quòd non erat sufficienter institutus irregularis per talem legem. Itaque non constat, constitutionem illam non esse legem propriissimè novam. Neque enim constat, Pontificem supposuisse gravem obligationem sectandi partem tutiorem præcessisse, nec Celladeus id probat; nam quamvis verbum *debeat*, aliquando significet obligationem gravem, tamen sæpè solùm indicat

Capitis ad audientiam dubium est an obligationis. Nec declarat quod. Cedit.

decentiam

decentiam & æquitatem, ut omnes fatentur. Jam autem quæstio erit, utrùm in hoc casu necessitatem potiùs quàm æquitatem indicet. Difficile autem erit alterutram partem solidè stabilire, Cæterùm ex adjectis non apparet, cur necessitatem indicet, ideoque cùm gravamina in dubio in meliorem partem sint interpretanda, videtur potiùs dicendum, verbum illud non supponere gravem obligationem præcessisse. Certè quomodo hæc obligatio probetur *ex Clementina*, quam Celladeus citat, nemo dixerit. Si quis legat illud caput, mirabitur unde ex illo sumi possit argumentum ad hoc probandum. Statuitur ibi quidem, quòd Monialium Monasteria *debeant* quotannis visitari, ut graves abusus, qui irrepserant, tollerentur. Jam materia, de qua agebatur, necessitas reformationis, & vigilantia Pontificis cum Concilio Generali incumbentis ad tales abusus tollendos, arguunt Pontificem cum Concilio voluisse obligare Visitatores ad annuam visitationem, cùm ideo hoc statuerint, ut in praxim reduceretur, sine qua mala illa evelli non poterant. Jam verò esto, verbum *debeat* in talibus circumstantiis indicet obligationem gravem, annè ideo talem indicat in casu nostro, ubi nullæ ejusmodi circumstantiæ concurrunt? nullo modo. Ergo intentum Celladei ex hoc capite non probatur. Sed, ut dixi, parum refert ad quæstionem præsentem, an obligatio stricta præcesserit, nec ne. Si antiqua lex statuens homicidas esse irregulares, certò, aut summè probabiliter comprehendebat homicidas casuales, quando præter omnem expectationem mors contingebat ex actione per se licita, sed ex quodam excessu illicita, tunc dicendum est, obligationem gravem præcessisse hanc constitutionem: secus autem, si lex antiqua nec certò, nec summè probabiliter comprehenderet tales, dicendum est constitutionem illam esse legem novam, & non præsupposuisse, sed ex æquitate quadam talem obligationem induxisse.

Verbum *debet* quando significet obligationem?

Textus à Celladeo citatus nõ probat ejus intentum.

84. Opponit 5. Quod dicitur in dubio facti esse causam certam, scilicet jus, non autem in dubio juris, nil probat, & nimium probat. Inprimis nil probat, quia solvendum est ab omnibus in conscientia practicè dubia de jure. Deinde nimis probat, quia sublatâ causâ non maneret obligatio ne quidem consilii. Itaque dicendum est, jus dubium se solo esse causam certam peccati. Præterea adest præceptum certum universale de parte tutiore. Ita Celladeus §. 5. qui addit, forum internum esse quidem mitius quoad pœnas, sed simul exactius foro externo; & hac ratione putat se satisfeciisse argumentis Thomæ Sanchez supra relatis; parvi enim facit ultimum illius argumentum fundatum in eo, quòd jus dubium non sit satis promulgatum & applicatum, tum quia hoc antea exploserat, tum quia ratio ista eliditur in conscientia practicè dubia.

Quinta Celladei replica.

Respondeo, rationem illam à Sanchez allatam esse prorsùs efficacem & ineluctabilem; quæ certè nullo modo infringitur istis responsis. Inprimis, qui sectatur partem minùs tutam, stante conscientia practicè dubia de jure, peccat quidem, sed non peccat ex vi juris dubii violati, sed solùm ex violatione legis reflexæ vetantis omne opus, quod non sit ex testimonio conscientiæ, existimantis illud esse licitum, ut supra probatum est, & omnes communiter supponunt ex illo dicto Apostoli, *Quod non est ex fide peccatum est.* Sed hoc nil facit ad quæstionem præsentem, quæ in eo solùm vertitur, utrùm necessariò peccet in dubio legis, etiam quando non dubitat de honestate operis, sed ex rationabilibus principiis formet conscientiam de honestate operationis, non obstante illo dubio, idque nominatim ex eo, quòd credat legem dubiam non esse sufficienter promulgatam & applicatam. Debebat Celladeus probare conscientiam non posse sic formari, stante dubio juris, sed illam in tali casu necessariò practicè dubitare, tunc enim rectè argumentatus fuisset. Sed hoc probari nequit. Cæterùm qui habet conscientiam practicè dubiam de lege, non solùm dubitat de lege, sed insuper ita dubitat de honestate operationis hîc & nunc ponendæ, ut non possit habere bonam fidem seu conscientiam rectè facti, si partem minùs tutam eligat. Ergo majori obligationi subjacet, quàm ob merum dubium legis. Immo non ex dubio legis, sed præci è ex illo alio titulo obligatur ad tutius. Absurdum proinde est ex obligatione ob istum titulum inferre obligationem in alio casu penitus dissimili, qualis certè est casus dubii speculativi, de quo nos loquimur. Hæc eadem responsio penitus enervat ultimum quod dicit Celladeus, nempe rationem legis non promulgatæ elidi in conscientia practicè dubia, quia non ideo peccat tunc, quia transgreditur legem illam dubiam, sed quia violat aliam certam, ut dictum est scilicet, quia ipsemet omnibus inspectis dubitat an bene operetur. Itaque replicæ istæ nullius prorsùs sunt roboris, cùm verè non tangant difficultatem præsentem.

Replica Celladei est insufficiens.

85. Nec minùs fallitur Celladeus in altero, quòd, sublata causa obligante ad tutius, tolleretur etiam obligatio ex consilio. Sit casus iste. Dubito an lex aliqua obliget me ad dandam eleëmosynam. Deinde post diligentem inquisitionem invenio legem illam esse dubiam, & sic video causam obligantem ad tutius auferri, meque ex vi illius non obligari. An ideo ratio consilii aufertur ab eleëmosyna? Nequaquam. Quamdiu aliquid manet in sua natura actus virtutis, & est melius quàm oppositum, non potest non pertinere ad consilium. At cessatio legis obligantis ad tutius non aufert hoc à parte tutiore. Ergo non facit illud non spectare ad consilium, aut etiam *ad obligationem consilii*; sic enim loquitur Celladeus, sed impropriè, quia voces illæ *obligatio consilii* valde impropriè connectuntur, cùm perinde significent, ac si diceres, *obligatio, ubi non est obligatio*; sed ille nomine *obligationis ex consilio* non intelligit veram obligationem, sed majorem honestatem & laudabilitatem. Itaque ex remotione causæ obligantis ad tutius, non aufertur ratio consilii à parte tutiori.

Quod tollit obligationẽ legis, non tollit obligationem consilii.

86. Cæterùm quia quod melius est in se quàm oppositum, aliquando prohibetur in hisce circumstantiis (sic sumptio Eucharistiæ prohibetur non jejuno) ideo fieri etiam poterit aliquando, ut causa prohibitionis sufficienter ablata à parte minùs tuta, auferatur etiam ratio consilii à sequenda parte tutiore, quia prohibitione sufficienter ablata, melius est facere illud opus, etsi minùs tutum, quàm illud omittere. Ergo consilium erit illud facere, quamvis pars oppositа sit tutior, eò quòd nulli legi vel leviter apparenti repugnet. Fieri ergo poterit in aliquo casu, ut, causâ illâ ablatâ, pars tutior non sit amplius de consilio, quod certè non repugnat nostræ doctrinæ, cùm nullibi dixerimus semper, & in omni eventu partem tutiorem ex consilio esse tenendam. Plerumque quidem verum est, partem tutiorem spectare ad consilium, quia plerumque pars tutior est etiam melior, honestior, & congruentior.

Pars tutior non semper tenenda est ex consilio.

gruentior. Atque hinc factum est, ut communiter dicatur, partem tutiorem vel ex præcepto, vel ex consilio sectandam esse. Sed propositio illa indefinitè sumenda est, sicut sumi solent propositiones, quæ ut plurimum veræ sunt, cùm non sint propriè universales, nec absque exceptione intelligi possint de omnibus. Jam verò do Celladeo, quod in materia præsenti ratio consilii separari possit à parte tutiori. Quid inde sequitur contra doctrinam allatam, quòd jus dubium non obliget?

Replica quædam.

87. Dices nil quidem sequitur contra eam doctrinam, sed sequitur, falsum esse quod antea dictum & suppositum est, nempe rationabile esse, quòd in dubio pars tutior teneatur, quodque hoc sit saltem de consilio; jam enim oppositum conceditur. Unde ulteriùs sequitur, falsum esse, quod Pontifices ex prætensa illa æquitate dictas leges tulerint.

Solvitur replica.

Respondeo, me nunquam dixisse quòd semper & in omni casu consultius sit sequi partem tutiorem, sed solùm quod ex genere suo & ut plurimùm hoc sit melius, & ut tale consulendum. Quando autem dixi, Pontificem ex æquitate hujus effati dictasse *caput, ad audientiam*, & prohibuisse, ne Sacerdos ille in dubio homicidii casualis celebraret, hoc expresè dictum est ex suppositione, quòd lex constituens homicidam hujusmodi irregularem esset dubia, alioquin non essemus in casu præsenti de dubio juris, sed loqueremur de dubio facti contra jus certum. Posita ergo dicta suppositione, multa erant, quæ ex dicto principio per modum consilii movere poterant Pontificem ad legem illam condendam: quamvis enim, lege obligante sufficienter remotâ, non fuisset consultius in illo dubio Sacerdoti non celebrare, quàm celebrare, si res consideraretur in ordine ad ipsum solum celebrantem; tamen, omnibus inspectis, melius erat illum abstinere, quia tam pro intrinseca sacrificii dignitate ac sanctitate, quàm pro majori ejusdem apud fideles existimatione, reverentia, pietate, ac affectu, expedientius est, ut omnes tales homicidæ, etiam dubii, arceantur, quàm non arceantur à celebratione divinorum. Itaque Pontifex, qui ad universale Ecclesiæ bonum potissimè reflexit, ex æquitate & consilio dictæ regulæ rationabiliter statuere poterat hanc legem in casu dicti dubii, etsi dubium illud processisset de jure, quia, omnibus inspectis, melius erat talem hominem arceri ab altaris ministerio; ideoque pars tutior ex æquitate tenenda erat. Itaque hîc dicta non contrariantur iis, quæ superiùs tradita sunt.

88. Atqui, inquit Celladeus, jus dubium se solo est certa causa peccati. Præterea adest præceptum certum universale de parte tutiore.

Celladeus certum putat pro quo nullum est vestigium certitudinis.

Respondeo, tolerari fortè potuisse Celladeum, si dixisset, jus dubium esse causam probabilem peccati, dariqúe præceptum probabile universale de parte tutiore. At intolerandum prorsùs est, quod dicat, causas refusivas malitiæ in electionem partis minùs tutæ in omni dubio esse certas. Unde enim hæc certitudo habetur? Non ab Ecclesia, quæ hoc definivit. Non ex Sacris Litteris, cùm illæ hoc nullibi tradant. Non ex Sanctis Patribus, qui quæstionem istam in ista universalitate, ac sub distinctionibus, quibus utimur, non tractarunt. Non à consensu omnium Theologorum, dicentium hoc esse certum, & oppositum indubitanter falsum; nam è contrario certissimum est, pleroſque illorum expresè tradere, quòd sæpe licitum sit operari in dubio speculativo, & nominatim quod ubi lex est dubia, nulla sit obligatio illam sectandi, &c. Non à rationibus, quia nemo hactenus tales protulit, & illæ, quas Celladeus congessit, exigui prorsùs momenti sunt, ut vidimus, nec rem certam faciunt. Quod si Celladeus adeo suis illis rationibus affectus sit, ut illæ ipsi certæ videantur, miseret me hominis nimio ad sua affectu excœcati; qui præterea utcumque ita existimaret, non tam facilè debebat rem istam ut simpliciter certam pronunciare, quia alloquitur alios, quorum plurimos benè sciebat oppositum prorsùs sentire, nec verba hæc sua, nisi efficacissimis argumentis, quibus carent, confirmarentur, fidem apud illos inventura.

Præmissa quædam ostenduntur non esse probabilia.

89. Sed non admitto illi, quod causæ istæ vel probabiliter inferant obligationem universalem sectandi tutiora in omni dubio. Inprimis improbabile est, quod ipsum jus dubium se solo possit esse certa causa peccati, quia sæpe jus dubium non datur. Certum autem est, quod jus non existens non possit quemquam verè obligare. Et quia jus dubium, si fortè existat, non magis applicatur, quàm jus dubium non existens, ideo, sive existat sive non existat, se solo neminem obligare potest.

90. Quod ad præceptum universale sectandi partem tutiorem attinet, illud ab ipso Celladeo negatur extra casum dubii; sed loquendo pro casu dubii, illud nullibi expresè traditum est; imò tantum abest, ut tale jus notum sit, ut omnes fermè Theologi expresè dicant, nullum dari jus ejusmodi, & rationes allatæ prorsùs evincunt, sæpe licitum esse operari, dubio non obstante. Hæ rationes & auctoritates ita prævalent omnibus in contrarium allatis, ut meritò dubitari possit, an opinio universaliter obligans ad tutiora in omni dubio sit probabilis.

SOLVITUR II. OBJECTIO,

Et mens Vasquii explicatur.

91. OBJICITUR secundò. Vasquez *1. 2. disputat. 65. cap. 3.* hæc habet *Ego verò non solùm existimo absque controversia esse debere, quoties dubitatur, an sit lex aliqua, an non, & solùm agitur de periculo peccandi, eligendam esse partem tutiorem, in qua peccatum esse non potest, sed etiam quando dubitatur an votum fuerit emissum.* Et *sanè in priori casu nullum hactenus ex scriptoribus scholasticis inveni, qui oppositum asserat.* Hæc Vasquez, ad quem Celladeus §. 3. Lectorem remittit, ut apud illum videat, dubium juris æquiparari dubio facti, simulque legat rationes validissimas, quibus id Vasquez confirmat. Hæc autem ita proposita sunt, ac si omnes scholastici in hac doctrina cum Celladeo convenirent; hoc enim ex eo sequi videtur, quòd Vasquez dicat, neminem sibi notum fuisse, qui oppositum docuerit. At talis Theologorum consensio in re ejusmodi, quæ ad jus naturæ pertinet, facit rem certam. Ergo doctrina Celladei in præsenti quæstione videtur certa.

Vasquez expresse tenet, quod pars tutior sit sectanda in dubio.

Respondeo verba allata reperiri quidem apud Vasquium, cui tamen, si in materia dubii standum esset, Celladeus causâ caderet, quia Vasquez expresè tradit, in multis casibus licitum esse sequi partem minùs tutam in dubio. Immediatè enim post verba citata, signatè reflectens ad limitationem, quam ante proposuerat, hæc habet. *Dixi, quando in illo dubio solùm agitur de periculo peccandi,*

peccandi, nam si præterea adsint aliæ etiam circumstantiæ, ut in materia justitiæ, & in aliis, alia erit ratio, sicut inferiùs videbimus. Ergo Vasquez non tenet universaliter, quod in omni dubio pars tutior sit tenenda, cùm expresè asserat quòd in materia justitiæ, & in aliis, liceat sequi partem minùs tutam, non obstante dubio. Juvat autem casus ponere, in quibus Vasquez judicat partem tutiorem non esse necessariò tenendam in dubio. Primus casus est in materia justitiæ, quando possessor bonæ fidei, etiam post diligentiam adhibitam, dubitat an res, quam possidet, spectet ad alium, an ad se; potest enim eam retinere, illaque uti, eamque etiam alienare, modò habeat animum reddendi verum dominum indemnem, casu quo inventum fuerit, rem ad illum verè pertinuisse. Atque in hoc contrariatur iis, qui volunt rem illam esse dividendam, aut in certis casibus partim pauperibus distribuendam. Imo hoc ipsum tenet, etiam si rationes alteri faventes sint validiores, quamdiu non sunt tam efficaces ut assensum generent. Legatur *1. 2. disp. 66. cap. 7.* ubi fusè hæc tradit.

Primò id tenet in materia justitiæ.

92. Rursus in dubio an filius sit legitimus vel illegitimus, tradit filium censendum esse legitimum, etiamsi alii fratres patiantur aliquod detrimentum in sua legitima parte, quam possident. Et sic concludit. *Quare quod attinet ad jus hæreditatis, non obstante tali dubio facti, potest ille filius succedere, aut tanquam legitimus, si dubitetur utrùm sit legitimus, an illegitimus; aut tanquam naturalis, si dubitetur utrùm sit spurius, an naturalis.* Nihilominùs certum est, quòd talis hæres sectetur partem minùs tutam, quia tutius illi esset aut toti hæreditati renunciare, aut certè parte aliqua juxta rationem dubii contentum manere. Cæterùm valde notandum est, quod Vasquez doceat hoc verum esse, quamvis alii fratres legitimas suas partes jam possideant, illisque privari debeant, ut dubio hæredi hæreditas, aut pars legitima tribuatur. *Nec obstat*, inquit, *regula illa superiùs explicata, in dubiis & pari causa melior est conditio possidentis, eò quòd si in tali dubio judicandum esset filium legitimus aut naturalis, posset sequi damnum aliis filiis legitimis possidentibus jam suas legitimas portiones, dum cogerentur ex illis partem extrahere. Pro illo tamen, hac regula non obstante, est alia regula juris majoris quidem obligationis; nempe, cùm sunt obscura jura partium, favendum est potiùs reo, quàm actori. de reg. juris in 6.* Hactenus, ille, qui subdit, id verum esse non solùm in jure civili, sed etiam in naturali. His dictis, proponit tres regulas, illasque inter se comparat. Prima est: *In dubiis tutior pars est eligenda. Huic*, inquit, *in materia Iustitiæ derogat secunda. In pari causa melior est conditio possidentis. Huic autem præferenda est etiam in materia Iustitiæ tertia alia regula, cùm sunt obscura jura partium, favendum est potius reo, quàm actori.* Ecce Vasquez expresè sentit regulam illam, *in dubiis tutior pars est eligenda*, non esse universaliter veram, sed habere exceptionem & limitationem per alias regulas, aut rationes.

Secundò tenet idipsum in dubio, an filius sit illegitimus?

Illegitimus dubius an jus ad hæreditatem habeat?

93. Similia tradit *dicta disputat. 66. cap. 6.* de aliquibus impedimentis matrimonii. Nominatim autem vult id locum habere in impedimento frigiditatis, aut maleficii, citatque *caput, Laudabilem, de frigidis & maleficiatis*, atque id ipsum *ex illo cap.* efficaciter probat. Similiter *cap. 5.* alios ejusmodi casus ponderat, ubi docet, conjugem dubium de servili conditione uxoris, posse reddere debitum, etsi non consentiat de novo in matrimonium cum serva, sed relinquat illud ut prius, ne sibi præjudicet. Et tamen clarum est, quòd in hoc casu non sequitur partem tutiorem, cùm tutius esset de novo in matrimonium consentire, tunc enim & petere posset, & deberet reddere debitum, quia impedimentum illud ampliùs non obstaret. Ita ille: vult tamen Vasquez, quòd in plerisque aliis dubiis de valore matrimonii, pars dubitans non licitè exigat debitum, quod tamen conjugi bona fide petenti ex eo præcisè capite, per illum, reddere tenetur, quia in dubio tutior pars est eligenda. Existimat enim, partem tutiorem esse, non incurrere periculum violandi justitiam, si fortè negetur debitum vero conjugi illud petenti, quàm incurrere periculum fornicationis, si fortè reddatur non conjugi. Immò hoc vult esse verum, quamvis in reddendo plura sint pericula, nempe periculum non solùm fornicationis, sed etiam incestûs, si dubitetur de impedimento consanguinitatis vel affinitatis, immò & injustitiæ, si simul dubitetur de impedimento ob vitam prioris conjugis qui credebatur mortuus. Verùm difficile est probare ex hoc capite, quod majus malum sit in tali casu negare debitum marito, quàm illud reddere non marito, etiam fratri, etiam contra jus mariti vivi. Incredibile enim videtur, hæc tria non prævalere illi uni, maximè quando valde probabile est, quod singula ex impedimentis existant, & consequenter exigua aut nulla probabilitas est, quòd debitum negetur vero marito. Et tamen etiam in hoc casu debitum reddendum est petenti, quamvis pars tutior, ut ita dicam, sit non reddere, si solùm considerentur mala, quæ timentur ex periculo nullitatis aut valoris matrimonii.

Alii casus in quibus Vasquez docet partem tutiorem non esse tenendã ex obligatione in dubio.

94. Dicendum ergo est, quod obligatio reddendi debitum non proveniat ex illo principio, *in dubio tutior pars tenenda*, sed ex aliquo alio, nempe ex ipso statu civiliter contracto, atque ex pacifica possessione alterius partis exigentis rem, quam bona fide putat esse suam. Præterea si in hoc casu uxor teneretur ad partem tutiorem, obligaretur ad omnes occasiones quærendas, quibus licitè removeri posset à mariti consortio, impetrando ab ipso occasionem invisendi suos consanguineos, suadendo marito bellum aut aliam occupationem, qua à debito petendo arceretur, hoc enim illi esset tutius, ut patet. At non videtur uxor obligata ad ista, nec quisquam, quod sciam, has illi obligationes asseruit. Ergo uxor in omni dubio non tenetur ad tutiora.

Debitum conjugale cur sit reddendum in dubio?

95. Ex his attentè consideratis evidens est, Vasquium in præsenti quæstione, prout generaliter proponitur, nobiscum sentire; expresè enim tenet, regulam illam, *in dubiis tutior via tenenda est*, non esse universalem, sed admittere plures exceptiones, quibus limitatur. Itaque mens Vasquii est, quòd regula illa habeat locum etiam præcepti, quamdiu non adest aliundè aliqua regula, per quam conscientia de honestate actionis hîc & nunc ponendæ debitè formetur, non obstante illo dubio. Quod hæc sit mens Vasquii evidens est, tum ex toto ejus discursu in *citatis quæst. 65. & 66.* tum ex apertis ejus verbis. Nam *quæst. 66. cap. 4.* agens de licita redditione debiti conjugalis in dubio de valore matrimonii, hæc habet. *Inprimis certum est, Ecclesiæ definitionem* (alludit *ad caput, Inquisitioni, de sent.* v. & ad *cap. Dominus de secundis nuptiis*) *in hac rectè intellectam sufficere, ut permanente dubio, justem per extrinseca principia, si alia non suppetant, rectum conscientiæ judicium formari possit.* Et paulò

Vasquez certò tenet contra Celladeum, & nobiscũ in principali puncto sentit.

post. *Definitio Ecclesiæ talem fidem facit, ut contra dubium illud speculativum rectum conscientiæ judicium formari possit.* Porro ut ulteriùs constet, quòd loquatur in sensu composito dubii, in sequenti numero agens contra Navarrum, qui dixit, conjugem, ut licitè reddat debitum, debere dubium de valore matrimonii deponere, hæc habet. *Hæc ratio mihi non probatur: primò quia ut conjux, antea dubius, sana conscientia reddat debitum, non opus est credere validum esse matrimonium, & dubium de firmitate illius deponere, sed perseverante dubio de facto ipso rectum conscientiæ judicium habere potest, ut reddat debitum, sicut expresè definitur in capitibus allegatis. Neque enim ibi præcipitur, ut credat ad reddendum debitum, sed ut reddat, etiamsi dubitet.* Hactenus Vasquez, qui antea in prioribus quæstionibus docuerat, non solùm subditum posse obedire in dubio, quando superior jubet secundùm opinionem probabilem; sed etiam Confessarium debere non solùm in dubio, sed etiam contra propriam opinionem absolvere pœnitentem, qui sequitur opinionem probabilem minùs tutam; & quòd plus est, virum doctum operari posse contra propriam opinionem, sequendo partem minùs tutam minusque probabilem, & quidem in sensu composito suæ opinionis. Nam ut ait *disp. 62. cap. 4. num. 15. Hæc sententia ita intelligenda est, retenta adhuc propria opinione ut probabili, & assensu illius per intrinseca principia; ita tamen, ut per extrinseca principia existimans vir doctus contrariam opinionem esse probabilem, in universum consideratam, formet sibi judicium conscientiæ singulare, quo judicet licitum sibi esse sic operari.* At plus est agere contra propriam sententiam actu dictantem aliquid esse malum secundùm se consideratum, quàm operari in dubio. Ergo Vasquez indubiè tenet, hominem toties licitè operari, etiam stante dubio actuali, sectando partem minùs tutam, quoties, dubio illo speculativo & remoto non obstante, adsunt sufficientes rationes ad formandam cõscientiam quod opus hâc & nunc sit licitum, non obstante dubio, aut etiam opinione in oppositum. Asserit autem expresè, hoc sæpe contingere tam in dubiis quàm in opinionibus. At nos aliud non docemus in hac quæstione generaliter proposita. Ergo certum est, Vasquium nobiscum stare circa veritatem hujus quæstionis, prout hoc loco proponitur in universali.

Error de Pico Cels. Sotz in Vas. quo cap. 60.

96. Interim concludendum est, Celladeum dupliciter in hac citatione Vasquii errasse. Erravit primò, quia textum diminutum citavit, eo omisso, ex quo constat, Vasquium ipsi contradicere in quæstione, de qua agitur; illud autem omitti non debuit, maximè cùm immediatè sequatur verba, quæ ipse allegaverat. Erravit secundò, quia ita Vasquium citavit, ac si ex ejus verbis probare vellet, suam sententiam esse non solùm communem, sed fermè omnium Scholasticorum nominatorum, cùm tamen certum sit, illum neminem assignare posse, qui in universalitate suæ sententiæ, de qua universalitate solùm agitur in præsenti, cum ipso consentiat.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA-QUINTA.

Quomodo regulæ de tutiori, de reo, & de interpretando dubia in meliorem partem, inter se concordent?

Regulæ juris videntur sibi contrariæ.

1. CELLADEUS, suppositâ universali obligatione sectandi tutius in omni dubio, quam *lib. 4. quæst. 10.* tradiderat, pergit *quæstione 11.* illamque regulam: *In dubiis tutior via tenenda est:* comparat cum duabus aliis, nempe cum *regulâ illâ iuris in 6. cùm sunt jura partium obscura, favendum est potiùs reo, quàm actori.* Et cum illa, quam ex Evangelio, ut ait, & ratione ipsa accepimus, *dubia in meliorem partem sunt interpretanda.* Videntur autem istæ regulæ inter se pugnare, quia si favendum est reo in dubiis, ergo in dubiis reus est absolvendus. At in omni foro una partium semper est reus, & in foro conscientiæ homo semper est hæc pars, quam lex vult obligare ad aliquid. Regula autem est universalis; in omni quippe dubio favendum est reo: ergo per hoc solvitur omne dubium: ergo tutior via nunquam tenenda erit ex præcepto. Ergo istæ regulæ videntur sibi contrariæ.

Rursus juxta aliam regulam, *dubia in meliorem partem interpretanda sunt.* Hæc regula videtur prorsùs elidere regulam de tutiori parte sectanda in dubio, quia si semel sit rationabile interpretari dubia in meliorem partem, idem erit rationabile etiam in conscientia. Ergo in omni dubio facti (regula enim procedit de dubio facti non de dubio juris) debeo res meas in meliorem partem interpretari. Ergo nunquam debeo me habere pro reo in tali dubio. Ergo nunquam teneor ad tutiorem partem in dubio ejusmodi. His præmissis, Celladeus harum regularum concordiam ostendere conatur. Ego inprimis concordiam ab illo propositam examinabo, post cujus insufficientiam declaratam, veram & sufficientem concordiam Deo favente assignabo.

ASSER-

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit concordiam harum regularum à Celladeo traditam proponere, ejusq; insufficientiam declarare.

Regula favendi reo, utrum fundetur in regula sectandi tutiora in dubio?

2. REGULA illa de favendo reis in dubio, (inquit Celladeus §. 2.) non solùm non repugnat regulæ sectandi tutius in dubio, sed illi prorsùs subordinatur; ideo enim reo favendum est in dubio, quia hoc est tutius, & oppositum minùs tutum, seu magis periculosum. Inprimis judex tenetur ex justitia Reipublicæ, actori, & reo; debet enim jus suum unicuique servare. At in omni dubio est periculum negandi alterutris jus suum. Ergo tunc tenetur ad partem tutiorem. Sed favere reo est pars tutior. Ergo tenetur favere reo. Minorem sic probat. Imprimis, in civilibus pars tutior est reus, propter possessionem, præscriptionem, & alia, de quibus mox agendum erit in sequentibus; quia ista favent reo non actori. Ergo reus præferendus est, cùm utrerque in cæteris parem conditionem habeat. Ideo autem præferendus est, quia propter hunc excessum id tutius est.

Concordia regularum juris à Celladeo proposita.

Idipsum clariùs patet in criminalibus, multis de causis. Inprimis utrumque jus in eo convenit, quòd melius sit & sanctius nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare. Damnare innocentem est intrinsecè malum; ideoque nec à Deo, nec à Principe potest fieri. At reum liberare non est intrinsecè malum sed bonum; Deus enim, & supremi principes, Deum imitati, nocentes liberare solent. Itaque in dubio reus liberandus est, quia hoc tutius; quando enim utrinque est dubium hinc de re intrinsecè mala, inde de re non intrinsecè mala, & alterutrum eligendum est, expedit minus malum eligere, quia hoc tutius est.

Deinde hoc ita fieri & toti reipublicæ, & singulis ejus membris expedit; unusquisque enim casuum suorum futurorum inscius vellet hanc legem servari cum omnibus. Quod si nocens absolvatur malum est reparabile, tum quia veritas decursu temporis sciri potest, tum quia relinquitur tandem Deo judicandus, apud quem nullum est dubium, nulla ignorantia. At è contrà damnatio innocentis est malum, saltem de lege ordinaria, irreparabile.

Tertiò, sententia condemnatoria affirmat delictum, scilicet damnari reum propter hoc & hoc. Hæc affirmatio in re divina est mendax. At sententia liberatoria non affirmat reum esse innocentem, sed solùm esse liberandum, quia nil contra eum probatum est, quod est verissimum.

Quartò demum, reus per hoc ipsum patitur, quòd constituatur & sistatur reus. Per hoc ergo inæqualitas aliqua posita est inter actorem & reum. Ergo in dubio reus habet hanc inæqualitatem manifestam. Cùm ergo sit justitiæ æquare, debet illa reo potiùs adesse. Ex hisce constat tutius esse favere reo quàm actori, ideoque dicendum est, quod ideo reo favendum sit in dubiis, quia in dubio tutior pars tenenda est. Ita Celladeus *loco citato.*

Concordia Celladei insufficiens.

3. Verùm hæc regulas istas conciliandi ratio non satisfacit multis de causis. Inprimis supponit Celladeus, regulam sectandi tutiora in dubio nullam pati exceptionem, sed in omnibus certam obligationem habere. At ex dictis constat hoc esse falsum. Præterea ipso Celladeo fatente, extra casum dubii tutior pars non semper tenenda est; nam per illum licet sequi opinionem positivè probabilem, etiam minùs tutam. At hoc admisso, non est cur in aliquo dubio pars minùs tuta licitè eligi non possit, quia eadem utrobique ratio militat; ideo enim licitum est sequi partem minùs tutam in casu opinionis probabilis, quia ratio minùs tuti non obstat, quò minùs per alia principia conscientia debitè formetur per judicium rationabile, quo opus illud credatur licitum, licèt simul sciatur minùs tutum. At eadem ratio valet in multis dubiis, quia dubium remotum ac speculativum non obstat, quò minùs dictamen conscientiæ debitè formetur de honestate operis hîc & nunc ponendi. Ergo regula illa, *in dubiis tutior pars est eligenda*, non est universaliter de præcepto: ergo ut habeatur tanquam præceptum, limitanda est; limitationem Celladeus non attulit; qui proinde ex eo principio generaliter sumpto non minùs perperam infert obligationem favendi reo in dubio, quia hoc est tutius; quàm si inferret, animal à longè visum esse hominem, quia est animal; æquè enim in utroque casu prædicatum inferius infertur ex prædicato superiori, quia sequi partem tutiorem in dubio est prædicatum commune rebus, quæ ex præcepto, quæque ex consilio tantùm debentur, ut ostensum est.

Celladeus ex prædicato generico infert specificum.

4. Itaque ex illo principio, *tutiora tenenda sunt in dubio*, generaliter sumpto, inferri nequit obligatio favendi reo in dubio: sed neque proficiè inferri potest ex eadem regula limitata; quia ante omnia ostendenda est exceptio illius regulæ, & clarè proponendum, quando præcisè obligationem annexam habet, & quando non; quod Celladeus non præstitit, quodque cùm falsum illud reputet, præstari non posse existimat. Deinde hoc præstito, enucleatè ostendendam erit, easdem limitationes, per quas obligatio inducitur, reperiri in omni casu rei, quando accusatio rem dubiam relinquit, quod vix aut nunquam ostendetur; & si ostenderetur, eo ipso, pro declaratione regulæ de favendo reo in dubiis, frustra recurretur ad regulam sectandi tutiora, quia jam independenter ab illa regula sciremus obligationem favendi reo, nempe per eademmet principia, per quæ probatur obligatio sectandi tutiora in tali dubio. Ergo frustra recurreremus ad regulam de sectandis tutioribus tanquam ad principium notius, ex quo inferremus obligationem favendi reo.

Regula sectãdi tutiora in dubio, non probat regulam de favendo reo in dubio.

5. Secundò non solùm favendum est reo in perfecto dubio, sed sæpe etiam quando accusatio est probabilis, & nulla pro defensione probabilitas existit. Regula enim non dicit, in dubiis potiùs favendum est reo, quàm actori; sed universaliùs loquitur dicens: *Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs quàm actori*; at partium jura sunt obscura non solùm in dubio propriè dicto, sed etiam quando delictum non plenè probatur, etsi actor reddat illud probabile: in quo casu adhuc reo favendum est; neque enim ob talem probationem quemquam capitis condemnare licet; sed is liber dimittendus est, nisi fortiores probationes afferantur, *quia in obscuris reo favendum est.* Atqui regula de sectando tutiora non habet locum nisi in dubio propriè dicto, quia ex mente etiam Celladei licitè sequimur partem minùs tutam, quando illa probabiliter creditur esse honesta. Ergo generalis necessitas favendi

Regula favendi reo locũ habet extra casũ dubii.

reo in obscuris absurdissimè probatur ex obligatione sectandi tutiora in dubio, cùm regula favendi reo locum habeat extra casum dubii, ad quem solum regula sectandi tutiora extenditur. Imò è contrario, si regula favendi reo subordinaretur regulæ sequendi tutiora, sequeretur, reo ex necessitate favendum non esse, quando crimen illius est probabile; quia in simili casu non tenemur ad tutiora, & sic regula de favendo reo destrueretur per regulam sectandi tutiora, à qua sola Celladeus eam confirmandam esse putat. Et quidem hæc locum habent, etiam concesso, quòd favere reo semper sit tutius quàm favere actori. Quod tamen falsum est, maximè si universaliter loquamur, ut nunc loquimur.

Non semper est tutius favere reo.

6. Tertiò Celladeus errat in supposito, scilicet quòd *semper sit tutius favere reo in obscuris*, cùm id falsum sit, & rationibus ipsius non probetur, sed potiùs contrarium evincatur. Inprimis si Vasquio, quem *quæstione decima* citaverat, fidem præbeat, videbit falsum esse quod supponit. Vasquez enim *1. 2. disputatione 66. cap. 8.* fusè probat, filium, in dubio an sit illegitimus, habendum esse pro legitimo ex vi illius regulæ, *in obscuris favendum est reo*; idque adeo verum esse putat, ut locum habeat, quamvis aliis filiis legitimis, suas legitimas partes possidentibus, aliquid sit detrahendum, ut pars legitima filio illi donetur. Rursus probat hoc verum esse non solùm in jure positivo, sed etiam in jure naturali; idque non solùm in ordine ad partem, sed etiam in ordine ad integram portionem legitimam. Et tamen in hoc casu obstat illa alia regula, *in dubiis & pari causa melior est conditio possidentis*, quæ favet filiis legitimis actu possidentibus portiones suas. Jam in hoc casu non est tutius favere reo quàm fratribus, & possessoribus & actoribus contra illegitimos ad se indemnes reddendos. In quo enim apparet tutius esse judici, condemnare filios legitimos, actu suorum bonorum possessores, ut ex damno illorum provideat filio, de quo dubitatur an sit legitimus? Certè si aliud non afferatur pro illegitimo, quàm quòd pars tutior in dubio tenenda sit, judex ex illo principio moveri non potest ad favendum illegitimo; si enim alio principio non gubernaretur, rationabilissimè diceret, tutius esse relinquere fratres legitimos in sua possessione, & declarare reum non probari legitimum, ideoque illum non posse justè exigere partem legitimam, donec probaverit se esse legitimum. Præterea dum in hoc casu favet reo, pluribus fratribus certò legitimis & possessoribus gravitet nocet. At si illi non faveat, uni tantùm nocet. Et quidem uni, qui nec possidet, nec potest probare se habere titulum ad possidendum, præter regulam illam *in obscuris favendum est reo*. Ergo si sermo sit de objecto hujus regulæ, & illud secundùm se consideretur, ut considerari debet in præsenti quæstione, non illud sed oppositum invenietur esse tutius, si ratio tuti præcisè consideretur, nec aliundè probetur necessitas favendi reo, quàm quia pars tutior tenenda est in dubio. Et tamen, hoc non obstante, locum habet illa regula, *in obscuris favendum est reo*, quæ proinde vim non habet ab illa alia *in dubiis tutior pars est tenenda*; tunc enim non reo, sed potiùs actoribus favendum esset.

Favor rei nō est pars tutior respectu ipsius rei.

Sed quidquid sit de judice, profectò non est tutius ipsi reo bona fratrum legitimorum possidere. Et tamen ille ea exigere & retinere potest ex hoc solùm titulo (nam alium non habet) quòd *in obscuris favendum sit reo potiùs quàm actori*. Ergo regula de favendo reo non subordinatur regulæ de sectanda parte tutiori, sed aliquando illi adversatur, & prævalet.

7. Atque hinc apparet, Celladeum in hac ipsa materia, ac in harum regularum explicatione sibi contradicere. Vult enim judicem debere favere possessori in dubio, quia universaliter hoc tutius est, & tutiora in dubiis sunt tenenda. Rursus eadem de causa vult judicem favere reo in obscuris, quia hoc etiam universaliter tutius est. At hæc sibi contraria sunt; quia in casu præsenti tutius esset favere filiis legitimis possessoribus, & iterum tutius esset favere dubio illegitimo, & sic esset & non esset tutius eidem favere in eadem prorsùs causa. Quòd si dicat, regulas has non esse universales, sed suas pati exceptiones, atque unam esse alterius exceptionem, iterum contradicit sibi, quia operosissimè contendit, illas nullo modo inter se contrariari, sed sine ulla limitationis aut repugnantiæ umbra inter se cohærere.

Celladeus contradicit sibi.

8. Rationes istæ sunt validæ exceptiones contra hanc interpretationem Celladei; sed & rationes, quibus utitur ad probandum debitum favendi reo in dubiis fundari in eo, quòd hoc sit tutius, sunt prorsùs invalidæ; imò probant oppositum, ut mox videbimus. Inprimis quod dicit, reum in civilibus esse semper partem tutiorem, est falsum, cùm oppositum constet in exemplo proximè allato. Fateor quidem tutius esse judici favere reo pro omni casu pro quo scitur eum obligari ad favendum reo. Sed hoc non est ad rem, quia quæritur, unde proveniat obligatio favendi reo? Et an illa ex eo præcisè titulo probetur, quòd hoc sit & appareat tutius, adeo ut titulus sectandi tutiora præcedat ut principium, ex quo probetur necessitas favendi reo in dubio? Verùm longè aliter se res habet, quia regula illa, *in obscuris favendum est reo*, debet præcedere ut probetur necessitas favendi reo, & sic demum probetur id esse tutius. Ergo regula favendi reo non subordinatur regulæ sectandi tutiora in dubio.

9. Minùs urgent quæ affert in casu rei de criminalibus. Præstat quidem nocentem liberare, quàm innocentem damnare, quando de unius innocentia & alterius crimine constat; at si res dubia sit, nondum constat, quæ pars sit melior in se, & Reipublicæ conducibilior, maximè quando probabile est, etsi non certum, reum verè esse nocentem. Est quidem intrinsecè malum damnare innocentem legitimè & certò cognitum talem; at non est certò intrinsecè malum damnare innocentem probatum nocentem. Plurimi enim graviſſimique Theologi, cum S. Thoma, putant non solùm licitum, sed obligatorium esse damnare innocentem certò cognitum innocentem per privatam sententiam, modò in foro externo legitimè convincatur nocens. Unde ergo scis, esse intrinsecè malum damnare innocentem, si probabiliter probetur nocens? Ego fateor id non licere; sed dico illud innotescere ex regula, *quòd in obscuris reo favendum sit*, non autem ex eo, quòd illud ex objecto, & per se, ac pro priori ad hanc regulam sit, & reperiatur esse tutius, cùm tutius esset & melius pro reipublicæ incolumitate, si omnes, qui per sua facta dederunt causam probabilem existimandi se reos, plecterentur ut rei, & delerentur è republica. Certè rarò caderet innocens, nocentes autem ingenti numero tollerentur, omnesque timerent vel probabilia criminis signa edere. Inde magna reipublicæ quies consequeretur. Unde ergo con-

An & quando do conflet melius eſſe innocentem liberare, quàm damnare innocentem?

stat

stat tutius esse talem reum liberare, quàm condemnare?

An sit intrinsecè malum damnare innocentem, & non sit liberare nocentem?

10. Constat, inquit, ex eo, quòd innocentem condemnare sit intrinsecè malum, cùm Deus ipse hoc nequeat facere; at reum liberare non est intrinsecè malum, cùm Deus & suprêmi principes hoc soleant facere. Sed exempla ista non sunt ad rem, & præterea falsam doctrinam continent, quæ etsi vera esset, non probaret intentum. Non sunt ad rem, quia procedunt de innocente & nocente certò notis (Deo enim nil obscurum aut dubium esse potest) Quod si loquamur de hominibus quibuscunque, quibus innocens nocens apparet, probandum est, quòd sit intrinsecè malum damnare innocentem probabiliter nocentem, & non sit liberare nocentem, cujus innocentia non est probabilis.

Non punire nocêtes per se est intrinsecè malũ, nisi corrigãtur.

11. Deinde exempla ista falsam doctrinam continent, Deus enim potest quidem non punire nocentem, si illum emendet & à peccato liberet, sed si illum à peccato non liberet, non potest eum non punire; non enim minùs repugnat justitiæ Dei relinquere nocentem sine pœna, quàm ipsius misericordiæ repugnet damnare innocentem ad pœnam. Utrumque ergo ex æquo est intrinsecè malum. Idem dicendum de judicibus humanis, maximè de secundariis & subordinatis, illi enim peccant & rem intrinsecè malam faciunt, si liberent nocentem. Potest quidem supremus reipublicæ judex aliquando justis de causis nocentem liberare, maximè si probabiliter speret, illum emendandum, vel medium opponat, quo ulteriùs reipublicæ aut concivibus nocere non possit; at frequenter & sine urgenti causa ac cautione data nocentes liberare malum est, & quidem intrinsecè malum, quia est omittere exercitium gladii, quem Deus in manus eorum posuit ad solamen bonorum, & exterminium malorum. Jam homines non possunt corrigere nocentes, nec cor eorum mutare, sed potiùs præsumunt hominem, semel inventum malum, semper manere malum. Unde ergò constare potest exemplo Dei aut proborum principum, quod sit intrinsecè malum damnare innocentem, & non sit intrinsecè malum parcere nocenti? maximè verò quando res ita est dubia, ut sit probabile quòd reus sit nocens, & non sit probabile quòd sit innocens, & sermo restringitur ad judices humanos inferiores.

Quod est intrinsecè malum non est deterius eo, quod nõ est malũ intrinsecè.

12. Demum etsi exempla illa essent vera, non probarent intentum; non enim valet hæc consequentia, A est intrinsecè malum, B. non est intrinsecè malum. Ergo A est deterius B. Certè mendacium officiosum est intrinsecè malum, comedere carnes die Veneris non est intrinsecè malum; & tamen longè gravius malum est violare jejunium Ecclesiasticum, quàm leviter mentiri. Ergo quamvis sit intrinsecè malum damnare innocentem, & non sit intrinsecè malum liberare nocentem, non sequitur primum non esse deterius secundo. Ergo non sequitur primum esse tutius secundo, quando ita versamur inter utrumque, ut periculo alterutrum incurrendi exponere nos debeamus. Hoc maximè verum apparet, quando noxa est probabilis, & innocentia non est probabilis. Deus in lege Mosaïca præcepit homicidas & alios criminosos occidi. Hoc posito, peccassent gravissimè judices si eos liberassent. Jam vero, fingamus aliquem apud judicem illius populi ita accusatum fuisse de homicidio, ut probabile esset, sed non certum, illum fuisse homicidam; versatur judex inter duo pericula, aut liberandi nocentem, aut interficiendi innocentem; utrumque est contra legem Dei; utrumque noxium Reipublicæ; & quidem respectu reipublicæ magis expediens est talem hominem de medio tolli, quàm liberari. Quare ergo tutius est reum dimittere? Certè quamvis fortassè, cæteris paribus, sit majus malum occidere innocentem, quàm nocentem liberare; tamen, cæteris imparibus, hoc verum non est; nam minus malum est exponere se exiguo & improbabili periculo occidendi innocentem, quàm probabili & magno periculo non condemnandi nocentem. Ergo in tali casu tutior pars non est liberare reum, qui tamen vel tunc liberandus est, quia *cùm partium jura sunt obscura favendum est reo*, & ex quo principio consequenter rectè probatur id esse tutius, & non è contra.

Illatio Celladei est patêter nulla.

Judicem inferiorem liberare rẽũ est intrinsecè malum, & cur?

13. Præterea, quamvis ex tuo præcisè conceptu non sit intrinsecè malum liberare nocentem, tamen respectu judicis humani, saltem inferioris & subordinati, est intrinsecè malum illum liberare, quando Deus absolutè præcipit illius damnationem; quia sicut actus liberans talem hominem in tali casu est intrinsecè malus, non ob modum tendendi ipsius, sed præcisè ob objectum sub hisce circumstantiis constitutum, in quod actus ille tendit, ita objectum illud, prout subsistat talibus circumstantiis, est intrinsecè malum; ergo prout subsistat istis circumstantiis non est cur dicatur minùs malum quàm damnatio innocentis. Ergo liberatio innocentis non est pars tutior, saltem respectu judicis inferioris, maximè si crimen sit probabile, & innocentia sit improbabilis. Et tamen reus etiam in hoc casu absolvendus est ob illam regulam, *favendum est reo in incertis*. Ergo regula illa non habet vim ex eo, quòd in dubio tutiora sint tenenda, sed consequenter ad malitiam objecti, per priorem regulam favendi reo in obscuris cognitam, rectè inferimus, tutius esse in tali casu liberare reum. Tantùm ergo abest, ut regula favendi reo in hoc casu fundetur in regula sequendi tutiora, ut è contrario locus esse non possit regulæ sequendi tutiora, nisi altera regula præsupponatur, per quam sciamus liberationem rei esse præceptam, & consequenter tutius esse illum liberare, quàm condemnare.

Secunda ratio Celladei undique deficit.

14. Secunda ratio Celladei habet duas partes; prima dicit expediens esse, quòd ita se res habeat, quódque unusquisque, casuum suorum in futuro inscius, vellet hanc legem cum omnibus servari. Hoc verum est, & constat per ipsam regulam dictantem, quòd reo favendum sit. Sed non videtur facere ad intentum, scilicet ad ostendendum, hoc ex se & pro priori esse tutius quàm oppositum; aut ad probandum, quòd ideo sit obligatorium, quia tutius. Secunda pars in eo fundatur, quòd damnatio innocentis sit malum de lege ordinaria irreparabile, at liberatio nocentis sit malum reparabile; tum quia decursu temporis veritas sciri poterit; tum quia relinquitur deo judicandus, apud quem nullum dubium, nulla ignorantia.

Verùm hæc ratio non est universalis, quia solùm procedit de damnatione ad mortem, vel ad eam pœnam, quæ aufert usum membrorum: nam in reliquis, malum ex damnatione innocentis proveniens non est minùs, sed magis reparabile, quàm malum ortum ex liberatione nocentis; nam quamvis nocens decursu temporis, post veritatem detectam, plecti possit ob crimen præteritum, interim tamen novis & occultis criminibus plurimum nocere poterit reipublicæ, cui

proinde tempestiva ejusdem mors, aut carcer perpetuus, multum commodi attulisset, non solùm removendo mala, quæ postea fecit, sed etiam exemplo sui supplicii alios à malefactis deterrendo. Ergo hæc ratio æquè probat oppositum, ac id, pro quo affertur; id est verè probat neutrum, quia non est universalis, sed in aliquibus certò certiùs non habet locum, cùm fortè habeat locum in aliis.

Æquè applicatur ad probandum oppositum.

15. Quod additur, de nocente à Deo tandem judicando, non est ad rem, quia æquè valet ad contrarium; sicut enim nocens, à nobis non damnatus, puniendus est à Deo pro suo crimine, sic etiam innocens, à nobis damnatus, remunerandus erit à Deo pro sua innocentia & patientia: & sicut nostra indulgentia nil prodest reo apud Deum, ita noster rigor nil nocet innocenti apud Deum. Et sine dubio plerumque evenit, ut damnatio innocentis simpliciter plus boni illi afferat apud Deum pro correctione vitæ in præsenti, & merito apud Deum pro futuro, quàm liberatio nocentis, ex qua nempe sceleſtus homo rarò emendatur, sed plerumque novam ad majora facinora audaciam arripit. Itaque ex hoc capite non apparet, quomodo favere reo sit tutius, quàm damnare innocentem, maximè quando crimen est probabile, & innocentia non est probabilis.

Tertia ratio seipsam destruit.

16. Tertia ratio, ritè intellecta, seipsam destruit: nam sicut sententia liberatoria non est mendax, quia non affirmat reum esse innocentem, sed solùm esse liberandum, eò quòd nil contra eum sit sufficienter probatum; ita etiam sententia condemnatoria non erit mendax, si solùm dicat reum esse damnandum, quia edidit signa suæ malitiæ, quæ etsi crimen non convincant, illud tamen reddunt probabile: jam si sententia damnans hoc modo ferretur, nullum esset in eo mendacium, sicut nullum est in sententia liberante, quando illa (sicut plerumque evenit) non declarat reum esse innocentem, sed solùm non esse damnandum.

Quarta ratio plerumque locum non habet, & probat oppositum.

17. Quarta ratio aliquid fortè valeret, si reus, in jus vocatus, semper injustè gravaretur; tunc enim aliqua induceretur inæqualitas, quæ postea per justitiam tolli deberet. At plerumque, qui sistitur reus, non injustè sed justissimè reus constituitur. Ergo vel nulla inæqualitas inducitur, vel si aliqua inducatur, illa est justa, & propterea si eo titulo favendum esset reo, justitia manifestè violaretur, quia actor, propter actionem justam, repulsam pateretur, & favor reo tribueretur quasi passus esset injustitiam, cùm nullam sit passus. Tantùm ergo abest, ut ex hoc capite probetur tutius esse favere reo, ut ex illo potiùs sequeretur violatio justitiæ, si ea de causa vel minimus favor reo præstaretur contra actorem. Ergo si res ita se haberet, ut vult Celladeus, judex per hoc ipsum in plerisque sequeretur partem minùs tutam, in quibus Celladeus vult illum sequi partem tutiorem. Ex his constat, Celladei interpretationem & reconciliationem harum regularum esse prorsùs insufficientem ac falsam; rationesque illius esse invalidas, & efficaciores ad oppositum, quàm ad intentum ipsius probandum.

An & cur dubia in meliorem partem sint interpretanda?

18. Quod attinet ad concordiam alterius regulæ, dictantis dubia in meliorem partem interpretanda esse, cum regula de tutiori parte sectanda in dubio, Celladeus existimat illam quoque huic subordinari; ac ideo dubia in meliorem partem interpretanda esse, quia hoc est tutius quàm oppositum; sic enim discurrit §. 3. Quoties sumus in dubio, an proximus hoc vel illud crimen commiserit, versamur in periculo erroris vel injustitiæ; erroris, si eum liberemus; injustitiæ, si eum damnemus. Rursus versamur in periculo habendi nocentem pro innocente, vel è contra. In hoc periculo minus malum est falli, & habere nocentem pro innoxio. Ergo per regulam sequendi tutiora tenemur interpretari dubia in meliorem partem.

Contrà hæc ex Cella.

Adde præceptum illud à Christo Domino inculcatum, *Lucæ 6. 37. Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini.* At non judicare, item non condemnare proximum, est mala dubia in meliorem partem, saltem negativè, interpretari. Ergo ad hoc tenemur, quod certè tutius est, cùm ex hoc nullum, ex altero verò magnum malum immineat. Sed hæc interpretatio negativa in meliorem partem non sufficit, tenemur enim positivè ea in meliorem partem interpretari, quia tenemur animum à dubitatione avertere, & rationes proximo faventes quærere, atque causam dubitandi, quæ est mala animi affectio, tollere, ex qua oriri solent dubitationes & suspiciones: hac ratione bene afficimur erga proximum, & facilè rationes inveniemus, quibus de illo benè judicemus, & dubia in meliorem partem interpretemur. In his autem omnibus tutiorem partem sectamur, & ideo ad illam tenemur, quia tutior est.

Concordiæ hæc non subsistit.

19. Verùm hæc interpretatio nullo modo satisfacit: primò quia ex principio generaliter sumpto nullam continente obligationem probat aliud, in quo est obligatio. Ergo quamvis verum esset, semper tutius esse interpretari dubia in meliorem partem; necessitas tamen ea sic interpretandi non infertur ex eo, quòd id sit tutius. Quod si regula sectandi tutiora in dubiis restringatur, ut ex illa inferatur obligatio interpretandi dubia in meliorem partem, eo ipso regula illa inutiliter adhiberetur, ut proximè ostensum est in examine concordiæ prioris regulæ.

Universaliter non est tutius interpretari dubia in meliorem partem.

20. Secundò rejicitur, quia universaliter loquendo hoc non est tutius. Ponamus exempli causa dubium oriri an Petrus sit Hæreticus, vel Sodomita, &c. Inprimis neutra pars respectu intellectûs est tutior, quia æquale est periculum erroris sive eum damnet sive liberet: & fortasse minus est periculum erroris in damnando, eò quòd plerumque homines rei sint criminis, quod ab indiciis ab iis datis in dubium venit. Jam verò quamvis eum non damnare tutius sit quàm è contrà, hoc tamen non sufficit per Celladeum, quia per hoc non interpretamur dubia in meliorem partem, sed relinquimus dubia ut erant. At secundùm illum, debeo interpretari in meliorem partem; sed hoc non est tutius, quia pauciora mala imminent reipublicæ, si quis, salva lege charitatis, & se & suos liberos à talis viri consortio ac in[illegible]ratione removeat, quàm se aut illos ipsi æqu[illegible]c alii permittere ac sociare. At si omnia dubia positivè interpretanda essent in meliorem partem, deberemus utique habere illum pro probo viro, atque ita nos erga eum in opere gerere, ac si nullum de illius malitia dubium ortum fuisset, & consequenter in nullo ab illo magis quàm ab aliis cavere deberemus. At ex hoc agendi modo periculum ingentis mali in republica immineret, quòd certè non imminet ex eo, quòd dubia illa in meliorem partem non explicentur, sed relinquantur ut dubia. Ergo non videtur tutius interpretari dubia in meliorem partem.

21. Ter-

Ratio Celladei probat oppositū ejus ad quod affertur.

21. Tertiò demum rationes illius non probant intentum. Inprimis falsum est, quod, dubio orto, versamur in periculo erroris aut injustitiæ; nam si relinquamus ea ut dubia, nec illis nos immisceamus, nec errabit intellectus, nec peccabit voluntas; & ex omnibus hoc solum est tutius. Ergo ex doctrina Celladei tenemur nos hoc modo gerere, quia tutiora in omni dubio sunt tenenda; ergo tenemur etiam non interpretari dubia in meliorem partem, quia per talem interpretationem sine necessitate conjicimus nos in varia pericula, ut patet. Ergo ratio, quam adhibet, probat oppositum ejus, quod intendit; quod reipsa aliud non est, quàm sibi contradicere.

Celladei cõtradictio.

Alia ejusdẽ cõtradictio.

22. Rursus in ipsa argumenti propositione alteri suæ doctrinæ contradicit; docet enim, quæstionem solvi non posse in dubio per rationes dubitandi. Quod si sit verum, nullum profectò est periculum erroris in dubio, quia quoties omne judicium est impossibile, omnis error redditur pariter impossibilis. Ergo, stante dubio, nullum est periculum erroris, quia voluntas non potest flectere intellectum in assensum. Advertit quidem ad hæc ipse Celladeus paulò pòst, atque ea frustra mitigare conatur, quia ponit alia præcepta, quibus tenemur non male affici erga proximum sine causa, & non curiosè scrutari ejus defectus, &c. quæ non faciunt ad rem præsentem; quia nullo modo probant quòd tutius sit interpretari dubia in meliorem partem, quod unicè probandum erat. Itaque non debebat in ipso sui argumenti initio talia tam crudè proponere, cùm sumpta ut jacent, aliis ejus opinionibus expressè contradicant.

23. Displicet etiam indecora argumenti propositio; dicit enim sub distinctione, *quòd quando sumus in dubio an proximus sit malus, sumus in periculo vel erroris vel injustitiæ*, cùm simus in periculo utriusque collectim; nullatenus enim vitatur periculum erroris quodcunque judicetur. Ergo ita versamur in periculo injustitiæ, ut simul versemur in periculo erroris. Ergo argumentum indecorè propositum fuit. Sed hæc utpote minora, quibus omnes subjacemus, non ultrà perstringo.

Æquivocatio Celladei.

24. Hoc solùm addo, Celladeum in omnibus istis argumentis apertam æquivocationem passum esse; aliud enim est dubia debere non interpretari in malam, aliud verò ea in bonam partem interpretari debere. At hæc duo in unum idemque confudit; argumenta enim ipsius benè probant primum, quia in eo est periculum injustitiæ ac damni proximi; item id est expressè à Christo prohibitum. At nullum tale periculum est, si relinquamus rem dubiam, ut est, atque illam in neutram partem interpretemur. Neque enim Christus dixit: *interpretamini dubia in meliorem partem:* sed solùm, *nolite judicare, nolite condemnare*, quod solùm involvit præceptum non interpretandi ea in malam partem. Ex his constat, Celladeum insufficienter interpretatum esse has regulas, suumque intentum non probasse.

ASSERTIO II.

Propositum sit regulas illas exponere, & eas inter se ab apparente contrarietate vindicare.

Regula sequẽdi tutius respicit homines in ordine ad gubernandos seipsos.

25. INPRIMIS regula illa, *in dubiis tutior via tenenda est*, propriè respicit obligationem hominis erga seipsum, quatenus servit tanquàm principium, ex quo vel ipse se, vel alii benè informati de statu conscientiæ ipsius debent illum regulare ac dirigere, definiendo quomodo possit aut debeat se gerere in dubio. Dico ergo inprimis, regulam illam, universaliter sumptam, non exprimere præceptum, sed ad summum consilium. Dico secundò hanc regulam restringi debere ad dubium practicum seu proximum, & non extendi ad remotum & speculativum, nisi illud adeo conjunctum sit cum proximo & practico, ut citra temeritatem ab eo separari non possit. In hoc sensu regula hæc continet universale præceptum sectandi partem tutiorem in dubio tali, quia necesse est, omnem sic dubitantem peccare, si partem minùs tutam sectetur, eò quòd operans aut nullam prorsùs, aut certè non nisi temerariam habeat conscientiã de honestate suæ operationis. At neutrum excusat à peccato. In reliquis omnibus casibus regula illa ad summum est consilium, quia reliqua omnia dubia admittunt probabile dictamen conscientiæ de honestate operationis, non obstante dubio. Hoc autem sufficit ut pars minùs tuta sit licitè eligibilis. Hæc omnia fusè probata sunt *in quæstione præcedente.*

Jam nulla est contrarietas inter alias regulas & istam. Aliæ regulæ solùm dant fundamentum debitè formandi conscientiam de honestate operationis, stante dubio aliquo remoto & speculativo. Hoc autem non opponitur priori regulæ, sed solùm ostendit casum aliquem particularem non comprehendi sub illa. Et sanè in omni casu hujus regulæ certò constat nos esse reos sectandi partem tutiorem, quia versamur in aliquo dubio quod non determinamus, & ex quo habemus fundamentum inferendi hanc certam obligationem. Sed hæc concordia meliùs patebit explicatione aliarum regularum.

Regula favendi reo dirigit judicem in ordine ad alios, inter quos sententiam ferre debet.

26. Regula illa *juris in 6. cùm partium jura sunt obscura favendum est potiùs reo, quàm actori*, potissimè respicit judicem, illumque regulat in ordine ad alios, inter quos sententiam ferre debet, neque aliter applicari potest ad hominem respectu sui, nisi quando ipse instar judicis fert sententiam inter seipsum & alium contra se agentem. Hæc regula respectu aliorum includit præceptum; at respectu sui universaliter saltem non includit præceptum, quia unusquisque in plerisque casibus potest proprio juri renuntiare, & illo sponte se privare, quod judex externus pro libitu suo facere non potest.

Regula favendi reo in quo fundatur?

27. Quòd si quæras, in quo fundetur hoc præceptum? Respondeo inprimis, illud fundari in ipso lumine naturæ expresso per hanc ipsam regulam. Respondeo secundò, fundari in omni jure scripto, quia ut supra visum est, omnia jura clamant in dubio reum esse absolvendum. Quòd si hæc minùs satisfaciant, & velis obligationem hanc adhuc probari ex jure universaliori ac notiori, Respondeo tertiò, obligationem istam fundari ac probari ex universalissimo illo præcepto naturæ.

naturæ. *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Unusquisque enim constitutus reus rationabiliter nollet condemnari in dubio, ideoque ex vi dicti principii tenetur in tali casu alium non condemnare. Præterea unusquisque inscius eorum, quæ sibi eventura sunt, præsumitur velle legem hanc servari cum omnibus; hæc autem præsumpta consensio omnium apertè convincit, rem illam lege naturæ debitam esse, in quam ut lege debitam omnes conspirare præsumuntur.

Favendum est reo in dubio tantùm in iis, quæ dubia sunt.

28. Cæterùm quando dicimus reo favendum esse in dubio, sensus est favendum esse in eo, quod dubium est, non autem in eo, quòd certum aut probabilissimum est: v. g. Titius Presbiter vulneravit Caium; sed postea dubitatur, an Caius mortuus sit ex vulnere illo, an ex alia ægritudine superveniente? in hoc casu dubium est, an Titius sit homicida, sed non est dubium an sit irregularis; quia non est dubium, an lex prohibens homicidam celebrare extendatur ad casum hunc dubium, atque ideo talis homo judicandus est irregularis, sed non est condemnandus ad ullas alias pœnas subeundas, de quibus dubium est, an ad illas subeundas teneatur. Sic quamvis mors statuta sit pro homicidio, tamen qui alium vulneravit non est plectendus capite, si dubium sit, an alter mortuus sit ex vulnere illo, an ex ægritudine aliundè superveniente, quia aut certum est, quòd lex statuens mortem in pœnam homicidii non extendatur ad casum dubii homicidii; aut certè dubium est, an lex illa ad talem pœnam extendatur; atque ideo talis pœna, ordinariè statuta contra homicidas, non est infligenda ob delictum, quamdiu dubium est, an mors ex illo subsecuta fuerit, quia *in obscuris reo favendum est*, & quia *odia sunt restringenda*. Quod si constaret, legem illam æquè extendi ad casum dubii homicidii, sicut constat legem irregularitatis ad casum homicidii dubii extendi, in utroque casu pœna illa ex æquo esset infligenda.

Opinio Vasquii de lege dubia?

29. Atque hìc occasio postulat, ut illis respondeam, quæ Vasquius affert ad probandum, quòd in dubio juris ac voti teneamur ad partem tutiorem, quia Celladeus locum illum ita citavit, ac si Vasquius argumentis suis illud prorsùs evicisset. Itaque Vasquius *1. 2. disputatione 65. cap. 3.* pro lege dubia sic arguit. In dubio facti, puta in dubio homicidii tutior pars tenenda est, ut omnes fatentur, & habetur per expressam Pontificis definitionem. Hinc sic arguit: Tota causa, ob quam in dubio facti eligi debeat pars tutior ea est, nè fortè fiat illud, quod revera malum & peccatum est. Idem autem periculum est in dubio juris. Ergo in eo etiam tutior pars est eligenda. Præterea adversarii, inquit Vasquez, videntur fateri, quod aliquando teneamur ad tutiorem partem in dubio juris, non autem assignant, nec assignare possunt, quando sit, & quando non sit ea obligatio. Ergo semper est. Aliud Vasquius non affert ad hoc probandum.

In dubio juris non tenemur ad tutius, licèt aliquàdo teneamur in dubio facti.

30. Respondeo inprimis, nos in dubio facti non semper teneri ad partem tutiorem, quod & ipse Vasquez fatetur; tunc scilicet quando, stante dubio, datur aliquod principium, ex quo conscientia formari possit de honestate operationis; quod quia semper non potest fieri, ideo aliquando tenemur, aliquando non tenemur ad partem tutiorem in dubio facti. Sed esto, verum sit antecedens universaliter sumptum, negatur consequentia: disparitas est evidentissima. In dubio facti datur lex certa, cujus obligatio extenditur tam ad actionem dubiam, quàm ad certam vetandam; & ideo tenemur abstinere ab eo, de quo dubitamus an sit opus, quod prohibetur per talem legem, quæ habet vim reddendi talem operationem, de qua dubitatur, malam & peccaminosam. At in dubio juris nil est quod obligationem possit inducere, unde licèt sit periculum ponendi illud, quod jus dubium vetat, & in hoc æquetur dubium juris cum dubio facti; in dubio tamen juris non est dubium, an illud opus sit malum & peccatum, quia non dubitatur an sit contra legem, quæ obligare & vim legis exercere possit, quia constat, legem dubiam talem vim non habere. Et sanè eodem modo respondere debet Vasquez ipse, si assignare velit rationem, cur aliquando in dubio facti teneamur, aliquando non teneamur ad partem tutiorem. Alia enim ratio non est, nisi quia in uno casu datur certa & indubitata lex, quæ aquè vetat actionem dubiam ac certam; at in alio casu non constat, legem extendi ad casum dubium, eò quòd detur motivum ad rationabiliter credendum, nos posse licitè sectari partem minùs tutam, non obstante tali dubio facti. In utroque enim casu sit illud, de quo dubitatur an sit contra legem; sed in primo casu id est contra legem certam, quam constat ad talem casum dubium extendi; in alio verò casu non constat legem ad talem casum extendi, ideoque in secundo casu nullum est periculum peccati formalis, cujus tamen periculum est in primo.

31. Alterum argumentum est ad hominem contra eos, qui aliquando admittunt, aliquando non admittunt obligationem sectandi tutius in dubio juris; sed non tangit nos, qui universaliter dicimus, nullam dari obligationem sectandi tutius in dubio juris. Cæterùm si qui doceant nos aliquando obligari ad tutius in tali dubio, non puto quod reipsa à nobis discrepent; intelligendi enim sunt in aliquo casu particulari, verbi gratia, quòd ante examen veritatis teneamur ad tutius tam in dubio juris quàm in dubio facti, quod nos cum omnibus admittimus. Cæterùm si in alio aliquo casu idem admittant, id erit, quia in tali casu conscientia de honestate operationis rationabiliter formari non potest, in quo casu nos etiam consentientes habent; sed tunc lex, aut extensio legis non est propriè dubia, sed ita probabilis ut oppositum non sit probabile. Fieri etiam potuit, ut illud jus vocaverint dubium, eò quòd omne illud dubium appellarent quod non est certum. Sed in hoc etiam nobiscum consentiunt, quamvis dissentire videantur, eò quòd usurpent vocem *dubium* in latiore significatione, quàm nos. Cæterùm si qui illorum, quos Vasquez sub termino generali nominat, verè à nobis dissentiant (quod non existimo) viderint ipsi, quomodo argumento illi ad hominem facto satisfaciant. Cui certè facillimè satisfit, si doctrinæ hoc loco tactæ adhibeantur, quia per illas facillimè assignatur, quando præcisè teneamur ad tutius in dubio, ut patet.

Quid Vasquez teneat in dubio voti?

32. Quòd in dubio voti ad tutius teneamur, sic probat Vasquez loco citato: Si quis in dubio voti licitè posset non servare votum, posset similiter in dubio de valore matrimonii petere debitum. At consequens est falsum & absurdum. Ergo & antecedens. Probatur sequela. Inprimis utrumque dubium est dubium facti; non enim est cur dubium de voto dicatur dubium juris, cùm dubium hoc primariò sit circa factum, quamvis ex ipso facto deinde dubium juris oriatur, nempe utrùm teneatur ad votum in dubio? hoc enim ex æquo evenit in omni dubio facti. Deinde

de uterque habet legem certam contra se. Dubius de Matrimonio, *ne accedat ad non suam*, dubius verò de voto, *ne transgrediatur votum*. Sicut enim lex non accedendi ad non suam obligat, ne petatur debitum in dubio de Matrimonio, ne fortè dicta lex violetur; ita pariter lex jubens votum non violari obligat ad servandum votum in dubio, ne fortè aliter ipsa etiam violetur. Ergo in utroque casu par est obligatio.

Responsio 1. 33. Respondeo inprimis, me nil jam determinare circa consequens, quod Vasquez habet pro absurdo; multi enim docent, illud absurdum non esse, quando qui dubitat est possessor bonæ fidei, secus si sit possessor malæ fidei. Nec hoc obstat sæpe citatis capitulis; nam *in capite Inquisitioni* non agitur de casu dubii, & *in capite Dominus*, solùm agitur de possessore malæ fidei. Unde ex istis capitibus nec infertur contra possessorem bonæ fidei. Sed quidquid sit de hoc,

Ante votũ nulla datur lex obligans ad servandũ votum. 34. Respondeo secundò, admisso antecedente, consequentiam esse nullam. Ratio est, quia dubium de voto meritò revocatur ad dubium juris; nam lex illa prætensa non violandi votum, non est lex absolutè obligans ante votum; si enim nil voveam, ad nil obligor ex vi illius. Ergo lex illa ad nil serviret, si nemo voto se obstringeret. At non est ita in aliis legibus, illæ enim habent determinatum objectum, ad quod obligant, aut à quo arcent independenter à libera voluntate ejus, qui legem servat. Hinc est, quod nemo liberetur ab onere talium legum ex eo, quòd dubitet an opus faciendum sit contra legem, quia constat dubia æquè ac certa vetari per talem legem. Verùm in dubio voti omnia contrario modo se habent, omnis enim vis legis obligantis ad servandum votum dependet à voto ipso, & ad ipsum consequitur. Itaque votum est lex privata, quam nobis ipsis imponimus, quamque Deus consequenter acceptat: neque est alia lex distincta à voto acceptato, qua absolutè obligamur ad votum implendum. Quòd si recurras ad legem priorem conditionatam, qua Deus dicit, *si quis voverit, volo ut servet votum*, inprimis ponis leges merè conditionatas in Deo, quæ non videntur Deo dignæ; non enim est cur de merè conditionatis quidquam actu absolutè statuat, nisi aliquem effectum aut obligationem absolutam simul inducat. Deinde hoc, etiam admissum, nil facit ad rem præsentem; adhuc enim nulla datur obligatio absoluta nisi dependenter à voto, & consequenter ad votum. Ergo dubitare de voto est dubitare de absoluta obligatione legis; atque ideo dubium voti reducitur ad dubium juris absolutè obligantis, & cum illo necessariò connectitur. Hinc est, quod eodem modo loqui debeamus de dubio voti ac de dubio juris. At in dubio juris nulla datur obligatio sectandi tutius. Ergo nec in dubio voti.

In dubio voti nemo tenetur ad votum. 35. Præterea sunt duæ aliæ rationes validissimæ, quibus probamus, nullam esse obligationem sectandi tutius in dubio voti. Prima est, quia eo ipso quod post diligens examen votum maneat dubium, rationabiliter præsumitur non emissum. Secunda est, quòd in tali casu sumus in possessione nostræ libertatis. In dubio autem melior est conditio possidentis; non enim æquum est, ut qui hactenus possedi meam libertatem, jam illa priver ob dubium de voto; maximè cùm in tali dubio possessio legis, aut Dei me per legem arctantis, opponi non possit, eò quòd omnis ejusmodi lex sit tam dubia, quàm est ipsum votum. Neque verum est, quod Vasquez dicit, regulam illam, *in dubio melior est conditio possidentis*, solùm habere locum in materia justitiæ, cùm ad alias materias extendatur, ut latè ostendi *quæst. 23. de Consc. prob. num. 27.* & ex professo iterum probabo hic, *quæst. 57.* Porro tam hæ rationes, quàm etiam prima, ita appropriantur voto dubio, ut ad alia dubia facti non extendantur. Prima locum non habet in factis dubiis, quæ non inferunt dubium legis absolutè obligantis, sicut infert dubium voti, ut patet ex dictis. Secunda etiam ratio locum non habet in factis dubiis; non enim ex eo quòd quis dubiter an uxor sit mortua, præsumere potest quod verè sit mortua. Tertia demum ratio extra dubium voti non favet libertati, sed eam gravat, quia possessio stat pro lege, seu pro Deo per legem certam gravante libertatem, ideoque omnia oppositio modo se habent in dubio voti, & in plerisque meris dubiis facti. Hæc ergo non solùm solvunt, quæ Vasquez toto illo capite ponderat, sed etiam probant, neminem in dubio voti ad tutius obligari.

Sensus regulæ *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda.* 36. Quod attinet ad illam aliam regulam, *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda*, illa non adeo difficilè explicatur. Inprimis hæc regula declaratur per illam aliam regulam juris, *Odiosa sunt restringenda, favores convenit ampliari.* Si enim dubium oriatur, an pœna aliqua, vel lex onerosa extendenda sit ad casus similes, qui non exprimuntur in lege; dicimus illam non extendi, sed dubium hoc debere interpretari in sensum favorabiliorem; quia odiosa sunt restringenda. E contra, si dubitetur an gratia & privilegium extendatur ad casus similes; interpretamur dubium in partem favorabiliorem, & dicimus, gratiam ad talem casum extendi, quia *favores sunt ampliandi.*

Rursus si dubium sit de jure, illud in meliorem ac favorabiliorem partem semper interpretandum est, quia libertas non est gravanda, nec sua possessione privanda sine urgente necessitate; qualis nulla est in dubio juris.

Dubium facti an & quando in meliorem partem interpretandum? 37. Similiter in dubio facti, illud etiam interpretandum est in meliorem partem, quantum rationabiliter fieri potest; id est ad omnem effectum, quem non satis constat comprehendi sub aliqua lege. v. g. Dubium est, an aliquis sit homicida? Hoc dubium eousque solùm interpretandum est in deteriorem partem, quousque constat leges obligare reum ad se gerendum instar homicidæ. Porro quia non est dubium, sed certum, eum ad talia obligari, ideo non sumus in casu faciendi favorabilem interpretationem circa obligationem subeundi talem pœnam. At si sermo sit de aliis pœnis, ad quas non constat leges extendi, dicimus talia dubia in meliorem partem esse interpretanda; hominemque illum in ordine ad illas habendum pro non homicida, quia *odiosa sunt restringenda*, quia *in obscuris reo favendum est potius quàm actori*, & demum, quia *dubia*, ubi verè est dubium de obligatione, *in meliorem partem sunt interpretanda.*

38. Quòd si velimus, regulam hanc tunc præsertim ad proximos dirigere, quando illorum probitas aut honor in dubium vocatur; dicendum est primò, quòd nemo in tali dubio sit absolutè condemnandus; non quòd hoc sit dubia negativè interpretari in meliorem partem, quatenus non accipiuntur in partem deteriorem; quia hoc non est ea in meliorem, sed solùm non in deteriorem partem interpretari, quæ duo toto cœlo differunt, & à Celladeo incongruè confunduntur; sed quia præcipimur alios temerè non judicare aut condemnare.

demnare. Quod præceptum profùs diversum est à regula interpretandi dubia in meliorem partem.

Dubia orta ob solā difficultatem virtutis in meliorem partē interpretanda.

39. Dicendum secundò, omnia dubia de proximi probitate, orta ex sola difficultate virtutis, aut ex majori multitudine peccantium in tali materia, vel ex speculativa probabilitate quòd hic homo sit reus talis peccati, eò quòd longè plerique in illud labantur; omnia, inquam, ista dubia quoad praxim & modum agendi cum proximo interpretanda sunt in meliorem partem, quia ob talia motiva non solùm non licet judicare hunc hominem in particulari esse malum, sed neque licitum est ob tales rationes nos ab ejus consortio, aut à fidendo ipsi, prout negotia postulant, deterreri, sed cum illo agendum est ac si judicaretur probus. Ratio est, quia nemo sine sua culpa condemnandus est, aut in suspicionem trahendus, vel communibus vitæ socialis necessitudinibus privandus. Neque tamen tenemur in tali dubio caput nobis frangere, ut absolutè judicemus talem hominem esse probum; quia tale judicium plerumque esset falsum, & consequenter speculativè loquendo semper temerarium. Solùm ergo obligamur dubia talia contemnere, & ita nos gerere erga proximum, ac si illa menti non obversarentur, & hoc modo quoad praxim & vitæ civilis usum ita cum eo agere, ac si probus haberetur. Hoc modo omnia ejusmodi dubia in meliorem partem sunt interpretanda.

Quomodo dubia interpretāda sint, quando homo prodit signa nequitiæ?

40. At si homo prodat signa suæ nequitiæ, & per illa dubiam reddat suam probitatem, tenemur quidem eum non temerè judicare, nec eum ex mala affectione leviter condemnare, sed judicium absolutum suspendendum est, donec, re sufficienter considerata, constiterit, signa illa esse aut certa aut probabilia nequitiæ indicia; quo habito, non tenemur ea absolutè interpretari in meliorem partem, sed licitè judicamus eum esse malum, per adhæsionem judicii proportionalem motivo, cui innititur. Quòd si indicia illa non reddant malitiam probabilem, sed solùm suspectam, non tenemur ita fidere tali homini, sicut aliis; sed prudentiæ est cautè cum illo agere, & cautè nos aut alios illi fidere, ne fortè malus sit, suaque malitia nobis nocumentum spirituale vel corporale afferat. Cæterùm nemo conqueri potest, si alii in tali casu dicta ratione cum ipso agant, cùm ipse, per opera sua minùs honesta minúsque prudentia, signa suæ malitiæ ac imprudentiæ dederit.

Opera bona & indifferētia in meliorem, sed opera mala in malam partē sunt interpretāda.

41. Hæc explicatio multum affinitatis habet cum doctrina Angeli, Silvestri, aliorumque veterum Summistarum docentium, omnia opera ex se bona vel indifferentia semper in meliorem partem esse interpretanda, scilicet ea esse rectè facta. E contra verò, opera ex se mala non in meliorem partem interpretanda esse, sed habenda pro malis. Ratio est, quia opera bona & indifferentia plerumque fiunt benè & ex motivo aliquo honesto. E contra opera ex se mala plerumque fiunt sine titulo sufficientis excusationis. Unde sicut esset imprudentiæ priora interpretari in deteriorem partem, ita pariter esset imprudentiæ posteriora in bonam partem interpretari.

Exceptio Celladei male fundata.

42. Doctrinam hanc, optimam sanè ac planè rationabilem, Celladeus carpit, tum quia Summistæ non explicant quid faciendum, quando dubium est, an quis talem actionem fecerit? tum quia non teneor ad actionem indifferentem in meliorem partem interpretandam; nam si videam aliquem facientem actum indifferentem, possum sanctè dicere, illum facere actum indifferentem.

Verùm Summistæ immeritò carpuntur, quia non tenentur in omni sua resolutione omnem imaginabilem difficultatem de re proposita exhaurire; sed dicunt quæ sciunt, tacent quæ nesciunt. Itaque eo loco non loquuntur de interpretatione eorum, de quibus dubitatur an sint facta, sed declarant quid judicandum sit de iis, quæ constat esse facta, quando vocatur in dubium, an benè vel malè sint facta? quam quæstionem adæquatè & prorsùs rationabiliter resolvunt. Cæterùm secūda impugnatio Celladei est prorsùs falsa; quamvis enim videam hominem ponere operationem indifferentem in specie, tamen nec prudenter nec sanctè possum interpretari illam actionem esse indifferentem in individuo, quia tale judicium imprudens est, cùm oppositum plerumque contingat. Adeo enim facile & obvium est finem bonum actioni indifferenti applicare, ut rarò contingat talem operationem non esse bonum in individuo.

Quæ pro fautore non fabricanda, aut bona ficta, in dubio pro reo interpretanda sunt.

43. Demum omnia prorsùs dubia interpretanda sunt in meliorem partem, quando rationabiliter præsumi potest, quod aut non sint facta, aut certè quod non sint malè facta. Sic Auctores communiter docent, omnia hominis valde scrupulosi dubia in meliorem partem esse interpretanda, sive dubium sit de præteritis & factis, v. g. an dederit consensum? an conscientiam formaverit? an Psalmum talem recitaverit? &c. sive de futuris & faciendis, an hoc vel illud sit peccatum? &c. quia in his omnibus ex ipso dubio præsumere potest, se non errasse in præteritis, nec erraturum in futuris, quamdiu non scit se peccasse, aut peccaturum esse in tali opere. Ratio est, quia scrupulosi, ob morbum animi, ita affecti sunt, ut, quoties errant, certò sciant se errasse, & sæpe credant se malè fecisse, quando partes suas benè egerunt. Similiter de agendis, satis sciunt quæ sint mala. Unde ex ipso dubio probabiliter judicare possunt, illud, de quo dubitant, non esse malum. Cæterùm per hanc interpretationem hujus regulæ, sicut per aliquam ex aliis quas attulimus, dubium solvitur, ideoque non manemus in casu dubii propriè sumpti. Verùm hoc ideo evenit, quia regula hæc non merè extenditur ad dubia quæ manent dubia, sed eò tendit, ut dubitationem tollat per interpretationem favorabilem in meliorem partem. Quod hîc quoque factum vides. Itaque regula ista minùs opportuna est ad quæstionem præsentem, in qua supponimus dubium manere. Sed ad hoc etiam in aliquibus casibus deservit, ut constat ex dictis.

Ratio dicitur obligatio interpretandi dubia in meliorem partem, quando agitur de proximo? Re. spondeo, illam fundari in eadem illa regula juris naturalis, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Unusquisque enim vellet dubia de se favorabiliter interpretari. Justum ergo est, ut similia aliorum dubia & ipse in partem meliorem interpretetur.

Regula ista explicatur.

45. Ex his infertur, regulas istas sibi non contradicere, quia prima regula, de tutiori parte sectanda in dubio, respicit ipsum operantem: reliquæ duæ directè loquendo solùm respiciunt alios. Præterea prima regula agit de dubio practico, in quo nulla est dubitatio de obligatione sectandi tutiora, sed in utroque foro constat de obligatione taliter dubitantis. At

quando

quando constat de tali obligatione, non est locus pro aliis regulis; quæ proinde huic non contradicunt, nec possunt contradicere. Jam duæ posteriores regulæ nullam inter se repugnantiam habent, sed una potius juvat ad confirmandam alteram, ut satis constat ex dictis.

ASSERTIO III.

Duæ posteriores regulæ sæpe inserviunt ad dirigendum ipsum operantem, ut conscientiam debitè formet. Propositum autem sit declarare, quandò ad hoc conducant.

Regulæ favendi reo, & dubia in meliorem partem interpretandi sæpe inserviunt ad cõscientiã ritè formãdam.

46. PROBATUR assertio contra Celladeum, qui tenet, istas regulas ad conscientiam applicari non posse. Probatur, inquam, quia sæpe versamur in tali dubio, in quo judex ex vi dictarum regularum nos liberare deberet, etsi omnia, quæ sunt in conscientia nostra, illi manifestarentur. At in tali casu regulæ illæ æquè serviunt nobis ac judici ad formandam conscientiam, quòd non teneamur subire talem pœnam, aut privare nos tali re; &c. Ratio est, quia forum externum & internum non differunt, nisi quando externum nititur præsumptione, quæ in foro interno scitur esse falsa. At extra talem casum nulla est diversitas in utroque foro, nisi quòd judex externus teneatur sententiam ferre in favorem rei; in foro autem interno reus potest cedere jure suo, qui proinde non tenetur, potest tamen in proprium favorem sententiam dicere, atque ita se ab onere liberare. Et sanè, quando perspicuum alicui est, se in tali dubio constitutum esse, ut judex omnium, quæ sunt in conscientia ipsius, conscius, sententiam favorabilem pronunciaret, eidem parite? perspicuum est, se eodem fundamento nixum, posse simile judicium formare. At judex movetur dictis regulis. Ergo & privatus homo eisdem moveri potest ad conscientiam suam debitè formandam. Ergo regulæ illæ utiles sunt non solùm pro foro externo, sed etiam aliquando pro interno; & quidem in omni casu, in quo forum externum reum liberaret, si omnia, quæ habet in conscientia, certè constarent in foro externo. E contra verò, si judex me damnaret ad partem tutiorem, si omnia quæ habeo in conscientia essent manifesta, tunc per se loquendo teneor ad sectandam partem tutiorem, nec ab hoc onere alia ratione liberari possum, nisi quia in aliquibus casibus jus positivum aut ratio naturalis dictat, me non teneri ad me ipsum condemnandum ad talem pœnam, donec damner ad illum per sententiam judicis.

47. Ex his infertur 1. difficultates, in quæstionis introductione propositas, nullius esse momenti, cùm regulæ istæ versentur circa diversa objecta, diversasque circumstantias. Itaque manifestum est, difficultates illas per dicta esse solutas.

Celladeus reus est cẽsuræ, quàm nobis objecit.

48. Infertur 2. Celladeum non solùm concordiam, sed etiam sensum harum regularum insufficienter explicuisse; ac proinde eum sine sufficiente fundamento jactasse, nos nostram de illarum concordia nescientiam prodere, nec posse eas in nostris principiis concordare, cùm omnia è contrario se habeant; omnes enim facillimè conciliantur, nec ulla invenitur umbra repugnantiæ inter illas. Interim judicet Lector, an ipse reus sit censuræ, quàm aliis inussit, cùm nec sensum illarum, nedum earum concordiam sufficienter declaraverit.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA-SEXTA.

Vtrùm, & cur in dubio melior sit conditio possidentis, saltem in materia Iustitiæ?

Quid teneat Celladeus.

1. QUÆSTIONEM hanc ex professo tractat Celladeus *lib. 4. tract. 12.* in qua, communi Theologorum sententiæ subscribens, asserit titulum possessionis ita prævalere in materia Justitiæ, ut ratione illius possessor præferendus sit, nec ullatenus teneatur se re sua privare ob dubium ortum, utrùm spectet ad alium. Verùm contendit, id ideo præcisè licere, quia ipse titulus possessionis tollit dubium, & reddit probabile, quod res ad possessorem pertineat. Ego quæstionem etiam excutiam, & veritatem, ut potuero, elucidabo, atque hac occasione convellam Celladeum, ubi illum à communi veraque sententia recedentem invenero.

ASSERTIO PRIMA.

Possessor bonæ fidei licitè retinet rem suam sibi integram, nec eam tenetur dividere, quamvis postea dubitet, an ad alium spectet; modò post ortum dubium sufficientem diligentiam adhibuerit ad inveniendam veritatem, & post diligentiam præmissam res adhuc maneat dubia.

2. HÆC est communis Theologorum sententia, cui paucis demptis, reliqui subscribunt. Loquuntur autem expresè de possessore bonæ fidei, quia sola possessio bonæ fidei titulum trahit. Exigunt autem ut, orto dubio, sufficientem pro scienda veritate diligentiam adhibeat,

habeat, quia alioquin temerè faceret retinendo rem, quam fortè sciret ad alium pertinere, si veritatem investigaret. His positis, probatur multipliciter. Primò, hoc traditur in *65. regula Iuris in 6.* ubi sic habetur. *In pari delicto vel causa melior est conditio possidentis.* Causa dubii expositi est par causa respectu possidentis, & alterius de cujus dominio in rem illam dubitatur. Ergò potior erit conditio possidentis, quæ certè potior non esset, si re illa seipsum privare, aut illam dividere teneretur. Ergò licitè eam retinet, nec eam tenetur dividere. Secundò, talis possessor in nullo foro externo spoliaretur sua possessione ob dubium, utrùm res ad illum an ad alium pertineat. Ergò non est spoliandus eâdem in foro interno, quia idem servandum est in utroque foro, quando forum externum non nititur falsa præsumptione, quali certè in hoc casu non nititur, cùm supponamus eadem omnia constare in utroque foro. Adde judicem fori externi in hoc casu rectum & justum judicare, jus suum cuique tribuendo, hoc enim facit, quoties officio suo non deest. Ergò justum & rectum est, ut possessor retineat rem suam in dubio. Ergò ipse ita judicans & faciens, rectum judicat, & justum facit. Tertiò. Quando partium jura sunt obscura, reo potiùs favendum est quàm actori. At possessor est reus, & non possessor prætendens est actor, & in dubio hoc jura sunt obscura. Ergò possessori favendum est contra actorem. Et sanè in criminalibus certum est, quòd reo in tali casu favendum sit. Ergò etiam in civilibus, quia regula juris æqualiter pronunciat de omnibus. Hæc sufficienter probant rem ita se habere; verùm Celladeus illis satisfieri noluit, nisi etiam ulteriùs indagaret causam, ob quam res ita se habeat. Sit ergò

Poss. ssor bonæ fidei omnibus prefertur in dubio.

ASSERTIO II.

Propositum sit exponere rationes, ob quas in pari causa melior sit conditio possidentis.

Cur conditio possidentis sit melior in dubio?

3. PRIMA & potissima ratio à priori hujus rei ex eo desumitur, quòd in casu præsenti possessor simpliciter habeat jus majus ad rem illam, quàm non possessor. Quamvis enim titulus dominii ex æquo utrique faveat, cùm pro utroque par sit ratio dubitandi, tamen titulus ac jus possessionis favet soli possessori. Non est autem æquum, illum privari hoc titulo ob exceptionem dubiam, quæ æquè favet ipsi, ac competitori, ut contingit in casu dubii. Hinc fit, ut in omni foro conditio possidentis, cæteris paribus, melior sit conditione non possidentis.

Ratio 1.

Ratio 2.

4. Secunda ratio, quæ Celladeo mirè arridet, desumitur à Cardinali Pallavicino *de Act. humi. disp. 9. quæst. 4. art. 3.* & à Bressero *lib. 4. cap. 3. num. 22.* & sic se habet. Expedit reipublicæ, ut possessor in dubio non privetur re possessa, quæ in casu dubii non potest transferri in non possessorem sine turbatione quietis publicæ. Hinc est, quòd, cæteris paribus, leges semper faveant possessori & consuetudini. Præterea nunquam eligitur aliquid in republica, si non existimetur esse melius eo, quod antea erat in usu; frustra enim immò noxiè, & cum turbatione pacis, mutatio fieret, si non fieret in melius. At non est meliùs possessorem privari re sua ob dubium, quod non favet magis alteri quàm ipsi. Imò meliùs est, ut maneat sicut est, cùm possessor habeat titulum, quo alter caret. Hæc & hisce similia dicti Auctores afferunt. Quæ certè congruè afferuntur, & aliquid lucis afferunt, quamvis, si omnia bene inspiciantur, ratio hæc videatur fundari in priori.

5. Celladeus hiscè addit primò, quòd plus requiratur ad auferendum aliquid ab alio, quàm ut ille eam sibi retineat, & alteri non det. Ergò nil potest auferri à possidente propter dubium, ut alteri detur; alioquin non plus requireretur ad auferendum, quàm ad retinendum, seu ad alteri non dandum. Addit secundò, quòd talis mutatio non habeat causam finalem, quódque ideo fieri non debeat.

Alia ratio

6. Hæ rationes Celladei bene procederent, si ageretur de re, quam constaret ad aliquem pertinere ut propriam; quia in tali casu plus requiritur ad rem illam à Domino auferendam, quàm ut ipse eam retineat, & alteri non det. At si agatur de non auferenda sed retinenda, seu non danda re, de qua dubitatur, an ad hunc vel illum pertineat ut propria, oportet aliundè probare, quod plus requiratur ad illam auferendam à possessore, quàm ad illam non dandam actori, sed sibi retinendam. Alioquin contendet quis, ipsum jus dubium postulare, ut partes inter se conveniant, & rem inter se partiantur. Similiter contendet, quòd tantum sufficiat ad auferendam rem à prætenso Domino, quantum sufficit ut illam non det. Nam ratio illam non dandi fundari debet in carentia juris alieni ad illam; similiter & ratio illam non auferendi fundari debet in eadem carentia, alioquin dari debet alteri, & à priori auferri. Cur autem idem non contingit in dubio? Certè nisi hoc aliundè probetur, non apparet esse verum. Ergò hæc ratio insufficiens est, nisi resolvatur in aliam. Secunda autem Celladei ratio minùs valet, quia statim apparet causa finalis talis mutationis, nempè ut vitetur periculum violandi juris alieni, quòd vitari non potest in tali dubio, nisi partes inter se conveniant, & quisque partem valoris accipiat.

Ratio 3.

7. Tertia ratio elicitur ex dictis, quia jus cujusque completur per legem absolutè faventem uni, & gravantem alium, ut traditur, ubi agitur de natura juris. At jus dubium, seu lex dubia, nullam habet vim obligandi, ac proinde non obligat. Ergò in hoc casu neuter ad quidquam tenetur præcisè ex vi juris dubii alteri faventis. Ergò ex eo capite non tenetur possessor ad quidquam dandum actori. Itaque in hoc casu absolutum jus dominii directè obligans neutri parti favet. Ergò recurrendum est ad jus reflexum. At hoc tamdiu solùm æquè favet utrique parti, quamdiu cætera sunt paria, quo in casu res dividenda est inter eos, si neutra pars possideat, ut omnes fatentur. Verùm si cætera non sint paria, sed una pars sit possessor bonæ fidei, pars illa habet directum & absolutum titulum, seu jus possessionis ad rem illam, ac proinde jus reflexum debet illi favere, & gravare alterum, quia jus reflexum non potest onerare illum, qui ex vi juris directi præfertur. Ergò possessor ex nullo jure directo aut reflexo obligatur ad se privandum re possessa. E contrà, tam jus possessionis directum, quàm jus reflexum, directo illo jure subnixum, dat illi prælationem & potestatem ad rem illam retinendam, eaque utendum, atque etiam ad ipsam alienandum, eo modo, eaque restrictione, quam Auctores communiter requirunt ad usum & alienationem rei possessæ, stante dubio circa legitimum rei dominium.

SOL-

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

8. OBJICIT primò. In dubio tutior pars est tenenda. At tutior pars est, si res restituatur, aut certè per conventionem vel sententiam judicis dividatur; quia alioquin homo exponitur periculo habendi alienum, & prorsùs casualiter se habet ad violandum & non violandum præceptum.

Tutius est Judici & actori relinquere rē in manu possessoris, in casu dubii.

Respondeo, argumentum procedere posse vel de judice, vel de actore, vel de reo, seu possessore. Si de prioribus procedat, tutius est, ut relinquatur res in manu possessoris, qui sine manifesta juris possessorii violatione adigi nequit ad cedendum sua possessione. Itaque tam judex quàm actor peccaret, si rem à possessore in casu dubio exigeret. Præterea si judex cogeret rem dividi, haud dubiè privaret alterutrum jure suo, cùm res supponatur integrè ad alterutrum spectare. At hoc inconveniens (si tamen sit inconveniens, ut prætendit objectio) non incurritur, si res relinquatur in manu possessoris, quia fortè nemo privabitur jure suo; & certum est, quòd possessor non privetur sua possessione, & jure ad eam, quo, & ipse privaretur, si ad alienandam rem adigeretur, & alteruter etiam sui dominii jacturam certè pateretur, si res divideretur.

Possessori tutius est rē dividere aut alienare.

9. Quod si loquamur de ipso possessore, esset quidem tutius respectu illius aut totam rem alienare, aut cum actore pacisci, remque in contractu dividere. Verùm ad hoc non tenetur, quia tutius solùm ex necessitate tenendum est in dubio practico, non autem in dubio speculativo, quando scilicet adest rationabilis causa formandi conscientiam, quòd liceat rem sibi retinere, non obstante dubio remoto. At in casu nostro adest talis ratio fundata in titulo possessionis, ut dictum est, & ex eo probatur, quòd judex, totius rei conscius, nec debeat, nec possit possessorem privare re illa. Unde sequitur, possessorem non obligari ad se illâ privandum, quia si ille ad hoc teneretur, deberet judex ad hoc illum obligare, quia utrumque forum in tali casu eodem modo judicat.

Casualitas possidendi alienum vel suum non obstat possessori in dubio.

10. Demum, etsi in hoc casu casuale sit homini habere alienum vel suum, non tamen per hoc exponitur periculo violandi ullam legem absolutè obligantem, vel habentem vim legis; cùm hîc & nunc nulla detur ejusmodi lex respectu hominum versantium in tali dubio, ideoque citra periculum peccati homo se tali casui exponit; quia satis constat, nullam dari legem obligantem possessorem pro ista circumstantia dubii, in qua proinde constat, retentionem rei esse licitam.

Non obligatio legis dubiæ manifestè apparet in dubio possessoris.

11. Et sanè vel hinc colligere potest Celladeus, quàm longè à vero recesserit, quando negavit, conscientiam formari posse, in casu dubii vel probabilitatis paris, per legem non sufficienter promulgatam vel applicatam. Profectò nil clariùs, quàm legem faventem vero Domino in hoc casu non esse sufficienter applicatam ut quemquam obliget. Lex enim illa in hoc casu non magis favet vero Domino, quàm falso, quia post omnem diligentiam adhibitam, dubium manet, an huic vel illi faveat, an hunc vel illum gravet. Ergò non potest magis favere vero Domino, quàm falso. At falso non favet, cùm ex sua essentia illum gravet, nec possit illi favere, aut ullam obligationem in favorem illius inducere. Ergò neque potest vero Domino favere, aut quemquam obligare in favorem ipsius; non ex defectu legis (datur enim lex vero Domino favens, & omnes alios gravans) sed defectu promulgationis & applicationis debitæ. Et quidem hoc quoque notandum est contra Celladeū, quòd doctrina ista locum habeat in materia juris naturalis, quia præsens quæstio ad jus naturæ pertinet, cùm jure naturæ suum cuique reddere teneamur.

Lex absolutè obligans ad non cōtrectādum alienū consequitur ad jus acquisitum.

12. Porrò, si loquamur de lege vel jure absolutè favente Domino, & absolutè gravante alios, idem de illa dicendum est, quod *quæst. superiore* in fine diximus de voto, scilicet, omnem absolutam obligationem talis legis dependere à jure acquisito, ac ad illud consequi. fingamus enim neminem habere jus acquisitum ad quidquam; profectò in tali casu lex illa, *Alienum nec auferas, nec retineas non consentiente Domino*, futilis esset, & de subjecto non supponente, si sumeretur ut lex absoluta, quia nil absolutè vetaret, cùm nemo esset Dominus ullius rei, nec quisquam impediretur à capienda & retinenda re quavis illi obvia. Itaque talis lex ad summum esset conditionata, ideoque nullam ex se obligationem absolutam afferret, sicut lex solvendi votum per se nullam affert obligationem. Verùm si homo semel acquisivit jus, quocunque tandem modo illud acquisivit, consequenter ad illud Deus absolutè obligat omnes ad non utendum re ulla, invito Domino. Et hæc est voluntas Dei, à qua omnis absoluta obligatio non contrectandi alienum invito Domino dependet. Verùm sicut hæc lex supponit jus acquisitum, ita subit omnes exceptiones & variationes, quibus jus ipsum subjacet. Si enim jus sit certum, certum pariter erit, legem hanc dari & favere Domino: si jus sit dubium, dubium etiam erit, an talis lex existat. Itaque dubium facti in hoc casu, non aliter quàm in casu voti reducitur ad dubium juris. At jus dubium non obligat; nullum proinde periculum est peccandi seu violandi legem obligantem, etsi sit periculum retinendi id, quod verè est sub dominio alterius, & sit prorsùs casuale, an res ex vi dominii acquisiti spectet ad possessorem potiùs quàm actorem. Et sanè hæc videtur esse ratio maximè fundamentalis, ob quam in istis omnibus aliisque similibus nullum sit periculum peccati, seu offensæ divinæ, quia nullum est periculum transgrediendi ullam legem obligantem, seu exercentem vim legis.

Objectio 2.

13. Objicit secundò. Titulus possessionis non sufficit conjugi ad petendum debitum in dubio matrimonii, ut constat *ex cap. Inquisition. de sent. excom. & ex cap. Dominus de secundis nuptiis.* Ergò neque sufficit ad retinendam rem possessam in dubio an spectet ad alium.

Titulus possessionis nō tantùm facit in ordine ad usum matrimonii, sicut in ordine ad usum aliorum rerum.

Respondeo, quidquid sit de antecedente (quod negatur à multis expressè docentibus, possessorem bonæ fidei posse licitè petere debitum in dubio de valore Matrimonii, si post debitam diligentiam dubium solvi non possit) negatur consequentia. Disparitas est, quia ante omnem nostrum contractum datur lex absolutè vetans omnem copulam, donec contractus matrimonialis legitimè initus fuerit. Hæc lex est in possessione ante omnem omnino contractum; & semper obligat ne copula exigatur, donec sufficienter constiterit, debitum peti à legitimo conjuge. Hoc autem non constat in dubio. Ergò in dubio obligatur conjux ad non petendum debitum. Nec mirum, quia hæc lex certò existens, certoque obligans, eodem prorsùs modo extenditur ad non exigendum debitum in dubio, ac in persuasione quod Matrimonium sit nullum. At omnia

contrario se habent in casu præsenti? quia quando agitur de dominio rerum, non constat quòd detur ulla lex absolutè favens actori, & gravans possessorem bonæ fidei, ne rem illam retineat, cùm omnis ejusmodi lex sit æquè dubia, ac est ipsum jus seu dominium. Ergò nulla datur obligatio in hoc casu, licèt detur in alio.

Objectio 3. 14. Objicit tertiò. In casu opinionis hinc inde probabilis de dominio rei, possessio non favet possessori, quia licet uti opinione probabili contra possessorem, saltem in foro interno, & quod consequens est, etiam in foro externo, quod non discriminatur ab interno, nisi quando forum externum nititur præsumptione aliqua, quæ in foro interno scitur esse falsa. Ergò possessio non favet in dubio, quia vix ullum aut omnino nullum dubium est, in quo desint opiniones, Advocati, allegationes, & textus; sicut in foro interno non desunt confessarii, probabilitates, & opiniones.

Respondeo, regulam juris expresè tradere, quòd in pari causa melior sit conditio possidentis. Par autem causa est non solùm quando res dubia, sed quando rationes, auctoritates, & opiniones utrique parti faventes, sunt hinc inde æquales. Eædem enim rationes æqualiter procedunt pro hoc casu, ac pro casu dubii. Quòd si opinio aliqua alicui videatur probabilior opinione oppositâ, causa non est omnino par; ac proinde regula juris, prout jacet in terminis, non ita servit in hoc casu, sicut in casu dubii, aut causæ paris. Cæterùm cùm antecedens sit falsum, consequentia est nulla. Præterea doctrina consequentis est falsa, quia etsi in omni fermè dubio inveniri possint advocati, qui textus allegent, &c. certissimum tamen est, non omnes ejusmodi advocatos cum suis allegationibus reddere partem illam probabilem cui student, sed rem, omnibus illis conatibus præmissis, adhuc apud æquum rei æstimatorem manere dubiam. Itaque certum est, regulam hanc frequentissimè locum habere in utroque foro; nos autem non loquimur nisi de casibus, in quibus regula locum habet.

Favendum est poss. sori non minùs in æquè probabilibus quàm in dubio.

ASSERTIO III.

Possessio bonæ fidei non solvit dubium de dominio rei, nec reddit possessorem certum, aut probabiliter securum, quòd dominium rei sit penes ipsum.

Titulus possessionis non sufficienter probat rem ad possessorem pertinere in casu dubii.

15. ASSERTIO hæc est expresè contra Celladeum, qui *in hac quæst.* ex professo contendit, quòd possessio ideò præcisè faveat possessori, quia solvit dubium; adeo ut regula de sequenda parte tutiori procedat in sensu composito dubii; regula verò de meliori conditione possessoris, intelligenda sit in sensu diviso dubii. Hoc præmisso.

Probatur 1. Titulus, in cujus sensu composito dubium supervenit, non solvit dubium; quia si solus ille titulus solveret dubium, idem solus dubium arceret. Et sanè hæc propositio certa est apud Celladeum, qui supra *quæst.* 51. omni nisu contendit, solam rationem dubitandi non sufficere ad solvendum dubium. Atqui possessio est titulus, in cujus sensu composito supervenit dubium de dominio rei possessæ; nam loquimur solùm de dubio apud possessorem bonæ fidei; nemo autem possidet bona fide, si ab initio dubitet, an res, quam possidet, sit aliena. Itaque loquimur de eo, qui possedit rem bona fide, antequam dubium de dominio oriretur; & consequenter sermo est de dubio, quod supervenit possessioni, sine ulla dubitatione inchoatæ. Ergò possessio non est titulus, qui dubitationem illam solvat, aut solvere possit, idque verum est ex mente expressa Celladei, qui proinde in his assertis inconsequenter locutus est.

Ratio 2.

16. Probatur 2. Si possessio se sola solveret dubium, eo ipso quòd quis possideret rem, probabiliter crederetur verus Dominus illius, & consequenter absque ullo examine præsumendus esset habere verum dominium in rem illam. Ergò non teneretur ulteriùs rem examinare, quia non est cur quisquam, qui rationabiliter præsumitur Dominus, teneatur ulteriùs examinare suum titulum ob merum dubium, quod nullam secum probabilitatem affert pro illa parte, nec ullam partis contrariæ probabilitatem aufert. At in omnium sententia possessor, si dubium oriatur, tenetur veritatem investigare. Unde duo inferuntur. Primum, quòd titulus possessionis in tali casu nil faciat ad jus, quod quæritur. Jus enim quæritur non solùm independenter à possessione, sed etiam contra ipsam possessionem, quæ supponitur, non quæritur. Alterum, quòd titulus possessionis non sufficiat ad probabiliter æstimandum, verum rei dominium ad possessorem pertinere, & consequenter, quòd possessio non sit argumentum sufficiens ad solvendum dubium de dominio.

Ratio 3.

17. Probatur 3. Possessio est prorsùs indifferens, ut conjungatur vel non conjungatur cum dominio; constat enim nos sæpe possidere quæ nostra non sunt, & multa esse nostra, quæ non possidemus. Ergo titulus possessionis nil prorsùs facit ad credendum, quòd dominium sit penes possessorem. Generalis enim regula est, quòd prædicatum, ex se prorsùs indifferens ad utramque partem contradictionis, nil conferat ad quæstionis decisionem; sicut si quæramus, utrùm Petrus sit in foro, ad hoc nil confert quòd sit armatus, quia esse armatum nullam habet connexionem cum esse in foro, nec esse in foro cum esse armatum. At talis est casus noster. Imò quamvis prædicatum possessionis esset genus ad jus & dominium, quod tamen verum non est, adhuc tale prædicatum nil prorsùs conduceret ad inferendum dominium, sicut animal, quod est prædicatum genericum, nil prorsùs conducit ad determinandum, an animal, quod à longè video, sit homo vel brutum, quia tota illa notio ob suam universalitatem est prorsùs indifferens ad utramque partem contradictionis.

Possessio ab initio non probat jus.

18. Sed ut res extra omne dubium fiat. Titius absens instituatur à Sempronio hæres. Veniat Titius, ut possessionem hæreditatis capiat; capiat autem eam legitimè hac hora determinata. In hoc casu sic arguo. Evidens est, possessionem initam hac hora nil prorsùs conducere, ut verum jus ac dominium rerum possessarum certiùs credatur ad illum pertinere, quàm credi poterat unâ horâ antè, priusquam possessionem inierat. Ratio est, quia omnis titulus, ex quo probari ac præsumi possit verum jus, præcesset possessionem bona fide initam, ut patet. Sicut ergò possessio primùm inita nil ad hoc conducit, sic nec possessio continuata quidquam juvat ad ipsum probandum, nisi eousque continuata fuerit, ut novus titulus usucapionis vel præscriptionis post diuturnam possessionem accesserit.

Memorabilis possessio firmata continuatione non probat jus.

cesserit. Jam regula possessionis favet huic homini statim à possessione, quæ tamen illi non favisset, si dubium ortum fuisset ante possessionem; tunc enim relatè ad talem rem non esset possessor bonæ fidei, ut patet. Rursus sic arguo. Si duo moveant simile dubium huic possessori de duabus rebus similibus, unus horâ ante initam, alter horâ post possessionem initam, non est, cur primum dubium sit potentius, quàm secundum, ad persuadendum, quòd jus ad possessorem non pertineat. Primum autem dubium, ante possessionem motum, impedit, quò minùs possessor probabiliter credatur Dominus. Ergò secundum dubium, motum post possessionem, impedit idem judicium. Ergò possessio non est medium aptum ad solvendum dubium de dominio. Ergò falsum est, quòd regula possessionis intelligatur in sensu diviso dubii; indubiè enim intelligitur in sensu composito ipsius.

Ratio 4.

19. Demum sic arguo. Mera possessio, etiam bona fide inita, nec reddit dominium rei possessæ certum, nec probabile. Ergò possessio bonæ fidei non est fundamentum sufficiens ad solvendum dubium, quod rationabiliter solvi non potest, nisi vel per certitudinem, vel per probabilitatem. Probatur antecedens. Inprimis non reddit dominium certum, alioquin nemo unquam possideret alienum. Deinde non reddit illud probabile, quia quamvis possessio integræ hæreditatis, ab antecessoribus pacificè eam possidentibus acceptæ, probabilissimè supponat, plura ex illis bonis pertinere ad jus testatoris & possessoris; & sic in universum magnam præbeat præsumptionem legitimi juris universaliter sumpti circa bona ex hæreditate accepta; nulla tamen datur ejusmodi præsumptio circa bona, de quibus controvertitur, utrùm ad possessorem pertineant, an ad alios? In istis enim frequentissimè invenitur, quòd ad alios pertineant, in aliis utraque pars relinquitur probabilis, & in aliis post omne examen res manet dubia, ut erat ab initio. Ergò titulus possessionis non reddit probabile, quòd talia spectent aut non spectent ad possessorem, sed relinquit totum in eo statu, quo fuisset, si possessio nondum fuisset inita, id est, in statu dubii; quia sicut possessio non obstat, quò minùs alii reclament, & motiva sua urgeant contra possessorem; imò sicut possessio non obstat, quò minùs argumenta habeant eandem vim, quam habuissent, si proposita fuissent unâ horâ vel die ante possessionem initam, aut si possessio inita non fuisset, nisi unâ horâ ante hoc tempus; ita pariter scitur, quòd merus titulus possessionis adjectus nil prorsùs faciat ad probandum, quòd verum jus resideat apud possessorem. Imò si præsumptionibus agendum sit, contrarium potiùs præsumendum est, quia moraliter impossibile est, quin in magna hæreditate hominis divitis & negotiosi plurima ad alios spectantia reperiantur. Ergò præsumendum est ita contingere. At ea sunt, de quibus datur ratio dubitandi, non ea, de quibus nulla talis ratio datur. Ergò possessio nil prorsùs facit ad solvendum dubium, ad quem rei dominium spectat, sed id totum independenter à titulo possessionis probandum est.

Possessio nō est probabile argumentum juris.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

20. OBJICIES primò. Omnes fatentur possessionem in casu dubii prævalere, præponderare, ac inæqualitatem facere. At hoc non faceret, nisi solveret dubium, & ad conscientiam debitè formandam juvaret.

Possessio nō probat, sed dat jus retinendi rem in dubio.

Respondeo, possessionem prævalere in dubio de dominio, quod certè arguit prævalentiam possessionis reperiri, stante non sublato dubio. Prævalet ergò non quia probat possessorem esse verum Dominum rei, sed quia ipsamet est novus titulus, qui tribuit jus possessori, ne privetur re semel bona fide possessa, (sive illa sit sive non sit sub suo vero dominio) donec plus afferatur contra se, quàm ipse habeat pro se. Itaque in isto casu duo dubia sunt solvenda; primum est dubium speculativum de dominio, ad quem spectet; secundum est dubium practicum conscientiæ, utrùm scilicet liceat possessori retinere rem possessam, non obstante dubio, an dominium ad se vel ad alium pertineat. Possessio nil facit ad solutionem primi dubii, juvat tamen ad solutionem secundi, & ideo titulus possessionis prævalet omni titulo, qui competit non possori in casu dubii.

Objectio 2.

21. Objicitur secundò. Possessio aliquid facit ad suitatem, ac ad dominium rei, quia diuturna possessio juvat ad acquirendum dominium perfectum, titulo præscriptionis, vel usucapionis, quod totum fit, quia diuturnitas illa est continuata quædam adjectio priori dominio quali quali in ipsa possessione fundata. Ita Celladeus §. *ultimo*.

Possessio juvat ad novum jus acquirēdum, sed non juvat ad probandum jus antecedens.

Respondeo, possessionem multùm facere ad acquirendum dominium in posterum per usucapionem vel præscriptionem; æquum enim fuit leges condi, per quas dominium rerum transferretur in possessorem post tantum temporis legitimæ possessionis; alioquin rerum dominia fuissent nimis incerta. Jam ad dominium hac ratione acquirendum, multum conducit possessio, cùm sine illa dominium tali via acquiri nequeat. Cæterùm, nisi tales leges exstarent, possessio nulla ratione juvaret ad dominium, sicut ante illas non juvabat. Ex quo infertur contra Celladeum, possessionem ex se nil facere ad habendum rerum dominium, quia tunc non opus fuisset præscriptione, cùm, independenter ab omnibus legibus statuentibus præscriptionem, sola possessio continuata contulisset dominium. At nos non loquimur de hoc dominio; hoc enim totum simul acquiritur, expleto tempore à legibus statuto, & ante illud nil illius acquiritur; sed loquimur de jure ac dominio ab ipso possessore acquisito ante possessionem initam; constat autem possessionem ad hoc probandum nil prorsùs conducere. Itaque falsum est, quod ipsa continuatio possessionis sit quotidiana novi juris adjectio ad jus qualecumque antecedens; continuatio enim ad hoc solùm juvat, ut tempus præscriptioni faciendæ statutum impleatur; sed ante illius impletionem nullum jus tribuit, vel auget. At post tempus elapsum, rerum dominium novum vi legum acquiritur, & illud tunc adjicitur priori *quali quali dominio*; quod non erat jus ad rem ipsam, sed solùm jus possessionis à vero jure ac dominio rei prorsùs distinctum; cùm sæpe, non obstante possessione, inveniamus jus ac dominium rei ad alium pertinere, cui proinde possessor eam restituere tenetur.

Objectio 3.

22. Objicitur tertiò. Possessio, ut ait Sanchez, affert præsumptionem juris; præsumitur enim aliquam rationem fuisse, cùm quis bona fide, nemine reclamante, cœpit possidere. Ita Celladeus.

Respondeo, jus quidem præsumi antequam

Possessio an & qua ratione afferat præsumptionem juris?

possessio pacifica ineatur, ut acutè & verè dixit Sanchez. Verùm ipsa possessio nullo modo auget hanc præsumptionem, sed sicut eam comitem habuit ab initio, & eandem tamdiu servat, quamdiu nil affertur in contrarium. Cæterùm sicut quodvis dubium præcedens possessionem hanc præsumptionem elisisset, sic etiam quodvis dubium post possessionem exortum eandem elidit; quia præsumptio illa in eo solùm fundatur, quòd cùm pleraque bonorum, quæ possidentur, spectent ad possessorem, præsumendum est quodvis particulare ad eum pertinere, quamdiu nil affertur in contrarium. At ubi aliquid affertur in contrarium, cessat ista præsumptio; quia optimè scimus, plurima sæpe ad alios spectare, ac proinde, orto dubio, non possumus amplius præsumere, ut ab initio præsumebamus. Sed res examinanda est; quòd si remaneat dubia, tunc possessor titulo possessionis præfertur, sive illa res spectet sive non spectet ad alium.

Objectio 4.

23. Objicitur quartò. Possessio aliquando conjungitur cum præscriptione; tunc autem certum facit dominium. Ita Celladeus.

Merus titulus possessionis nil juvat ad probandū jus.

Respondeo, quid hoc ad rem? Præscriptio quidem efficit, ut jus de novo acquiratur, & sic tollit omne dubium in posterum. Unde non amplius tenetur homo solicitus esse, etsi dubia exoriantur de aliquo jure. Verùm præscriptio nec supponit, nec probat jus antiquum fuisse verum. Verùm quidem est, quòd si nemo longissimo tempore reclamet, eo ipso probabilis est apparentia ac præsumptio, quòd jus ad alios non pertineat; quia homines non solent tamdiu negligere sua jura: verùm hoc nulla ratione infertur titulo possessionis, quia si hæres abfuisset in India toto illo tempore, & hodiè injisset possessionem, tota illa apparentia & præsumptio refusa fuisset in longitudinem temporis, non in possessionem, ut patet. Ergò possessio ipsa nil prorsùs ad hoc conducit.

SOLVITUR PRINCIPALIS OBJECTIO, Ac Reflexio Celladei circa hanc regulam.

Objectio 5.

24. OBJICITUR quintò. Regula ista nihil valeret, si usus opinionis æquè ac minùs probabilis esset licitus. Imprimis regula videtur esse de subjecto non supponente; quia in pari causa per nos liberum est opinari. Ergò liberum est æqualem causam inæqualem reddere, & solvere dubium per opiniones; dubio autem soluto, regula locum non habet.

Secundò, unusquisque in pari causa habet in manu sua bonam fidem, seu prudentem assensum, vi cujus ante omnem possessionem potest bona fide incipere possidere. Ad quid ergo juvat possessio?

Tertiò. Possessio ex alio capite nil juvat, quia etsi ponat inæqualitatem, non tamen reddit rem certam. At liberum est opinari minus. Ergò non obstante possessione faciente causam possessoris majorem, tam judex quàm privatus, potest judicare rem pertinere ad actorem. At per hoc cessat regula, quæ non procedit de prudenter opinante rem esse suam.

Quartò, demum hac ratione omnia relinquuntur arbitrio, quia sicut quando sunt quatuor doctores pro hac parte, & quatuor pro illa, utraque est probabilis, & quivis potest prudenter credere cui placuerit; ita pariter erit in causa octo testium æqualium, quorum quatuor aliis quatuor contradicunt; liberum enim erit judici prudenter credere his, rejectis illis. Ergò non est cur in paritate causæ faveatur reo vel possessori, sed omnia arbitrio erunt relinquenda. Ita Celladeus §. 3. postquam in fine §. 2. monuisset, se istam reflexionem iterum atque iterum facere, ut omni diligentia refellat opinionem benignam, docentem usum cujuslibet ex opinionibus contradictoriis æquè probabilibus esse licitum?

Respondeo, Celladeum verè iterum iterumque fatigare Lectorem, sæpiùs eadem repetendo; timeo autem ne & ipse eundem fatigem responsiones easdem iterando; sed venia danda est respondenti, si arguens ad replicandum repetita argumenti propositione urgeat. Sed jam paulatim ad singula. Ad primum, nemo dicit, quòd usus omnis opinionis probabilis sit licitus, sed solùm quod usus cujusvis opinionis practicè probabilis sit licitus, etsi contraria opinio sit æquè probabilis. Hoc stante, etsi sit probabile, rem à Titio possessam esse meam, idque æquè probabile ac oppositum, imò & probabilius, non ideo est probabile, quod liceat eam privata autoritate mihi vendicare. At si æquè probabile sit, dominium rei spectare ad possessorem, poterit ille eam sibi retinere, non præcisè propter hanc speculativam probabilitatem, sed quia simul etiam est probabile, quòd hoc ipsi liceat; quod ex titulo possessionis constat ipsi esse licitum. Hoc posito non tollitur dicta regula, sed stabilitur, cùm per ipsam regulam efficacissimè probemus, quòd ubi intervenit titulus possessionis, liceat sequi opinionem minùs tutam, etsi opposita tutior sit æquè probabilis, quia hic titulus additus illi opinioni non solùm facit illam practicè probabilem, sed aut certam aut longè probabiliorem, & consequenter etiam tutam in conscientia.

Regula ob quas rationes probata.

Non semper licitum probabili uti.

25. Rursus regula non est de subjecto non supponente, neque enim semper liberum est nobis opinari in causa pari. Non est hoc liberum, quando adest causa dubitandi, sed non adest causa opinandi; quod frequenter accidit, maximè in dubio negativo. Non est liberum in sensu compositio judicii comparantis & agnoscentis utramque partem esse æquè probabilem, quod frequenter evenit, maximè quando agimus per testes, & auctoritatem extrinsecam. Tertiò, hoc sæpe non est liberum homini ratione non passione ducto, quia sæpe non adsunt motiva sufficientia ad rationabiliter solvendum dubium, etsi homo per temeritatem uni parti assentiri possit, & quæstionem solvere. At qui taliter solvit dubitationem, non est tutus in conscientia, nisi ad statum dubii redeat, & per ea, quæ talem statum comitantur, se regulet. Porro quamvis in aliis innumeris casibus, simpliciter loquendo, liberum sit quæstionem solvere, tamen liberum etiam est, & sæpenumerò longè facilius illam non solvere. Ergò, stante variabilitate libertatis humanæ, moraliter loquendo, necesse est, nos in istis etiam casibus sæpe hærere dubios. Pro istis ergò casibus, qui profectò sunt innumeri & quotidiè obvii, hæc regula deservit.

Mira & vix intelligibilis Celladei dicta & dicenda.

26. In secundo nulla est difficultas, nisi intelligendi, quid sibi velit Celladeus, qui ludit, seu potiùs se intricat terminis apertè repugnantibus. Quomodò enim possibile est incipere possidere ante omnem possessionem? Non dixerit hoc Oedipus, nisi cum Philosophis ad inceptionem & desitionem extrinsecam & intrinsecam recurrat. Tales autem subtilitates ad res morales non defer-

deserviunt. Præterea si ad hanc distinctionem recurrat, sensus erit, possumus extrinsecè incipere possidere rem, antequam verè possideamus eam intrinsecè; eò quòd possessio nullam habeat inceptionem intrinsecâ, sed solùm extrinsecam. Similia alia ex intricatissima quæstione de natura continui addi poterunt, quibus insistere nolo, quia non sunt ad rem. Et sanè nil juvaret Celladeum hæc objectio, tametsi propositio sensum haberet, & veritatem contineret; quia possessio, undecumque tandem eveniat, inchoanda est bona fide, ut regula locum habeat. Quid ergò refert, quod possit quis incipere possidere ante omnem possessionem? Incipiat vel non incipiat possidere ante possessionem, id nil refert; sed requiritur ut bona fide possidere incipiat. At qui sic incipit possidere, rarò aut nunquam versatur in pari causa cum aliis, quia putat rem possessam ad se solum pertinere. Verùm sæpe post possessionem initam dubium oritur, & aliorum jus apparet tam verum quàm suum. Jam possessio bona fide inita servit pro hoc casu consequente possessionem. Quæ sunt omnibus adeo obvia, ut mirandum sit, Celladeum ad ea non reflexisse. Cæterùm falsum est, quod assumit, scilicet semper nobis liberum esse in pari causa solvere dubium per prudentem assensum; nam oppositum constat ex dictis ad primum. Unde iterum, labente fundamento, totus discursus ruinam patitur.

Possessio reddit titulum possessionis certum, sed dominium relinquit incertum.

27. Tertium argumentum procedit de subjecto non supponente, supponitur enim, quòd possessio juvet ad probandam veritatem dominii, de quo dubitatur, quod est falsum. Hoc posito, possessio reddit jus seu titulum possessionis certum, sed dubium relinquit dominium. Jam verò si contingat, vel judicem vel privatum existimare, dominium non pertinere ad possessorem, aut longè probabilius esse, quòd ad eum non pertineat, tunc quidem regula ista locum non habet; verùm si causa dominii vel apud judicem vel apud privatum sit par, quod frequentissimè contingit, tum locum habet regula; nec est in potestate ullius tollere inæqualitatem, quam possessio ponit, quia, posita æqualitate prætensionis ad dominium, excessus & præponderantia tituli pro possessore est indubia, & evidens. Ergò nemo in isto casu prudenter existimare potest, rem pertinere ad actorem.

28. Ad quartum. Ex nostra doctrina non sequitur, omnia relinqui arbitrio judicum & aliorum; quia si judices, & alii etiam, non ex indebita passione, sed ex ratione, ut obligantur, procedant, non possunt non sæpe dubitare de veritate dominii; & tunc tenentur uti hac regula. Porrò quamvis quivis simpliciter possit fidem dare cuivis ex opinionibus probabilibus, sæpe tamen facta aliqua suppositione non potest, ut dictum est *ad 2.* Præterea moraliter necessarium est, tales suppositiones frequenter intervenire; ideo etiam in opinionibus probabilibus res non ita arbitrio geritur, ut casus paris causæ sæpissimè non interveniat; tunc autem regula locum habet. Cæterùm nemo prudenter operans, absque motivo rationabili, dubium deponere potest; quod tamen motivum sæpe non datur, ut proximè dictum est. Quomodo ergò geruntur omnia ex arbitrio? Verum quidem est, affectum judicis multùm facere, ut pars, in quam propendet, videatur probabilior; sed huic malo obviari non potest, quamdiu judicia hominibus diversæ naturæ, complexionis, & morum committuntur.

Nil arbitrio, sed solùm ratione regulatur, juxta benignam sententiam.

Interim judices tenentur, quantum possunt, ab omni partialitate abstinere, & non ex passione, sed ex sola ratione sententiam proferre. Hoc autem est, sententiam non arbitrio, sed legibus & ratione regulandam esse.

Error, & mala Celladei illatio.

29. Cæterùm errat Celladeus, comparando testes opposita deponentes cum Auctoribus contraria docentibus: quia testes in tali casu nil probant, nec reddunt dictum suum probabile. At Auctores probant, & probabiliter concludunt, non obstante pari aliorum auctoritate, ut ostensum est hîc *quæst. 30. 51. & 52.* Sed quidquid sit de hoc, ultima Celladei illatio, quòd non sit ratio, cur in pari causa faveatur reo vel possessori, est nulla; quia sæpe oritur dubium, & paritas causæ aut evidenter innotescit, aut certè tanta verisimilitudine apparet, ut judex causam habeat parem; tunc autem regula locum habet. Itaque tantum abest, ut reflexio ista aliquid detrimenti afferat benignæ sententiæ, ut argumentum, ex regula favendi possessori desumptum, efficacissimè eam confirmet, &, ni fallor, in dubio ac paritate causæ moraliter certam reddat, idque ex paritate judicis, ut latè probatum est *quæst. 24. de Conscientia probabili.*

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA SEPTIMA.

Vtrùm in pari causa conditio possidentis melior sit in aliis materiis præter justitiam?

Status quæstionis.

1. IN hac parte schola divisa est, aliis affirmantibus, aliis negantibus, titulum possessionis, ejusque privilegium extra materiam justitiæ extendi. Celladeus *lib. 4. quæst. 13.* parti neganti adhæret. Ego *quæst. 23. de Consc. prob.* affirmativam tenui, quam hîc iterum confirmandam, & à Celladei objectionibus vindicandam accipio. Sit ergò

ASSERTIO UNICA.

Privilegiũ possessionis locũ habet extra materiam justitiæ.

Titulus possessionis, ejusq; privilegium in dicta juris regula contentum, non restringitur ad solam materiam justitiæ, sed ad materias aliarum virtutum extenditur.

2. PROBATUR. Inprimis certum est, quòd non in sola materia justitiæ, sed in aliis etiam materiis detur verissima possessio. Sic Beati possident Deum; Superior legitimus possidet jurisdictionem; & unusquisque possidet suam libertatem ad liberè operandum in quavis materia, quæ ipsi non est prohibita. Et sanè qui illegitimè alios hac possessione privaret, peccaret etiam contra justitiam, cùm talis possessio debeatur titulo justitiæ, quamvis objectum, ad quod facultas possessa extenditur, spectet ad alias virtutes. Hæc suppono *ex quæst. 23. de Consc. prob.* tum quia illa ibi sufficienter probata sunt; tum quia Celladeus in hoc difficultatem non habet, sed solùm contendit, possessionem in aliis materiis non obtinere privilegium & vim, quam habet in materia justitiæ. Hoc ergò supposito.

Ratio 1.

3. Prima probatio sumitur ex materia obedientiæ; quia cives licitè sequuntur regem eos ad bellum vocantem, etsi dubium sit, an bellum sit justum, ut expressè traditur in *cap. quid culpatur.* Quod caput sumptum ex Aug. sæpe citatum est in hoc opere. Eodem modo subditus religiosus licitè obedit Prælato quando dubium est, an opus præceptum sit malum; nec alia est hujus rei ratio, quàm quia nec rex nec superior privandus est possessione suæ potestatis dominativæ ac directivæ ob incertã & dubiam exceptionem subditi; quia titulus ac jus possessionis prævalet. Neque excogitari potest umbra disparitatis inter debitum ad obediendum, & debitum ad non auferendam rem à possessore; utrobique enim potestas jurisdictionis ejusque possessio ita se habet ad exigendam obedientiam, sicut dominium seu jus hæreditatis & titulus possessionis ad conservandam rem suo possessori. Certè si nec judex nec actor potest licitè auferre rem à possessore ob dubium exortum, an res ad alium spectet, eò quòd in pari causa melior sit conditio possidentis; neque poterit subditus negare obedientiam hactenus præstitam, eò quòd dubitare incipiat, an res illa sit subjecta potestati ac jurisdictioni sui superioris, quia in pari causa melior est conditio possidentis suam jurisdictionem, quam hactenus in illa ipsa materia exercuit. Idem valet in aliis materiis dubiis.

Possessio, ejusque privilegiũ locũ habent in materia obedientiæ.

4. Rursus quidquid allegari potest pro superiore contra suum subditum, allegatur eodem modo pro possessore contra judicem & actorem. Nam si dicas, obediendum esse in dubio, quia illud est tutius; etiam res possessa conservanda est possessori in dubio, quia illud est tutius. Si dicas obediendum, quia è duobus malis minimum est eligendum, idem clarissimè locum habet in conservanda re possessori suo. Similiter quidquid dici potest contra superiorem, potest pariter dici contra possessorem; si enim superior committat se periculo excedendi suam facultatem, jubendo quòd revera est malum; ita possessor exponit se periculo excedendi suam facultatem retinendo alienum invito Domino. E contra, quidquid dici potest pro possessore vel contra possessorem in ordine ad retinendam rem possessam, & ad disponendum de illa titulo dominii prætensi, & possessionis bonæ fidei, illud idem dici potest pro superiore vel contra superiorem titulo jurisdictionis seu potestatis dominativæ & possessionis bonæ fidei. Nominatim autem, si possessor post diligentiam adhibitam disponere potest de re possessa, quia per hoc non exponit se periculo violandi legem habentem vim legis, quia juxta dicta nulla est lex absolutè obligans, quæ faveat actori; ita pariter superior, si post diligentiam debitam inveniat honestatem rei præceptæ esse dubiam, poterit illud præcipere, quia per hoc scit se nullam legem absolutè obligantem violare, cùm jus dubium non obliget, ideoque scit suam facultatem ac possessionem non magis arctandam ob tale periculum, quàm arctetur in possessore facultas disponendi de re possessa. Uno verbo eadem prorsùs est ratio de titulo possessionis in materia obedientiæ & jurisdictionis, quæ est in materia justitiæ ac dominii. Itaque negari non potest, quin privilegium possessionis extendatur ad alias materias, quàm ad materiam justitiæ. Exemplum hoc est longè efficacissimum; eadem autem ratio valet in aliis casibus, maximè in materia religionis, quando votum est dubium; tunc enim titulus possessionis prævalet pro libertate, quia tota obligatio reducitur ad casum juris dubii, quod nullam obligandi vim continet, ut ostensum est. Etsanè eadem prorsùs argumenta eædemque reflexiones

eodem

eodem prorsùs modo procedunt in materia voti dubii, ſicut in materia juſtitiæ & obedientiæ, maximè in ordine ad non arctandam libertatem humanam in dubio juris, quia titulus poſſeſſionis favens libertati prævalet, ſicut idem titulus in ſimili favet in materia juſtitiæ particularis.

Ratio 2.

5. Probatur 2. Ratio ob quam poſſeſſio prævalet in materia juſtitiæ eſt, quia eo ipſo, quod quis bona fide poſſeſſionem inierit, habet jus ne illâ ſpolietur, niſi aliquid afferatur, quod magis urgeat contra eum, quàm quod ipſi favet. Alioquin homo ſpoliaretur jure certo ac re certò ſua ob exceptionem incertam, quæ non magis alteri quàm ipſi faveret. Hoc autem ipſo lumine naturæ patet eſſe abſurdum. At eadem prorsùs ratio valet in quavis alia poſſeſſione extra materiam juſtitiæ; nam ipſa poſſeſſio, ac jus poſſeſſionis in quavis materia, æquè pertinet ad poſſeſſorem tanquam res propria illius, ac poſſeſſio in materia juſtitiæ; neque enim ex parte poſſeſſionis & juris ad eam conſervandam ulla eſt diverſitas, etſi diverſitas ſit ex parte rei poſſeſſæ; illa enim non ſemper ad juſtitiam, ſed ſæpe ad alias virtutes pertinet. Ergo nemo ſpoliandus eſt ea poſſeſſione, ac jure ad illam continuandam, ob exceptiones incertas ac dubias, quæ non magis favent aliis, quàm ipſi poſſeſſori; proinde titulus poſſeſſionis æquè valet in aliis materiis, ac in materia juſtitiæ. Ergo ſicut in materia juſtitiæ, ita & in aliis materiis, quoties cauſa eſt par, melior eſt conditio poſſidentis. Hæc eſt fundamentalis ratio, ad quam aliæ reduci poſſe videntur.

Poſſeſſio in omni materia æquale privilegium obtinet.

Ratio 3.

6. Probatur 3. Ideo in materia juſtitiæ titulus ac jus poſſeſſionis prævalet in caſu dubio circa dominium rei poſſeſſæ, quia nulla eſt lex abſolutè obligans, quæ faveat actori, & vim legis exercere valeat; ex hoc enim ſequitur, nullum eſſe periculum peccati, ſi res poſſeſſa retineatur, ut in ſuperioribus fusè probatum eſt, quia in tali caſu omnis lex ejuſmodi eſt prorsùs dubia & incerta, quæ proinde vim nullam obligandi habet. Hinc autem ſequitur, neminem privandum eſſe poſſeſſione legitimè acquiſita ob tale periculum, quia nemo ſubdi debet magno certo ac vero malo, ut vitet malum tantùm nomine tenus, illudque non certum, ſed dubium. At hæc ratio locum habet in materia religionis, & in caſu voti dubii, ut oſtenſum eſt quæſt. ſuperiore; quia qui hactenus pacificè poſſedit ſuam libertatem hoc & illud faciendi, non debet illâ privari, & pati onus gravis obligationis, eò quòd repente oriatur dubium, an votum emiſerit; quia ſi poſt omnem diligentiam adhibitam votum maneat dubium, utique omnis lex abſolutè obligans ad abſtinendum à tali opere eſt dubia, & proinde non habet vim obligandi. Ergo nullum eſt periculum peccati veri contra talem legem, ſi opus omittatur; quia peccatum verum repugnat, ubi non eſt lex verè & abſolutè obligans. Itaque videndum ſupereſt, an homines teneantur agnoſcere obligationem, & ſequi partem tutiorem ex vi legis reflexæ, ſicut idipſum quærimus in materia juſtitiæ: reſpondetur autem nos in neutro caſu teneri, ſi habeamus poſſeſſionem rei, de qua quæritur an teneamur nos eâ privare, quia in tali caſu jus poſſeſſionis facit conditionem poſſidentis meliorem; non enim eſt æquum, ut quis ſubeat tantum malum, quantum eſt jactura libertatis, ob ſolum periculum faciendi id quod non prohibetur ulla lege vim legis habente, quodque præſumi non poteſt debitum ex vi legis reflexæ, quamdiu eſt peculiaris ratio poſſeſſionis favens libertati, ut eſt in caſu noſtro; quia homo eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis, à qua proinde detrudi non debet ob titulum reflexum non magis faventem alteri, quàm ſibi. Et ſanè privari poſſeſſione libertatis tantum malum eſt, quantum bonum eſt ipſa libertas. At *libertas omnibus rebus favorabilior eſt*, ut habetur *reg. 122. ff. de regulis juris.* Porro quod dictum eſt in caſu voti dubii, eodem modo valet in omni dubio juris, in quæ proinde titulus poſſeſſionis non minùs obtinet privilegium, quàm in materia juſtitiæ.

Poſſ. ſio cur prævaleat in materia juſtitiæ?

Magnitudo tituli, ſeu juris poſſeſſorii, quanta ſit?

7. Probatur 4. Titulus poſſeſſionis, & jus illum retinendi tanti eſt, ut conjux, probabiliter credens matrimonium eſſe nullum, nihilominus teneatur reddere debitum conſorti petenti, merè ne violet jus poſſeſſionis; quia periculum violandi dominium in corpus, ex titulo matrimonii obtentum, eſt valdè exiguum, cùm probabile ſit, tale dominium non dari; & utcunque illud periculum non eſt comparandum cum periculo fornicationis, inceſtûs, & adulterii, quod probabiliter imminet. Ergo ſolus titulus poſſeſſionis prævalet, & favet conjugi bona fide poſſidenti facultatem petendi debitum. Tanti autem eſt ut non privetur hoc jure, ſeu hac poſſeſſione, ut potiùs quàm conjux tali jure privet conſortem, debeat ſe exponere periculo materialis fornicationis adulteræ & inceſtuoſæ, ſi probabiliter credat matrimonium eſſe nullum, tam ob vitam prioris mariti, quàm ob affinitatem vel conſanguinitatem cum marito contractam. Similiter tanti eſt poſſeſſio bona fide inita ad petendum debitum in dubio de impedimento impotentiæ, ut liberum ſit illi exponere ſe probabili periculo fornicationis, potiùs quàm agnoſcere ſe obligatum ad abſtinendum ab uſu juris acquiſiti per poſſeſſionem matrimonii bona fide initi; non enim tenetur quis abſtinere à petendo debito donec certò conſtiterit illud impedimentum eſſe perpetuum, quod certè non conſtat, quamvis perpetuitas impedimenti ſit probabilis.

Periculum peccati materialis extra materiā juſtitiæ non infringit jus poſſeſſionis.

8. Hinc ſic arguo: Tanti eſt titulus poſſeſſionis, & jus ne quis ea privetur, ut probabile periculum peccati materialis graviſſimi non ſufficiat ad liberum ejus uſum impediendum, idque non ſolùm quando redditio debiti reducitur ad materiam juſtitiæ, ſed etiam, quando petitio debiti procedit in dubio probabili de impedimento impotentiæ; quæ petitio non ſpectat ad juſtitiam, ſed refertur ad ſolum petentem, à quo omitti poteſt abſque ullo periculo injuſtitiæ vel peccati materialis, ut patet. Ergo à fortiori idem univerſaliter valet in poſſeſſione libertatis (qua privari maximum malum eſt) quando cauſa eſt par, & dubium juris non eſt probabile, ſed purè dubium, quod æquè favet uni parti ac alteri.

Judex in nulla materia cōdemnare poteſt ad cedendū poſſeſſioni in cauſa pari.

9. Probatur 5. Tanti eſt in exemplis allatis titulus ac jus poſſeſſionis, ut nemo judex in foro externo rationabiliter poſſet quemquam damnare ad ſubeundam jacturam tanti boni ob exceptiones incertas, non magis actori quàm reo faventes; quia ubi partium jura ſunt obſcura, favendum potiùs eſt reo, quàm actori. At eadem ratio manifeſtè valet non ſolùm in caſibus allatis ex materia obedientiæ ac religionis, ſed univerſaliter in poſſeſſione libertatis. Ergo privilegium poſſeſſionis univerſaliter locum habet in foro externo pro omni materia, quæ cadit ſub veram poſſeſſionem. Ergo etiam in foro interno, quod, juxta

juxta communem Theologorum sententiam, quam Celladeus *lib. 4. quæst. 12. §. 1.* veram appellat, semper concordat cum foro interno, nisi quando forum externum fundatur in præsumptione, quæ in foro interno scitur esse falsa. At nulla est ejusmodi præsumptio in casu præsenti; quia supponimus eadem omnia constare in utroque foro. Ergo sicut privilegium possessionis in casu dubii generaliter prævalet in foro externo, ita in simili casu universaliter prævalet in foro interno.

Inæqualitas, quam possessio tribuit possessori, est par ac similis in omni materia.

10. Probatur 6. ex iis, quæ Celladeus ipse admittit. Privilegium possessionis ideo locum habet in materia justitiæ, quia facit aliquam inæqualitatem, seu præponderantiam in favorem possessoris, ex qua inæqualitate habetur fundamentum formandi conscientiam, quod liceat possessori rem sibi retinere. Fundamentum autem hoc consistit in titulo possessionis ac in jure illud retinendi, nisi plus afferatur contra possessorem, quàm pro possessore; imò nisi aliquid afferatur magis urgens contra possessorem, quàm possessio ipsi faveat. Hæc omnia verissima sunt; sed perspicuè locum habent in omni possessione, quia necesse est, titulum possessionis in omni causa cæteroquin pari præponderare in favorem possessoris, cùm necessariò inducat aliquam inæqualitatem manifestè faventem possessori. Hæc autem inæqualitas non minùs conducit ad formandam conscientiam in aliis materiis, quàm in materia justitiæ, quia fundamentum taliter formandi conscientiam non consistit in alio, quàm in ipsa hac inæqualitate ac præponderantia, ut patet. Neque verum est, possessionem, ut Celladeus contendit, conducere ad solvendum dubium de dominio; contrarium enim in multis est evidens, ut in casu dubii de matrimonio ob impotentiam, & in prima hora post possessionem hæreditatis bona fide inchoatæ, &c. tales enim possessiones nullatenus juvant ad solvendum dubium sive de matrimonio, sive de jure ac dominio possessoris, ut ostensum est. Itaque possessio aliud non probat, in materia justitiæ, quàm quòd possessor ob ipsum titulum possessionis, cæteris paribus, sit præferendus aliis in usu ac dispositione rei possessæ; quódque per consequens possessio juvet ad rationabiliter existimandum, possessorem licitè posse retinere rem possessam non obstante dubio, an verum jus ac dominium illius ad se an ad alium spectet. At possessio in aliis materiis, quando cætera sunt paria, probat prorsùs idem; idque ex iisdem penitus fundamentis. Ergò privilegium possessionis æquè locum habet in aliis materiis, ac in justitia, ubi cætera sunt paria.

Error Celdei refutatur.

11. Atque hinc infertur, Celladeum fuisse deceptum, distinguendo possessionem in probantem, & non probantem. Probantem vocat possessionem in materia justitiæ; non probantem vult esse possessionem in quavis alia materia. Deceptus, inquam, fuit, quia revera omnis possessio probat, quicquid ulla determinata probat, & nulla probat solutionem dubii post illam ortam. Hæc omnia jam fusè probata sunt *quæst. superiore* contra Celladeum; quarè solùm superest, ut argumentis ipsius satisfaciamus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

12. OBJICIT primò. Si quæ esset possessio in aliis materiis, cui possessionis in materia justitiæ privilegium competeret, maximè esset possessio libertatis. Sed hæc possessio nihil probat, nec per se ac titulo sui facit meliorem conditionem eam habentis; si enim aliquando probaret, semper probaret, & in omni causa dubia & pari redderet causam inæqualem, quia in omni dubio adest possessio libertatis. At non semper probat, ut omnes fatentur, alioquin pars tutior in nullo unquam dubio esset tenenda. Ergò possessio extra materiam justitiæ nunquam probat per se loquendo, nec conditionem possidentis reddit meliorem. Ita Celladeus §. 3.

Reipondeo 1. negando majorem, quia possessio jurisdictionis ac subditi eodem modo procedit in materia obedientiæ, sicut possessio dominii & rei in materia justitiæ. Portò in hoc casu nullus datur specialis titulus de possessione libertatis, magis quàm in materia justitiæ. Idem dico de aliis exemplis, ut in possidente conjugem, & potestatem petendi debitum in dubio de impedimento impotentiæ perpetuæ, &c. in casibus enim hujusmodi maximè elucet vis possessionis, ejusque comparatio cum possessione in materia justitiæ per omnia subsistit. Falsa ergò est major, ut à Celladeo hoc loco profertur. Reſpondeo

13. Reſpondeo 2. poſſeſſionem libertatis, ubi datur, ſemper locum habere in omni cauſa dubia ac pari; ſed in hoc errat Celladeus, quòd putet poſſeſſionem libertatis ex æquo locum habere in omni dubio, quod verum non eſt; nam quando practicè dubitatur, nemo poſſidet, aut unquam poſſedit libertatem faciendi quod vult, cùm unuſquiſque indubiè gravetur lege reflexa obligante ad partem tutiorem. In tali enim caſu, ſicut in multis dubiis facti, poſſeſſio non ſtat pro libertate, ſed pro lege, ſeu potiùs pro ſuperiore nos gravante per legem, per quam pro ſua poteſtate arctat terminos noſtræ libertatis, obligatque ne operemur illud de quo dubitamus, an ſit illud, quod ſcimus ab ipſo eſſe prohibitum; quia lex certa & certò exiſtens extendi poteſt ad prohibendum dubium, ut oſtenſum eſt. Itaque ſæpe non licet ſectari minùs tuta in dubio, quando ſcilicet poſſeſſio non favet libertati; ſæpe licet, quia ſæpe libertas gaudet poſſeſſione ſuæ libertatis.

14. Objicit ſecundò. Magna & multiplex eſt diſparitas inter poſſeſſionem in materia juſtitiæ, & poſſeſſionem in aliis materiis. Inprimis in materia juſtitiæ ſemper ſtandum eſt pro poſſeſſione, quando cauſa eſt par. Hoc locum non habet in aliis materiis, ut omnes fatentur. Secundò in aliis materiis tenemur ſaltem de conſilio ad partem tutiorem. At in materia juſtitiæ poſſeſſor non tenetur ne quidem de conſilio. Tertiò, poſſeſſor in materia juſtitiæ non tenetur ad totam rem alienandam, alioquin daretur motus ſine quietecum proceſſu in infinitum. Qui enim acciperet rem, iterum teneretur eam reddere, & ſic ſine ullo fine. At nihil ſimile eſt in aliis poſſeſſionibus. Quartò, in materia juſtitiæ poſſeſſio facit ad ſuitatem, & ex voluntate Reipublicæ eam inducit; quia diviſio rerum ſubjecta eſt voluntati Reipublicæ. At nihil ſimile eſt, quando dubitatur an ſit aliqua Dei lex obligans ad aliquid; quia homines nil diſponere aut alterare poſſunt circa talia. Hæ diſparitates oſtendunt argumentum à poſſeſſione in materia juſtitiæ, ad poſſeſſionem in aliis materiis non valere. Ita Celladeus §. 4.

Reſpondeo, omnia hæc abſque delectu, & contra veritatem objecta eſſe. Primum eſt falſum, nam non ſemper in materia juſtitiæ ſtandum eſt pro poſſeſſore. Inprimis petere debitum conjugale eſt materia juſtitiæ; & tamen ſæpiſſimè poſ-

ſeſſor

sessor non licitè petit debitum, si dubitet an matrimonium sit validum. Rursus in dubio, an filius aliquis sit legitimus, providendum illi est de portione legitima, quamvis fratres cogendi sint tribuere aliquid ex rebus, quas possident, ut fusè probat Vasquez *t. 2. disp. 66. cap. 8.* idque verum esse contendit non solùm ex jure civili, sed etiam ex jure naturali. Tenetur ergo Celladeus determinare, quando possessio etiam in materia justitiæ affert, & quando non affert obligationem sedandi partem tutiorem. Nos *quæst. superiore* hoc explicavimus. Itaque antecedens est falsum; sed, illo admisso, consequentia non sequitur; possessio enim æquè universaliter favet superiori in materia obedientiæ, ac in materia justitiæ, quia semper obediendum est in dubio, quando causa cæteroquin est par. Eodem modo in materia religionis semper favendum est libertati, quando votum est dubium: demum in omni dubio standum est pro possessione libertatis, quando causa est verè par, & nil affertur contra possessorem, quod ex æquo non faciat pro possessore, prorsùs sicut in materia justitiæ. Hæc sola diversitas intervenit, quòd in dubio practico, aliisque cum dubitatione practica connexis, causa non sit par; idcoque regula possessionis ad eam non extendatur.

Illatio Celladei non sequitur ex antecedente.

15. Iidem errores clarè apparent in secundo etiam argumento. Inprimis antecedens est falsum, quia subditus in materia obedientiæ non tenetur ne quidem de consilio ad partem tutiorem: v. g. subditus non tenetur se abscondere, aut statum Ecclesiasticum inire, quando vocatur à rege ad bellum, de quo dubitat an sit justum. Et tamen tutius illi esset dicta ratione bellum illud vitare. Idem universaliter verum est de subdito Religioso; de consilio enim est, ut obediat, quamvis abstinere ab illo opere esset tutius, si superior illud non præciperet. Neque obstat, quòd, stante præcepto superioris suam jurisdictionem legitimè possidentis, tutius sit obedire; quia hoc etiam locum habet in materia justitiæ; stantibus enim possessione & voluntate possessoris ad retinendam rem suam, tutius est tam actori quàm judici favere possessori. At quando agitur de parte tutiore in præsenti quæstione, agitur de eo quod tutius est independenter à titulo possessionis, non de eo quod tutius est considerato etiam titulo possessionis, aliisque ab illa provenientibus. Deinde quod ex oppositio dicit est falsissimum; tam certum enim est, possessorem teneri ex consilio ad partem tutiorem in materia justitiæ, quàm in aliis materiis; pars enim tutior est illa, quam sequendo nullum est periculum peccati ne quidem materialis. At si possessor restituat rem in dubio nullum imminet periculum peccati; imminet verò periculum peccati, saltem materialis, seu detentionis rei alienæ invito domino, si non restituat. Imò secundùm aliquos imminet periculum peccati formalis; Adrianus enim & Sotus apud Vasquium *t. 2. disp. 66. cap. 7.* docent, possessorem, si dubium perseveret, debere rem restituere vel in totum, vel saltem in partem, quia hoc est tutius. Deinde quis non videt consilium esse, in dubio de impedimento impotentiæ abstinere à petendo debito, & habere uxorem loco sororis? Si hoc non sit consilium, quid tandem erit? Hoc tamen est in materia justitiæ. Ergò possessor in materia justitiæ tenetur, ut cum Celladeo loquar, de consilio sequi partem tutiorem.

In materia justitiæ sæpe de consilio est, ut possessor sequatur partem tutiorem.

In aliis materiis pars tutior non semper est de consilio

16. Tertium argumentum similibus vitiis laborat. Inprimis motus ille perpetuus æquè haberetur in materia justitiæ extra casum possessionis, ac stante possessione, si unusquisque in dubio teneretur ad cedendum totum alteri. Ponamus enim duos esse, quorum neuter possidet rem, de qua dubitant, ad quem illorum pertineat. In hoc casu uterque æquè deberet cedere alteri possessionem sine fine, ac in casu possessionis, si propter metum possidendi & habendi alienum, uterque deberet se privare tota re in favorem alterius. Ergò extra casum possessionis nemo in casu pari teneri potest ad cedendum tota re. Ergò hæc instantia malè appropriatur possessori, quasi verò id ex titulo possessionis oriretur, cùm certum sit, quod potestas non cedendi tota re non oriatur à possessione, sed à titulo juris independenter à possessione. Ad quid ergò applicatur possessori, quasi verò id ex possessione proveniret?

Nullitas argumenti tertii.

17. Deinde similis motus perpetuus daretur in materia fidelitatis, si quis eo ipso deberet totam rem alteri dare, quòd dubitaret an illam promisisset. Deberet enim alteri dare, nè forte violaret promissum, & alter deberet eam restituere, ne fortè retineret alienum; quia dans non absolutè transferret dominium illius rei, sed solùm ex suppositione quòd eam promisisset. Ergò alter non esset certus, sed maneret dubius an posset rem illam sibi retinere. Ecce similis motus sequeretur non solùm in materia justitiæ, sed etiam in materia fidelitatis; imò totus circulus esset in materia fidelitatis, si alter promisisset, se nil retenturum alterius, quamdiu dubitaret, an illud ad ipsum pertineret. Ergò ista perperam proferuntur tamquam spectantia ad solam justitiam, cùm eodem prorsùs modo spectent ad aliam materiam.

Nullus processus sequitur ex titulo possessionis, qui ex aliis titulis non sequitur.

18. Demum admisso antecedente in toto sensu, quem Celladeus intendit, simulque admisso quòd nil ejusmodi contingat in aliis possessionibus, quid inde ad præsens intentum? Aliquid quidem inferretur, si vim faceremus in illo ipso, in quo non datur paritas. At nemo ex illo argumentum sumit. Nos enim in solo titulo possessionis vim facimus, & sic argumentamur. Si duo dubitent de suo jure, & neuter possideat, neuter potest totam rem vendicare, sed debebunt inter se paciscì, & ex æquo rem dividere, quia in tali casu tutior pars est tenenda; totum autem retineri non potest ab ullo illorum, sine periculo habendi rem alienam, invito domino, quod periculum tollitur, si ex conventione rem dividant inter se. At si alteri accedat titulus possessionis, ille, tametsi semper versetur in materia justitiæ, licitè retinet sibi rem totam, nec tenetur, ut antè, eam dividere, aut partem tutiorem sequi paciscendo cum actore; aut in defectu actoris pretium pauperibus erogare. Ratio horum omnium fundatur præcisè in excessu, quem titulus possessionis, reliquis similiter se habentibus, inducit, quia in pari casu melior est conditio possidentis, ut latè probatum est. Hinc arguimus ad alias materias, & dicimus, titulum possessionis semper prævalere in illis, si causa ita sit utrimque par, ut nil afferatur contra possessorem, quod ipsi ex æquo non faveat; quia eædem rationes æqualiter valent in omni materia. In hoc solo paritas, ac rationum non tam paritas quàm identitas, consistit. Neque obstat, quòd in aliquibus aliis huic non contrariantibus detur disparitas. Talia sunt quæ afferuntur in argumento, ut constat ex dictis.

Nullitas argumenti tertii.

19. Ad 4. Patet ex dictis, tum hac tum superiore

Multiplex insufficiētia argumēti 4.

riore quæstione, ubi probatum est, quòd titulus possessionis præcisè ex se nil prorsùs faciat ad suitatem, seu ad verum dominium rei, sed aliundè possessori tribuat facultatem retinendi rem. Porrò omnes illi tituli æquè reperiuntur in aliis materiis, ac in materia justitiæ, ut ostensum est. Quod additur, de potestate reipublicæ ad dominia rerum transferenda, non autem ad alterandas leges Dei, non est ad rem; quia non loquimur pro casu dictæ translationis, per usucapionem vel præscriptionem factæ, sed pro casu, quando aut certum est, rempublicam non fecisse ejusmodi translationem, aut certè est dubium, an illam fecerit. Præterea, quod objicitur, est insufficiens ad intentum, quia dantur innumeræ leges humanæ extra materiam justitiæ, in quas respublica æquè amplum dominium habet, ac in bona ac jura subditorum. Cur ergò privilegium possessionis non æquè extenditur ad illas materias, ac ad bona temporalia? Itaque argumentum non probat privilegium possessionis extra materiam justitiæ non extendi, sed ad summum urget in legibus divinis, quæ ab hominibus alterari non possunt.

Sed neque sufficit ad hoc probandum, quia titulus & privilegium possessionis locum habet in materia justitiæ pro priore ad omnem legem humanam; regula enim illa, *in causa pari melior est conditio possidentis*, est axioma lumine naturæ notum, per quod homines diriguntur in lege naturali, antecedenter ad omnem legem positivam. Ergò veritas illius non dependet à lege aut conventione humana, sed omnia ejusmodi statuta præcedit, quamvis fortasse fieri potuisset per conventionem subsequentem, ut possessio in omnibus materiis reipublicæ subjectis nullum privilegium haberet. Verùm non obstante tali lege humana, adhuc possessio libertatis in aliis materiis humanæ legi non subjectis locum haberet, quia jure naturæ ab hominibus inalterabili meretur dictum privilegium, ut ostensum est. Demum titulus possessionis locum habet in materia justitiæ humanis legibus non subjectæ; qui enim bona fide contraxit matrimonium, licitè petit debitum in dubio impotentiæ, idque ex titulo possessionis bonæ fidei; si enim per longam impotentiæ experientiam ante contractum initum dubitasset de hoc impedimento, sicut illicitè contraxisset, ita contractus subsecutus, & sequens possessio nil privilegii attulisset; tum quia fuisset possessio malæ fidei, quæ nemini suffragatur, ne quidem in ordine ad petendum debitum conjugale, ut apparet in contrahentibus cum dubio aliorum impedimentorum; tum quia nemo debet emolumentum ex suo scelere reportare. Ergo facultas licitè petendi debitum oritur præcisè ex titulo possessionis bonæ fidei. Ergo privilegium possessionis etiam in materia justitiæ locum habet in jure naturæ, quod ab humanis legibus non dependet. Unde iterum nullitas argumenti apparet.

Possessio favet in materia justitiæ humanis legibus non subjectæ.

Objectio 3.

20. Objicit tertiò. In materia justitiæ lis est inter æquales, nisi partium aliqua ex ipso jure privilegium habeat. Deus autem æqualiter adest utrique parti, jubens ut unaquæque habeat quod suum est. At in aliis materiis lis est inter superiorem & subditum, inter Deum & hominem. Ergò in illis potiùs standum est pro lege & Deo; quia sicut in pari causa melior est conditio Ecclesiæ, causæ piæ, dotis, & matrimonii; sic si has regulas extra materiam justitiæ transferre liceret, ex hoc solo melior esset conditio legis ac superioris, & præsertim Dei. Ita Celladen §. 4.

Respondeo, quid hoc ad rem? Deus adest æqualiter utrique litiganti in dubio juris ante possessionem. Peto, an adsit æqualiter utrique etiam post possessionem? Si affirmes: ergò res possessa debebit dividi, sicut debuisset dividi, si non fuisset possessa. Si neges: ergò titulus possessionis facit, ut personæ illæ non sint amplius æquales, & ut Deus magis faveat possessori. Ergò idem erit in aliis materiis; quia titulus possessionis æquè reperitur in illis, ac in materia justitiæ, ac proinde Deus non ampliùs respicit illas personas ut æquales. Hoc maximè apparet in materia obedientiæ humanæ, in qua Deus respicit superiorem & subditum ut inæquales, quia respicit superiorem ut habentem jurisdictionem, & legitimam illius exercendæ possessionem; subditum verò ut alteri subjectum, nec habentem rationem excipiendi contra certam alterius possessionem, ob titulum non magis faventem ipsi quàm superiori. Ergò si argumentum valeret, sequeretur à fortiori, quòd privilegium possessionis magis haberet locum in materia obedientiæ humanæ, quàm in materia justitiæ. Itaque fatemur, cæteris paribus, semper favendum esse superiori humano contra subditum in ordine ad debitum obedientiæ, idque propter titulum possessionis. At non ita dicendum de lege, si dubium sit an lex existat, quia radix obligationis est ipsa lex, quæ eo ipso quod sit dubia nequit obligare. At si constaret de lege, seu de voluntate legitimi superioris, tunc quidem lex præferenda esset, quia lex & superior non solùm essent in possessione contra libertatem subditi, sed etiam causa non est par, sed magis faveret superiori ac legi, ut patet. E contra, quando lex est dubia, non est par causa legis & libertatis, quia libertas etiam ob titulum possessionis est præferenda. Nec obstat, quod in causa pari melior sit conditio Ecclesiæ causæ piæ, dotis, &c. quia hoc non est ex natura rei, sed solùm ex lege positiva idipsum volente. At nulla est lex id statuens pro jure dubio. Ergò tunc non est, quòd melior sit conditio juris; imò illa semper est deterior, quia libertas est in possessione contra tale jus dubium.

21. Demum, quamvis Deus ipse sit semper melioris conditionis in seipso quàm creatura, tamen motivum suadens nos obligari Deo, non semper est melioris conditionis, quàm motivum suadens nos non obligari. In hoc Celladeus omnibus aliis consentit, quando ex judicio solùm probabili sequimur partem minùs tutam; tunc enim motivum libertati favens plus valet ad obligationem auferendam, quàm motivum favens legi ad eam inducendam. In hoc ergò sensu dicipotest, quòd efficacior sit conditio creaturæ in ordine ad obligationem hîc & nunc arcendam, quàm Dei ad illam inducendam. Hoc posito, idem dico evenire in casu legis dubiæ, quia inter reliqua possessio libertatis inæqualitatem inducit; non enim æquum est, ut priver certa possessione meæ libertatis ob incertam ac dubiam legis propositionem, utpote quæ non magis gravat me, quàm par propositio non legis mihi favet. Ergò ipsa possessio constituit inæqualitatem, facitque conditionem possessoris meliorem in ordine ad arcendam obligationem, quàm sit conditio Dei, seu potiùs motivorum faventium legi, ad obligationem inducendam. Et sanè per hoc ipsum conditio Dei simpliciter melior est, quòd velit motiva illa in pari causa possessioni cedere; Deus enim in

in hoc maximè misericordiam ac bonitatem suam erga nos commendat, quòd non tam rigidè cum hominibus agat, ut propter quodvis dubium velit eos ad onus tutiora sequendi adigere; sed ita se gerit erga nos sicut in simili causa vult homines inter se habere. At in humanis vult subditum non teneri lege dubia, quia possessio libertatis stat pro subdito in causa cæteroquin pari. Eodem modo proinde vult judicari in ordine ad obedientiam sibimet à nobis ex obligatione præstandam, quia in tali casu titulus possessionis prævalet. Hoc autem est Deo magis gloriosum, illumque magis benignum ostendit, quàm si in istiusmodi casibus ageret strictissimè, ubique aggravando onera, & nil rationabili ex causa remitteret.

Possessio dat titulum agendi cõtra legem Dei dubiam, etiam quando possessio non conducit ad probandum titulum.

22. Demum, ut videas hæc omnia esse verissima, in mentem revoca conjugem, qui dubius de impedimento impotentiæ petit debitum. Hic homo in petendo debito contra neminem agit, nisi contra solum Deum prohibentem accedere ad non suam; nemo enim alius illum à petendo debito impedit, aut deterret. Hoc tamen non obstante, licitè petit debitum. Unde hoc? Nónne Deo & legi favendum? Nónne melior est conditio Dei & legis? Respondeat huic instantiæ Celladeus, & proprium argumentum solvet; inveniet enim, quòd in hoc casu sola possessio bonæ fidei meliorem faciat conditionem possidentis etiam contra legem & Deum in ordine ad debitum liberrimè exigendum. Ex hoc exemplo iterum efficaciter refellitur id, in quo Celladeus maximè inhæret, nempe possessionem, quæ nil facit ad deponendum dubium de veritate rei, nullum privilegium habere, nec meliorem facere conditionem possessoris. Certè possessio in hoc casu nil prorsùs facit in ordine ad decidendum dubium de impotentia, ut patet, & tamen possessio hæc bona fide inita plurimùm conducit ad debitum licitè exigendum.

Objectio 4.

23. Objicit quartò. Si valeret arguere à possessione in materia justitiæ ad possessionem in aliis virtutibus, induci possent usucapiones ac præscriptiones in possessione libertatis adversus legem Dei, etiam naturalis. Ita Celladeus §. 4.

Præscriptio cur inducatur contra humana, nõ contra divina?

Respondeo, mirari me; tam inania objici à viro gravi ac ingenioso. Usucapiones ac præscriptiones non inducuntur titulo possessionis, nec unquam inductæ fuissent vi illius, nisi dominium post tantum tempus possessionis pacificæ per leges expressas translatum fuisset in possessorem, ne alioquin processu temporis omnia vera dominia redderentur incerta. Sequitúrne hinc, nos posse præscribere contra Deum? Minimè, ne apparenter quidem. Si tamen Deus legem ferret in favorem nostrum, ut, post tantum temporis pacificæ possessionis, vel ignorantiæ invincibilis lex aliqua positiva cessaret, possemus tunc contra illam præscribere. At sine hujusmodi lege à Deo singulariter constituta (quam non constituit) omnis usucapio aut præscriptio est manifestè impossibilis.

Objectio 5.

24. Objicit quintò. Possessio in materia justitiæ privilegium habet, quando causa est par, quia certò constat, quis possideat, quis non possideat rem. At in aliis materiis hoc locum non habet, quia vel semo est de libertate physica ejusque possessione; & hæc nec tollitur nec læditur, ne quidem per obligationem præcepti, cùm homo æquè liber sit ad utrumque, posito præcepto, ac erat antè. Et tamen certum est, possessionem libertatis non habere privilegium, quando constat de præcepto. Vel loquimur de possessione morali, qua quis licitè potest rem facere & non facere. At hujus libertatis nulla est possessio, quin de hoc ipso lis est & dubium. Ergò disparest ratio. Immo è contrario sic arguitur. Si non solùm dominium, sed etiam possessio rei revocaretur in dubium, non esset locus regulæ, ne quidem in materia justitiæ, sed res esset dividenda. Ergò cùm possessio moralis sit dubia in aliis materiis, nullum secum fert privilegium, sed tutior pars est tenenda. Ita Celladeus §. 4. ubi rationem hanc vocat ostensivam & manifestam.

Nullitas prætẽsæ demonstrationis.

Respondeo inprimis retorquendo argumentum. Possessio in materia justitiæ, de qua loquimur, vel est possessio physica, qua homo rem sub sua potestate ac libertate physica retinet; vel est moralis, qua licitè retinet & non retinet. Si primum: illa manet etiam quando certum est, quòd res ad alium pertineat; & tamen possessio tunc nullum affert privilegium. Si secundum: de illa lis est ac dubium, quia Adrianus, Sotus, Arragonius, & Barnabas de Rosalibus apud Bresserum *lib. 4. cap. 3.* expresè docent, rem in tali casu vel restituendam, vel dividendam esse; quorum opinionem Corduba *lib. 3. quæst. 6. ad 3.* docet esse probabilem. Rursus sic arguo. Etiam in materia justitiæ sola possessio bonæ fidei fert secum privilegium regulæ. At illa, orto dubio, cessat, quia qui possidet in dubio, non credit rem esse suam, ideoque non ampliùs possidet illam bona fide. Certè talis possessio ab initio non fuisset moralis & bonæ fidei. Ergò neque nunc videtur talis, quia Major, Adrianus, & Sotus apud Cardinalem de Lugo *disp. 7. de just. sect. 3.* docent, possessionem bona fide inchoatam, sed postea in dubio continuatam, non sufficere ad faciendam præscriptionem, ad quam tamen haud dubiè sufficeret, si indubiè esset possessio bonæ fidei. Nil ergò facit possessio in dubio, ne quidem in materia justitiæ. Ergò nulla est disparitas inter possessionem in materia justitiæ, & possessionem in aliis materiis. Respondeat Celladeus huic objectioni, & proprium argumentum solvet.

Possessio physica, juncta bonæ fidei, est titulus præferens possessorẽ in pari causa.

25 Respondeo ergò secundò, quòd in ipsa materia justitiæ sermo sit de possessione physica, cui bona fides & moralitas, à tali fide derivata, conjuncta fuit ab initio, licèt illa bona fides, & moralitas ab illa derivata hîc & nunc cessent, durante dubio; neque enim de alia possessione loqui possumus, quia post ortum dubium alia non datur. Sensus ergò regulæ etiam in materia justitiæ est iste. Qui nunc physicè possidet rem, quam ab initio bona fide possedit, non debet perdere possessionem suam nec se privare bonis ab initio bona fide possessis, quando oritur causa favens alteri, si causa illa sit par, & ex æquo faveat possessori ac actori. Non enim est æquum, ut possessor bonæ fidei privetur possessione physica rei, aut ullam suæ possessionis arctationem patiatur, ob titulum non magis alteri faventem quàm sibi. Ipsa enim possessio bona fide inita tribuit jus, ne quis Physica possessione ejusque emolumentis privetur, ob incertas exceptiones non uni magis quàm alteri faventes. Itaque præsens physica possessio, prout bona fide inchoata, tribuit novam moralitatem, ratione cujus, tam in dubio quàm in quavis causa pari, physicus possessor præferendus est. Verùm hæc moralitas, seu bona fides consequens est diversa à bona fide & moralitate, quam possessor habuit ab initio, quia

dependet ab illa ut præterita, etsi nec illa, nec similis illi nunc existat. Itaque physicus possessor de præsenti præferendus nunc est ob bonam fidem priorem, quatenus possessio physica hactenus continuata, eo ipso quòd bona fide inchoata fuerit, postulet continuari donec plus afferatur contra possessorem quàm pro ipso. Cæterùm possessio illa physica, prout substans huic persuasioni novæ in illa priore bona fide fundatæ, appellari etiam potest, & communiter ab Auctoribus appellatur possessio bonæ fidei; quia per illam persuasionem homo videt, se præferendum, & ideo bona fide possidet, sed bona fide alterius rationis à bona fide, per quam possessio inchoata fuit, quia hæc est bona fides quodammodo reflexa & consequens, cùm prior bona fides esset directa & antecedens.

Non minus scitur ad quē possessio pertineat in aliis materiis, quàm in materia justitiæ.

26. Hæc omnia locum habent, non solùm in possessione jurisdictionis & subditorum in materia obedientiæ, (in qua nulla prorsùs est diversitas excogitabilis ex parte possessionis aut modi possidendi, cùm tam compertum sit ad quem talium rerum possessio pertineat, ac in materia justitiæ) sed etiam in possessione libertatis in quavis materia, quia homo non minùs physicè possidet suam libertatem, quàm quamvis rem corpoream. Rursus ante dubium ortum de lege, homo non minùs moraliter possidebat libertatem suam, quàm res alias. Jam hæc duo non minùs fundant titulum, & tribuunt jus, ne possessio physica libertatis ullatenus minuatur ob titulum, non magis faventem legi quàm homini, quàm similia præstent in materia justitiæ; & consequenter æquè in hoc casu ac in materia justitiæ constituunt novum titulum possessionis moralis, expressum in regula allata, ratione cujus homo scit, se esse melioris conditionis, ac præferri debere ob titulum possessionis explicatæ.

27. Dixi, possessionem physicam, bona fide inchoatam, tribuere titulum ac jus, ne physica possessio restringatur in posterum, ob causam non magis gravantem libertatem, quàm illi faventem; gravaretur autem libertas, si physica ejus possessio arctaretur, si teneremur sequi partem tutiorem in dubio. Falsum enim est, quod dicit Celladeus, physicam possessionem libertatis non solùm non tolli, sed nec lædi per præceptum etiam certum; absque dubio enim læditur & restringitur; quia nemo, stante præcepto, ponere potest rem vetitam citra reatum culpæ & pœnæ. At hoc est libertatem ejusque possessionem physicam restringi ac lædi, quia non possumus ampliùs, ne quidem physicè, operari tanta libertate & facilitate pro libito sicut antè, quia difficile & amarum est incurrere reatum culpæ & pœnæ. Itaque præceptum certum verè arctat libertatem, & possessionem etiam physicam illius alterat, quod ex æquitate fieri non debet ob præceptum dubium, quia in tali casu melior est conditio possidentis.

Præterea Celladeus concedit, probat ratiocinium.

28. Demum ex dictis patet responsio ad ultimam partem argumenti; non enim cessat privilegium possessionis in materia justitiæ, quamvis prior possessio moralis ac bonæ fidei cessat, dummodò possessio physica remaneat, illique ob priorem bonam fidem nova moralitas accedat, ut dictum est. At privilegium cessaret, si physica possessio & novus ille titulus moralis deficerent, quia tunc regula locum non haberet. Verùm hoc eodem modo locum habet in aliis materiis, in quibus nec physica nec moralis possessio aliam alterationem habet, quàm in materia justitiæ. Itaque tantum abest, ut hæc objectio ostensivè ac manifestè falsitatis convincat nostram sententiam, at eandem efficacissimè corroboret.

QUÆ-

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA OCTAVA.

Vtrùm, & quando difficultas servandi legem reddat partem minùs tutam nobis licitam in dubio?

Consilium de tractanda quæstione ista.

1. QUÆSTIO ista ejusque solutio non est necessaria ad intentum principale præsentis controversiæ; illa enim magis spectat ad tractatum de legibus, quàm de conscientia. Verùm quia Auctores sæpe recurrunt ad difficultatem & incommodum, tamquam ad rationes, propter quas excusamur in dubiis, ideo, ad complementum doctrinæ de dubiis, nonnihil ad hujus quæstionis determinationem afferemus.

Celladeus *lib. 4. quæst. 14. & 15.* hanc rem fusè tractat; sed eam ita versat, ita omnia in dubium vocat, ut nil fermè certi statuat, sed Lectorem valdè perplexum relinquat, quid quæstioni sit respondendum. Immò ipsemet in præcipuo puncto hæret dubius, nec sufficienter explicat sententiam suam. Ego quid in hac re dicendum sit, paulatim ac ordinatè exponere conabor.

ASSERTIO PRIMA.

Aliqua præcepta obligant contra omnē difficultatē occurrentem.

Aliqua præcepta semper tam strictè obligant, ut nulla difficultas quemquam ab observatione rei præceptæ excuset.

2. TALIA sunt præcepta non blasphemandi, non colendi plures Deos, & alia similia, quæ prohibent res ita intrinsecè malas, ut nulla ratione honestari possint. Tenemur enim potiùs mortem & omnia tormenta subire, quàm ea violare. Idem valet in nonnullis aliis præceptis divinis, quamvis non sint de objecto essentialiter malo. Deus Judæis poligamiam olim indulsit, eam Christianis tam absolutè prohibuit, ut nulli liceat duas uxores simul habere, quamvis ob fugam, vel raptum prioris cogatur cum summa difficultate castitatem servare. Dantur ergò præcepta, à quorum observatione nullum incommodum, nulla difficultas excusat.

ASSERTIO II.

Dantur præcepta à quorū observatione gravis difficultas excusat.

Dantur præcepta non solùm juris humani, sed etiam juris naturalis ac divini, à quorum observatione gravis difficultas excusat.

3. HÆc etiam assertio extra dubium est posita. Inprimis excusatur à lege jejunandi, recitandi horas, &c. qui citra grave incommodum nequit ea observare. Rursus lege naturali ac divina prohibitum est quidquam accipere propter mutuum ultra sortem; & tamen licet aliquid accipere ob damnum emergens, ut omnes communiter tradunt. Dantur ergò præcepta etiam juris Divini ac naturalis, à quorum observatione gravis difficultas & incommodum grave excusat. Porro cùm difficultates occurrentes aliquando excusent, aliquando non excusent, supereſt, ut tradatur regula aliqua, unde incommoda quæ excusant, dignoscantur ab incommodis quæ non excusant.

ASSERTIO III.

Ea omnia & sola incommoda ac difficultates excusant ab observatione legis, quæ ita alterant rem alioquin certò præceptam, ut prudenter credibile faciant, legem ad illam pro tali circumstantia non extendi; aut certè post omnia considerata dubium relinquunt, utrùm lex pro tali circumstantia extendatur ad rem illam.

4. PROBATUR. Inprimis omnes istiusmodi difficultates excusant, quippe quæ directè, vel indirectè sufficiunt ad conscientiam debitè formandam de honestate operis. Directè quidem, si reddant certum aut probabile, quòd lex ad rem talibus circumstantiis affectam non extendatur. Indirectè verò, si post omnia debitè considerata idipsum relinquatur dubium, quia lex dubia non obligat, sed standum est pro possessione libertatis, maximè si lex observari non possit citra grave detrimentum. Rursus istæ solæ difficultates excusant, quia nullæ aliæ vi sua sufficiunt ad conscientiam ritè formandam de honestate operis, cùm ne quidem dubium reddant, an lex ad talem casum extendatur. Ergò extenditur ad illam; cùm absque dubio omnes teneantur ad ea præstanda, quæ aut certò scimus, aut ita probabiliter credimus esse actu præcepta, ut post debitam diligentiam adhibitam non possimus prudenter dubitare, utrùm sint permissa. Hactenus in eo solùm Celladeus à nobis discrepat, quòd putet incommodum non excusare, nisi reddat certum, aut directè probabile, quòd lex non detur; in quo loquitur quidem consequenter ad sua principia de jure dubio, quod vult esse obligatorium; sed quia ostensum est, jus dubium non obligare, ideo illud quoque incommodum excusat, quod sufficit ad ipsum jus reddendum dubium.

Incōmoda & difficultates quæ reddunt legem dubiā excusant ab obligatione legis.

ASSRTIO IV.

Difficultates, ab observatione legum excusantes, longè frequentiùs locum habent in humanis legibus, quàm in Divinis.

Difficultas servandi legē frequentiùs tollit obligationē in legibus humanis, quàm in divinis.

5. PROBATUR. Solus Deus est perfectus legislator, quippe qui solus novit omnes circumstantias, quæ possunt occurrere; solusque perfectè novit vires, quas subditis suis largitur. Ille proinde solus est, qui potest leges condere, aut nullis aut paucissimis exceptionibus obnoxias. Hinc ita leges ac onera viribus subditorum aptat, ut rarò ob difficultates intercurrentes eos excusari velit. Hoc enim ad bonitatem, prudentiam, ac majestatem Dei spectat. Atque hinc est, quòd in legibus Divinis rarò excusemur ob difficultates intercurrentes; & quidem rarissimè in jure naturali, in quo si obligatio videatur cessare, ideo est, quia materia illa ad aliam speciem quodammodò extrahitur. Unde quando aliquid ultra sortem accipitur pro mutuo, titulo damni emergentis, tunc precisè loquendo lucrum non datur propter mutuum (hoc enim lege naturali prohibitum est, quia præcisè ob titulum mutui nil licet accipere) sed solùm propter damnum. quod hìc & nunc accidit ratione mutui. Itaque tunc damnum imminens fundat titulum novum, & transfert actionem ad aliam speciem. Æquum autem non est, nos obligari ad damnum subeundum, quia favorem alteri præstamus, nisi is consentire velit in compensationem. Atque hinc non ob mutuum, sed solùm occasione mutui licet aliquid accipere ultra sortem ob damnum emergens.

Solus Deus leges subditis debitè aptat.

Legislator humanus in multis deficit ad leges constituendas.

6. At legislatores humani nec omnes difficultates intercurrentes provident, nec vires singulorum metiri possunt. Præterea aliqui aliquando deficiunt nimis dura præcipiendo, de quibus Christus ipse *Matth. 23.* conquestus est, quòd *alligent onera gravia, & importabilia*, & imponant in humeros hominum. Quamvis autem duris istis & iniquis legislatoribus obtemperandum sit, quando constat, eos velle nos ad ista obligare; nihilominùs loquendo de aliis, de quibus meritò præsumimus, eos nolle suos subditos nimium gravare, sæpe magna difficultas interveniens sufficit ad existimandum, quòd non intenderint subditos tanto oneri subjicere. Hoc autem frequentiùs longè intervenit in lege humana, quàm in Divina, ut rationes allatæ evincunt.

ASSERTIO V.

Quando res, quæ præcipitur, est per se valdè difficilis, consueta difficultas, per se connexa cum observatione præcepti, non excusat.

Difficultas consueta, per se connexa cum re præcepta, non tollit obligationem legis.

7. RATIO est, quia legislator sciens & volens obligat ad istam difficultatem subeundam. Ergò illa non excusat. Sic difficile est jejunare per totam quadragesimam. Hæc difficultas non excusat à jejunando, ut patet, quia ipsa directè præcipitur. Et sanè in tali casu, nisi aliud aliquod incommodum interveniat præter ipsam difficultatem rei præceptæ, rarò excusantur homines à præcepti illius observatione.

8. Ab his etiam Celladeus non multum videtur dissentire; in eo tamen prorsùs displicet; quòd humanas leges quoad rigorem quodammodò æquet Divinis; eò quòd, si Ecclesia sit mater benigna, etiam Deus sit misericors Pater. Præterea Ecclesia mater, inquit, regitur à Deo Patre. Unde videtur insinuare, ac inferre, Ecclesiam quoad rigorem ac indispensabilitatem suarum legum Deum imitari; nisi enim ad hoc insinuandum dicta illa afferrentur, ad præsens institutum non facerent. Verùm in his est ingens disparitas ob rationes allatas, ut patet. Nec desunt aliæ plures gravissimæque, petitæ à justitia Dei, qua ipse ut supremus Judex opera misericordiæ contemperat rigore justitiæ, & quidem in alio longè gradu, quàm ullus superior creatus.

Celadeus.

9. Petes, an umquam excusemur ob propriam difficultatem rei præceptæ, si illa multum augeatur in suo genere?

Propria difficultas præcepti non excusat.

Respondet Celladeus §. 3. quod talis difficultas, utcumque aucta, numquam excuset, aliquin si excusatio induceretur per plus in eodem genere, vigor legum flaccesseret, nec ullius obligatio esset fixa, & stabilis: & hoc tradit tamquam certum. Verùm fallitur, quia id nec certum, nec universaliter verum est; imò oppositum videtur certum, ut mox ostendam.

10. Respondeo ergò, difficultatem in uno genere rarò valde augeri, quin per illud augmentum difficultas alterius generis ex accidente accrescat. Sic si homo ex propria constitutione jejunare nequeat, quin ob excessum famis ingentem spirituum evacuationem ad deliquium usque patiatur, haud dubiè non tenebitur jejunare. Non tamen certum est, ex quo capite excusetur, an ob solum famis excessum? an ob deliquium animi, & alia incommoda, quæ communiter non connectuntur cum jejunio? Contendit Celladeus, nullam dari excusationem ob solam difficultatem famis utcumque auctam, quia si alia incommoda non annecterentur, utique homo teneretur ad jejunium. Verùm hoc dictum, tametsi esset verum, parum ad praxim conduceret; quia quamvis difficultas jejunandi, si magnopere crescat, fere semper inducat alia incommoda; illa tamen relatè ad hunc hominem fundantur in jejunio, & sic difficultas jejunii aucta est propria illorum origo. Unde meritò dicitur, quod difficultas illa aucta excuset, quia ut aucta est radix aliorum incommodorum, ut patet. Cæterùm restrictio Celladei non est admittenda; supponamus enim, hominem ex propria constitutione majorem longè ex jejunio & fame dolorem ac difficultatem pati, quàm pateretur ex gravi flagellatione, vel vehementi dolore capitis; adeo ut utrumlibet, immo illorum utrumque libenter præeligeret mero tormento famis. Quis dicet, talem hominem obligari ad jejunium? Certè non est credibile, moderatos legislatores voluisse peculiarem subditum ad tantum onus obligare. Hoc inde colligitur, quòd si omnes tantam difficultatem paterentur in jejunando, haud dubiè legislatores, talem legem nunquam tulissent. Hac ratione qui fame canina, seu morbo illo, quem lupum appellant, laborant, excusantur à lege jejunii, quia difficultas illorum tantùm excrescit supra difficultatem ordinariam, ut sit moraliter alia res. Et hoc verum est, etsi nil prorsùs patiantur præter plus in eadem specie physica, sive ob dolorem, sive ob defectum spirituum, & languorem ex inedia conceptum. Neque hinc magis tollitur vigor legum, quàm tollatur ex eo, quòd

quòd cesset obligatio ob difficultatem alterius generis per accidens connexam; quia universaliter verum est, legem ad illos extraordinarios casus non extendi, quos legislator excepisset, si de illis expressè cogitasset. Hoc autem locum habet in ingenti augmento difficultatis accidentaliter connexæ cum opere præcepto, sive illa difficultas sit in eadem, sive in diversa specie, cum difficultate operis præcepti.

Idipsum exemplis confirmatur.

11. Nec desunt alia exempla. Multa peccata ita reservantur, ut pro obtinenda absolutione Sedes Apostolica sit adeunda. Jam communis Theologorum opinio est, plures in particulari excusari ab hoc onere. Numerant autem non solùm infirmos, qui physicè non possunt, sed etiam debiles, senes, fœminas, & pauperes, quòd absque valde magno incommodo & periculo nequeant legi illi obedire: & sanè incommodum istorum non consistit in nova specie incommodi, sed solùm in augmento incommodi ab omnibus ferendi, qui legi obediunt. Quod ut clariùs appareat, dicamus, incommodum, expensas, & periculum hîc & nunc necessariò subeundum in itinere ex Sicilia Romam non excusare; at duplo majores, ex Syria Romam excusabunt. Si nec hoc: at certè difficultates subeundæ in itinere Romam ex Indiis, vel Japonia excusabunt. Nemo enim, ni fallor, dixerit Indos Japonioſque hac lege teneri, quamdiu sunt in Japonia; non enim est credibile, legislatorem voluisse eos comprehendere in sua lege; & tamen evidens est, difficultatem ab istis subeundam, solùm excedere difficultates ab aliis subeundas in eadem specie. Verùm in rebus moralibus purus excessus physicus in eadem specie sæpe inducit quandam diversitatem specificam moralem in ordine ac obligationem & liberationem ab obligatione. Itaque certum videtur, quod propria difficultas rei præceptæ aliquando excusset, si illa valdè multum augeatur in suo genere. Ficta ergò est certitudo oppositi, à Celladeo prætensa.

ASSERTIO VI.

Difficultas & incommodum accidentaliter adveniens rei præceptæ, si sit valde magnum, sæpe tollit obligationem.

Difficultas magna per accidens adveniens sæpe excusat ab obligatione legis.

12. PROBATUR assertio, quæ ex æquo procedit de omnibus rebus præceptis, sive illæ de se faciles fuerint, sive difficiles; quia utrisque æquè accidentale est, quòd nova & inconsueta difficultas adveniat. Probatur, inquam, quia quando legislator, maximè humanus, simpliciter jubet aliquid, non solet attendere nisi ad rem illam secundùm se spectatam, & ad difficultatem per se cum illa connexam. Ergò intentio illius non fertur in rem illam prout affectam gravissimo incommodo per accidens connexo; qualia sunt illa, quæ à legislatore humano solent non prævideri. In talibus enim Deus ipse, nisi aliud aliquo modo exprimat, solet aliud non exigere, quàm quod prudens legislator humanus eandem legem eisdem verbis condens exigeret. Humanus autem legislator, & humana prudentia non solent respicere ad ea, quæ sunt per accidens, sed solùm quæ sunt per se. Ergò ea sola aliquando respiciuntur. Ratio est, quia materia tali difficultate affecta sæpe est moraliter alia ab illa, quæ præcipitur, saltem respectu intentionis in legislatore. Ergò res taliter affecta sæpe est præter intentionem legislatoris. Ergò præter legem. Sic valdè ægroti non tenentur recitare horas canonicas, aut jejunare, &c. quia, præter intrinsecam difficultatem talium operum, accedit illis nova difficultas, ratione magnæ ac valdè molestæ infirmitatis, ad quam subeundam intentio legislatoris, simpliciter præcipientis recitationem horarum aut jejunium, non extenditur. Et sanè assertio hæc adeo certa est, ut sit regula juris, *Necessitatem facere licitum, quod aliàs non esset*, ut bene advertit Suarez *de legibus lib. 3. cap. 30. num. 12.*

Id locum habet etiã in legibus Divinis.

13. Eadem assertio locum habet etiam in jure Divino ac naturali. Integritas Confessionis, & sumptio Eucharistiæ sunt res præceptæ jure Divino; & tamen omnes admittunt, homines aliquando excusari ab utraque propter maximam aliquam difficultatem, aut ingens incommodum, sine quibus illæ leges hîc & nunc observari non possunt. Non enim est credibile, Christum voluisse ea in talibus circumstantiis à nobis sub præcepto exigere. Et sanè Christus ipse apertè insinuavit, leges etiam Divinas aliquando ob difficultatem accidentaliter annexam non obligare. David *1. Reg. 21.* propter necessitatem manducavit panes Propositionis, quos lex à Laicis comedi prohibebat. Factum hoc Christus *Mathæi 12.* defendit, ubi hoc exemplo adducto excusat suos discipulos, qui die Sabbati spicas vellebant. Hoc etiam ita expositi S. Thomas *3. parte quæst. 40. art. 4. ad 13.* & eodem modo declarat factum Machabæorum pugnantium die Sabbati, *2. 2. quæst. 100. art. 8.* Itaque cùm veritas asserti locum habeat in lege positiva Divina, utique à potiori admittenda est in lege humana. Idem videre est in jure naturali. Clerici beneficiati tenentur ad horas canonicas ex justitia; & tamen illi non minùs quàm non beneficiati excusantur ob gravem infirmitatem. Non teneor restituere ensem Domino illum repetenti, si sit furiosus, aut præiracundia ipsius sit valde probabile, quòd sit me vel alium vulneraturus. Immo videtur quòd non teneat illum restituere, si sit sibi ipsi, aut aliis præiracundia nocturus in temporalibus, animalia propria aut aliena occidendo, &c. Extrema etiam necessitas, ex debitorum restitutione inevitabiliter incurrenda, suspendit obligationem restituendi, saltem quando creditor, qui solutionem exigit, ex dilatione parvum aut nullum detrimentum patitur. Itaque indubiè conclusio locum habet in omni genere legum, quamvis exceptio ista sæpiùs locum habeat in legibus ac præceptis purè humanis, quàm in aliis.

Immo & in lege naturali.

Replica.

14. Dices: Adam peccavit edendo pomum vetitum, quamvis per accidens non exigua difficultas servandi legem illam accesserit, postquam Eva pomum illi comedendum obtulit; quia jam debebat resistere Uxori, quam plurimùm amabat, quòd illi videtur arduum fuisse. Rursus multa incommoda videntur sequi in multis materiis, ut in delationibus in materia fidei faciendis, in casibus reservatis, &c. & tamen ob has difficultates nec Adam excusatus fuit, nec nos excusamur; non enim videtur esse realis differentia inter leges divinas & humanas. Quòd si ægrotus non teneatur ad jejunandum & ad similia, id ideo est, quia constat nobis positivè de mente legislatoris, nolentis tales sub lege comprehendere. At quando de hoc non constat, tutior pars tenenda est. Ita Celladeus § 3.

Respondeo, Celladeum supponere, Adamum

Adam non habuit magnam difficultatē abstinendi ab esu pomi vetiti, postquam Eva illud ei edēdū obtulit.

valde magnam difficultatem habuisse in abstinendo à pomo vetito, postquam Eva commederat, illiq́ue pomum obtulerat, &c. verùm hoc illi probandum erat, cùm sciamus, passiones in statu illo integritatis rationi perfectè subjectas fuisse. Hinc autem sequi videtur, difficultatem Adami non fuisse valde magnam, cùm ex una parte per rationem sciret longè deterius esse Deum offendere, quàm uxorem; & ex altera parte passiones non illum impellerent, nisi juxta motum rationis. Sed quidquid sit de hoc, argumentum nos non urget; non enim dicimus gravem difficultatem adventitiam semper, sed solùm aliquando excusare; nominatim autem non excusat, quando non est probabile, legislatorem noluisse pro tali casu obligare. Atqui hoc non poterat esse probabile Adamo, quia noverat Deum utriq́ue præceptum illud injunxisse; adeoq́ue seipsos non solùm ut personas peculiares, sed ut in vitam individuam conjunctos esse obligatos ad servandam legem. Unde sequitur, unumquemque illorum, non obstante pravo exemplo ac suasione alterius, à pomo illo edendo abstinere debuisse. Idem ex eo etiam colligitur, quòd Deus disertè postulasset hoc præceptum illibatum servari in testimonium subjectionis & obedientiæ primorum Parentum. Ergò constabat, Deum, ob nullam difficultatem in illo statu intercurrentem, voluisse primos homines ab illius obedientia liberare. Idem à posteriori colligitur, quia si Adam putasset se ob hanc difficultatem fuisse liberatum à lege, hanc utique excusationem attulisset. Non attulit autem, sed solùm dixit mulier dedit mihi, & comedi. Ergò vel difficultas, quam patiebatur, non erat magna, vel certè satis sciebat, & credebat, Deum exegisse obedientiam, non obstante illa difficultate.

Si habuisset magnā difficultatem nō ideo excusatus fuisset.

15. Ad exempla juris humani dicendum est, illa communiter & ex se juxta ordinarium rerum cursum esse observatu difficilia: hæc difficultas bene nota, & à legislatoribus considerata fuit, qui tamen, ea non obstante, voluerunt legem observari. Cæterùm in his etiam materiis maxima aliqua difficultas extraordinaria excusat, ut constat ex dictis.

Difficultas rei, non declaratio legislatoris aufert obligationē in legibus humanis.

16. Ad ultimum, constat quidem graviter ægrotantes excusari à lege recitandi horas, jejunii, &c. quia omnes in id consentiunt. Sed unde quæso in hanc consentionem conspirant? non ab ulla lege aut declaratione superioris, ut patet. Quamvis enim Innocentius III. *in cap. Concilium de observatione jejuniorum* expresè definiat, esum carnium infirmis, illum petentibus, indulgeri posse ac debere, tamen ita loquitur, ac si id satis constaret ante talem declarationem, & rationem dat, per quam assertionem probamus, quia scilicet *necessitas legi non subjacet*. Nihilominus in aliquibus legibus nulla ejusmodi constitutio invenitur, à quibus tamen constat magnam necessitatem sæpe obligationem auferre. Itaque Autores ideo solùm in hoc universaliter consenserunt, quia videbant, legislatorem aut expresè aut tacitè noluisse talem casum comprehendere, ob nimiam difficultatem per accidens intervenientem. At hoc æquè valet in multis aliis casibus, in quibus proinde ob solam difficultatem non minùs excusamur, quàm in casu jejunii.

ASSERTIO VII.

Difficile & periculosum est in determinatis materiis exactè definire ultimam, seu infimam mensuram difficultatis ac nocumenti, ab observatione legum nos excusantis.

17. Est difficile, quia, quando res non consistit in indivisibili, sed ita suscipit magis & minùs, ut paulatim crescendo transeamus à quantitate certò obligante, ad quantitatem certò non obligantem. Arduum prorsùs est exactè determinare maximum obligans, & minimum deobligans, ut patet in omnibus, quæ per continuum augmentum transeunt à peccato veniali ad mortale, aut à parvo ad magnum; quod locum habet tam in moralibus, quàm in physicis. Sic in moralibus difficile est determinare ultimum seu infimum furtum, quod est graviter prohibitum. Similiter in physicis difficile est determinare molem præcisam, per quam puer mutatur in adolescentem, adolescens in virum, seu qua fit transitus à non magno ad magnum. At hic est casus noster. Est etiam periculosum, quia cùm veritas non possit certò sciri, timendum est ex una parte, ne legem evacuemus, & ex altera verendum, ne legem astruendo ultra debitum proximorum humeris onus imponamus. Ratio à priori hujus difficultatis oritur à defectu mensuræ certæ, per quam parvum distinguatur à magno, quia quod est magnum respectu unius, respectu alterius est parvum. Similiter quæ magna sunt respectu minorum eadem parva sunt respectu majorum. Sic magna Formica, exiguum quid est respectu equi parvi, &c. Præterea ubi est magnum & parvum, est etiam medium, quod plerumque est prorsùs dubium, quia nescitur an ad magnum pertineat, an ad parvum.

Exhibet. Lex magis & minùs. Quomodo transeamus à quantitate obligante ad non obligantem.

18. Hoc est generale periculum, quod in omni casuum resolutione intervenit, quando quæstio non est certa, nec aliter quàm probabili conjectura determinari potest. Verùm Celladeus *lib. 4. quæst. 15.* plura alia pericula enumerat quasi propria illorum, qui difficultates ac dubia moralia, maximè in particularibus materiis, per difficultates intervenientes resolvunt. Primum est, quòd sic resolvens induat personam legislatoris, assumendo ipsius munus, mentemq́ue illius declarando. Judicat enim, quid in hac re absolutè, quid in hisce circumstantiis, quid quoad hanc personam illi visum fuerit. Probat autem hoc ei visum fuisse, quia hoc debuit illi visum esse, occurrente ista difficultate vel incommodo. Hoc autem est munus legislatoris quodammodò sibi tribuere, & sufficientiam quandam ad leges ferendas usurpare. Certè nisi hanc sufficientiam habeat, non potest tutò judicare, sic vel sic debuisse videri legislatori. At hæc sufficientia paucorum est, quia pauci sunt, quibus respublica legum ferendarum sufficientiam tribueret, si ad tale munus se offerrent.

Resolvens casum, u induat per sonam legislatoris?

19. Secundò in casibus particularibus locum habet amor & odium, spes & metus, quibus passionibus intellectus à munere rectè judicandi plerumque deflectitur, ut Arist. *1. Rhet. 1.* benè observavit; ubi ostendit, munus senatoris ac judicis esse difficilius munere legislatoris. Primò, quia facilius est invenire unum vel paucos prudentes, qui leges ferant, quàm multos. Deinde

Quomodo casuum resolutio difficilima.

leges

leges post longam consultationem feruntur, judicia verò brevissimo tempore conficiuntur. Præterea, & hoc maximum est, legislator de universalibus atque de futuris disponit; senator verò & judex de præsentibus & particularibus rebus judicant. Unde fit, ut cùm ament & oderint, sua quoque utilitas connexa sit, non satis queant veritatem perspicere, sed propria vel voluptas vel dolor judicia obumbret. Unde infert Philosophus, minimum judici relinquendum esse, sed omnia quantum fieri potest, à legibus ipsis explicari ac determinari debere. Ita Aristoteles loco citato. Hæc autem omnia à fortiori dici possunt de iis, qui casus resolvunt; qui certè multi sunt; facilius autem est invenire unum vel paucos legislatores prudentes, qui omnia explicent, quàm plures doctores sapientes, qui dubia resolvant. Deinde casus breviori tempore quàm Judicia confici solent. Tertiò amor & odium, spes & metus, objectorum ac personarum præsentia non minùs doctorum, quàm judicum mentem obfuscant. Accedit bonum spirituale, ad quod casuum conscientiæ resolutiones ordinantur esse difficilius cognitu, quàm bonum temporale, quod à legibus humanis potissimùm respicitur. Si ergò ob istas rationes periculosum sit judici ac senatori rectè judicare de rebus civilibus, multò magis periculosum erit Doctori de rebus conscientiæ judicium facere, & dicere, hoc legislator voluit, quia hoc velle debuit. Quod si non de humana, sed de divina ac naturali lege agatur, quis tutò dicere valet, hoc non illud Deus voluit, quia velle debuit; hoc vel illud illi visum est, quia videri debuit?

Aliæ difficultates ob ignorantiã termini, respectu cujus incommodum dicitur magnum.

20. Rursus quamvis haberetur mensura certa ad dignoscendum magnum & parvum, adhuc difficile & periculosum esset hæc distinguere; quia nesciremus, an incommodum quasi absolutè mensurandum esset, an comparativè tum ad Personas, tum ad alia incommoda magna & parva. Rursus nesciremus, an mensurandum esset in ordine ad finem ultimum, in ordine ad quem omnia, etiam gravissima, vocantur ab Apostolo momentaneum & leve tribulationis nostræ, & Christus ipse eadem vocavit modicum. Et sanè à Prudentibus & Sanctis viris videmur doceri, quòd omnia incommoda vitæ hujus mensuranda sint in ordine ad finem ultimum.

Aliæ, ob periculum nõ debitè applicãdi mẽsuram.

21. Demum periculum esset, ne mensura debitè applicaretur. Sic accidit nonnunquam, ut quis magnum incommodum passurus sit, si solvat debita. Jam si dicas, illum non teneri ad restitutionem, quia restituere nequit sine gravi incommodo, malè applicas mensuram; quia videndum etiam est, quale sit incommodum creditoris, qui fortasse non minùs incommodi patitur ob carentiam restitutionis, quàm debitor pateretur, si omnia restitueret. Ita Celladeus, qui in particulari materia justitiæ benè observat, multas esse difficultates ac pericula mensurandi omnia hæc exactè, tam absolutè quam relativè, tam respectu restitutionis faciendæ à Principibus quàm à privatis, quæ meum non est investigare. Tandem concludit pro regula generali, quòd unusquisque in conscientia teneatur ad solutionem, ac cæteros actus justitiæ in omnibus casibus, in quibus in foro externo ad illos jure obligaretur à judicibus, si omnia illis paterent, sicut patent in foro interno. In tali enim casu idem est judicium utriusque fori. At in foro externo non videtur attendi difficile, sed impossibile; quòd si quis non sit solvendo, cogunt domos & alia vendere. Hæc ille.

Dura Celladei opinio de obligatione restituendi.

22. Quæ ex istis spectant ad probandam difficultatem rectè judicandi in casu præsenti, verissima sunt; sed malè appropriatur huic materiæ, quasi illi soli convenirent; omnia enim æquè urgent in solutione casuum, quando titulus incommodi ac difficultatis gravis locum non habet: v. g. difficile est distinguere omnia facta magna à parvis, & exactè determinare quòd hæc sit quantitas præcisè sufficiens ad peccatum mortale, adeo ut omnis quantitas infra illam solùm fundet peccatum veniale. Certè spes & metus, amor & odium, & reliqua à Philosopho ponderata, non minùs in hujus quàm aliarum quæstionum resolutione locum habent, ut patet. Sed & in hac quoque materia, quæ utique est juris naturalis ac Divini, declarare debet Theologus mentem legislatoris, etiam Dei ipsius, & dicere, quid absolutè, quid in hisce circumstantiis, ac in ordine ad istas personas voluerit Deus graviter, quid leviter prohibere. Neque tamen hoc est sufficientiam ad leges ferendas usurpare, aut munus legislatoris assumere, sed humiliter atque submissè sensum legum factarum investigare, quando legislator mentem suam sufficienter non explicuit. Cùm enim constet, aliqua furta esse gravia, alia levia, nec Deus satis declaraverit, quæ præcisè quantitas sit gravis, quæ levis, sive res consideretur absolutè sive relativè, supereſt, ut cum debita submissione voluntas ejus investigetur, & declaretur. Investigatur autem à doctis & probis subditis ope rationis, quæ, ex variis circumstantiis firmata, non concludit, Deum debuisse (ut non minùs immeritò quàm nimis crudè enunciat Celladeus) sed voluisse hæc facere, quia iis omnibus in quibus certò scimus quid voluerit rectè inspectis, aliisque circumstantiis bene perpensis, congruum est existimare, eum de facto talem mensuram statuisse, &c. Ita tamen ut pro sua sapientia ac providentia longè aliter statuere potuisset. Idem dicendum proportionaliter de aliis legibus in casu simili.

Objectiones istæ malè appropriatur præsenti materiæ.

Qui leges interpretatur, non assumit munus legislatoris.

Nec dicit quid Deus debuit, sed quid voluit præcipere.

23. Cæterùm non apparet, quod ad præsentem quæstionem doctrina illa Philosophi, ejusque ad Theologos applicatio conducat. Desiderandum quidem esset, omnia à legislatoribus ita determinata fuisse, ut nihil judicibus, nil doctorum opinionibus determinandum relinqueretur. Verùm cùm hoc non sit factum, quid agendum? Nónne veritas optimo quo potest modo est investiganda? At quis modus supereſt, nisi ut periti & probi eam quærant, inventamque aliis proponant? Parum autem interest, an hoc munus sit facilius vel difficilius munere legislatoris, quia quælecunque est, necessarium est, & in necessariis optimum, quod haberi potest, eligendum est, etsi illud non sit perfectum, sed variis exceptionibus subjaceat. Sed & eadem comparatio ipsum Celladeum impetit, utpote qui contra communem fermè omnium opinionem valdè resolutè docet, Deum noluisse hæc & illa, quæ tamen alii communiter putant Deum voluisse. Quis quæso horum majori periculo subjacet? Quis magis legum ferendarum sufficientiam arrogat? Quis potiùs legislatoris sibi munus assumit? Viderit Celladeus, & cùm se propriis argumentis irretitum viderit, aut nostræ solutioni acquiescat, aut meliorem tam pro se quàm pro nobis afferat.

Argumentum Celladei nil conducit ad intentum.

Celladeus propriis argumentis urgetur.

Theologi majorẽ adhibent diligentiam ad solvendas quæstiones cõmunes, quam legislatores ad condendas leges.

24. Præterea immeritò fugillat Theologos, eò quòd minorem diligentiam quàm judices ac legislatores adhibeant. Certè si sermo sit de quæstionibus multùm agitatis, nominatim autem de

præsenti quæstione reflexa circa licitum usum opinionum, ausim affirmare, nullum humanum legislatorem aut judicem tantum studii, temporis, ac laboris assumpsisse pro ulla causa determinanda, aut lege ferenda, quantum Theologi assumpserunt ad hanc stabiliendam. Cur ergò queritur Celladeus ? Sed & de aliis quæstionibus agitatis eadem est ratio, quia causæ istæ semper de novo ad incudem revocantur, dum omnium priorum informationes, argumenta, & exceptiones denuo examinantur, quibus alia subinde adjunguntur, donec veritas magis ac magis stabiliatur.

Mẽsura certa magni & parvi multũ juvaret, si haberetur.

25. Sed inter reliqua, illud etiam apertè falsum est, quod etsi haberemus mensuram certam ad dignoscendum magnum & parvum, adhuc nesciremus an parvum & magnum sumendum esset absolutè, an comparativè ? an ad finem ultimum vel non ultimum ? Inprimis de facto certò scimus, mensuram hanc non debere sumi in ordine ad finem ultimum, quia constat, nullum incommodum temporale aut esse, aut dici posse grave relatè ad finem ultimum. Et tamen certum est, homines sæpe excusari à lege servanda ob incommoda gravia, quæ per accidens interveniunt. Ergò scimus gravitatem incommodi non esse mensurandam in ordine ad finem ultimum. Præterea, si haberemus certam mensuram dignoscendi parvum & magnum, illa vel esset mensura magni absolutè, vel magni relativè ; quomodocunque autem sumeretur, multùm prodesset ad determinationem ejus, quod quæritur, quia per illam certò sciremus, quid judicandum esset in ordine ad rem sumptam in sensu, cujus certam mensuram haberemus ; inde autem procul dubio multùm juvaremur ad sciendum quid esset magnum & parvum in altero genere. Immò hæc duo sunt ita connexa, ut vix sciri possit unum, quin & alterum sciatur. Si enim aliquid certò sit grave detrimentum uni, quia tantum illi nocet ; rectè infertur, ergò illud quod communiter tantundem nocet, est simpliciter grave, quia eadem est ratio utriusque ; & è contrario, si aliquid sit simpliciter grave, quia communiter & universaliter tantum mali secum vehit, utique & illud erit grave respectu peculiaris Personæ, quod tantundem mali ipsi affert. Sunt enim hæ notiones ita connexæ, ut una mutuò inferat aliam.

Incommodum grave quod excusat, non dicitur tale respectu finis ultimi.

Celladeus immeritò suggillat casuistas, & cõfessarios.

26. Cæterùm valdè cavendum est, ne mensura, qualemcunque habemus, indebitè applicetur. Casuistæ & prudentes confessarii valdè solliciti sunt, ut suum cuique restituatur, nec reflectunt solùm ad damnum debitoris, sed etiam ad creditoris incommodum respiciunt ; quamvis Celladeus rem ita proponat, ac si ad ista nullatenus respicerent, sed statim absolverent debitorem, si dicat, se citra grave incommodum non posse restituere. Verùm fallitur, plurimi enim in istis rebus sunt exactissimi, quos ille ex generali modo loquendi depingit ut incurios, & quidlibet sub prætextu probabilitatis permittentes. Sed, laus Deo, omnia aliter se habent, ut plurimi pœnitentes ære alieno gravati benè norunt.

Absurda, & æquivocationes Celladei.

27. Demum in regula generali, quam proponit, latet æquivocatio : admitto quidem forum internum & externum non discrepare, quando eadem prorsùs constant in utroque foro ; unde toties asseritur obligatio in foro interno, quoties assereretur in foro externo, si eadem in externo paterent, quæ patent in interno. Sed in eo æquivocat Celladeus, quòd ab ista hypothesi statim transeat ad id, quod fit absolutè in foro externo, in quo debitores sæpe coguntur domos & alia vendere. Sic enim rem proponit, ac si statim homo in foro interno teneretur omnia vendere, & seipsum prorsùs nudum in extrema necessitate constituere ; quod certè verum non est, cùm æquitati naturali repugnet. Neque exemplum fori externi hoc probat, quia forum externum præsumit, debitorem posse per se, aut amicos media invenire, quibus solvat. Quòd si in foro externo constaret, eum non posse omnia solvere, nisi se omnibus nudet, ac in gravissima & extrema necessitate constituat, justus judex fortassis damnaret quidem illum ad aliqua de præsenti alienanda, sed ad omnia de præsenti vendenda, seque omnibus omnino privandum non damnaret. Quod si aliquis judex ad ista aliquem damnaret, videretur summo jure, ideoque & summâ injuriâ agere. Est & alia æquivocatio, quia forum externum numquam agit, nisi actor exigat totum suum jus, & quidem quàm citissimè solvi. At in foro interno plerumque aliæ longè sunt circumstantiæ, quia sæpe est præsumptio, quòd creditor contentus sit dilatione aliqua, & solutionem per partes accipere, quando debitor sine ingenti incommodo non potest totum, aut quidquam de præsenti solvere. Itaque Celladeus hac in re aliud mihi videtur non fecisse, quàm rem ita proponere, ut lector in varia dubia incidat, credatque eundem semper rigorem servandum esse in foro interno, qui de facto servatur in foro externo ; quo nihil absurdius dici potest. Cæterùm hæc inconvenientia facilè vitata fuissent, si rem, ut oportebat, exactè distinxisset. Vidisset enim easdem circumstantias in casu præsenti rarò aut nunquam intervenire in utroque foro, ideoque rigorem, quem de facto videmus in foro externo, non esse regulam ad procedendum in foro interno.

ASSERTIO VIII.

Optima Regula dignoscendi magnum & parvum in re præsenti est judicium ac consensus prudentum.

Judicium prudentum est optima regula dignoscendi magnum à parvum in re morali.

28. PROBATUR assertio, quam omnes ferè, Celladeo fatente, amplectuntur, quamvis ille §. 2. eandem vehementer aversetur. Probatur, inquam, quia maxima pars hominum est incapax ad discernendum, quid sit parvum, quid magnum, seu ad taxandam magnitudinem incommodi quod excusat à lege. Ergò maxima hominum pars non potest aliam regulam habere, quàm consilium peritorum. Eadem autem regula valet respectu omnium, quia in re incerta (qualis est illa, de qua loquimur) unusquisque in propria causa prudentiùs fidit alieno judicio, quam proprio. Neque alia ulla regula melior, rationabilior, aut universalior afferri potest.

Idem confirmatur ex probabilitate.

29. Confirmatur. Lex ex S. Isidoro, *lib. 5. Etymol. cap. 21.* quam omnes sequuntur, debet esse possibilis, id est, ut exponit S. Thomas, *1. 2. quæst. 96. art. 3.* debet esse observabilis juxta possibilitatem naturæ : *Non enim, inquit, eadem imponenda sunt pueris, quæ imponuntur viris perfectis.* Hinc sic arguo : Pueri eximuntur ab aliquibus legibus, eò quòd observatio talium legum sit nimis difficilis pueris. Ponamus puerum, adolescere incipientem, movere quæstionem, an de facto obligetur ? Aut certè, quando dictis legibus

gibus obligabitur? Quid juxta leges prudentiæ facere debet adolescens iste, ut tutus sit in conscientia? Non aliud profectò, quàm prudentes consulere, & eorum resolutioni se accommodare. Eadem autem est ratio de omnibus, qui per seipsos talia dubia resolvere nequeunt. Immo & quivis in propria causa, ut jam notatum est, prudentiùs facit, si aliorum peritorum consilio, quàm propriæ directioni se permittat. Ergò judicium, opinio, & consensus peritorum est optima regula dignoscendi magnum & parvum in præsenti materia.

SOLVUNTUR OBJECTIONES Celladei.

Objectio 1. 30. OBJICIT primò. Si res hæc judicio prudentum relinquatur, magna tam rerum quàm opinionum confusio orietur, quia quod uni magnum, id alteri parvum videbitur. Præterea per hoc magno errandi periculo exponimur. Demum sic incidimus in æquitatem cerebrinam, quam Juristæ meritò judicant esse valdè periculosam.

Autores solum discrepât circa mensurâ mediocrem inter parvũ & magnum certò cognitum.

Respondeo, ex usu hujus regulæ futuram quidem aliquam, sed non adeo magnam, ut Celladeus imaginatur, opinionum varietatem, ut de facto videre est inter Autores, qui de hac re non usque adeo discrepant. Deinde tota varietas verſatur circa quantitatem mediocrem, quæ mediat inter magnum & parvum certò cognitum. In hac autem discernenda necessariò exponimur periculo errandi; quia Deus non dedit media, quibus possimus veritatem ipsam certò assequi. Itaque si post diligentiam debitam erremus, error nobis tribuendus non erit. Ideoque nemini vitio verti potest, quòd talis erroris periculo se exponat; maximè cùm versemur in re, quam legislator sufficienter non declaravit; in talibus enim ex ipsa legislatoris mente æquum est, totam rem hanc, & absolutam obligationem legis circa ea, quæ ipse sufficienter non expressit, in prudentem tandem resolutionem devolvi. Demum hæc non est illa æquitas cerebrina, quam Juristæ damnant; loquuntur enim de illis, qui omnia suo Judicio definire volunt, etiam quando quæstio per leges determinari potest; vel certè de illis, qui indebitè suis opinionibus addicti, eas quodammodò adorant, & alios omnes sibi comparatos contemnunt, quique propterea verè sunt homines duri capitis, & meritò appellantur cerebrosi. At utrumque horum valdè pernicioſum est. Verùm quando quæstio per leges ipsas determinari nequit, Juristæ non reprehendunt eos, qui post debitum examen ope rationis resolvunt dubia; hoc enim laude non reprehensione dignum est, & ab illis, non minùs quàm à Theologis, quotidiè in praxim reducitur.

Æquitas cerebrina, quid significet?

Objectio 2. 31. Objicit secundò, tam difficile est verè prudentes à verè non prudentibus, quàm magnum à parvo, vel grave à levi discernere. Ergò judicium prudentum non est medium aptum ad discernendum parvum & magnum.

Prudentes facilè sciuntur.

Respondeo, prudentes alios esse tales quoad se, alios quoad nos. Illi sunt prudentes quoad se, qui sunt sufficientes ad rationabiliter judicandum de re proposita, secundùm rei ipsius qualitatem, relatè ad capacitatem humanam. Illi sunt prudentes quoad nos, qui meritò præsumuntur habere talem sufficientiam, quamvis fortassis aliquando illâ careant. Porrò facilè est utrosque discernere, ut latè ostensum est, *quæst. 24.* & *quæst. 41.* Per hos ergò facilè scire possumus magnum & parvum, grave & leve.

Objectio 3. 32. Objicit tertiò. In aliquibus legibus mensura incommodi excusantis admittitur ab ipso legislatore; sic nec senes, nec pueri obligantur ad jejunium: aliquando magnitudo mali est manifesta & omnibus indubitata; sic febris à jejunio, officio, aliisque liberat. At quando non sumus in rebus ita manifestis, tutior pars tenenda est.

Confirmatur. Superiores Societatis JESU, & aliorum Ordinum, habent privilegium commutandi officium. At privilegium probat obligationem in non privilegiatis. Et S. Thomas *in 3. dist. 37. quæst. 1. art. 4.* tradit, necessariam esse dispensationem, etiam quando cessat intentio & ratio legis. Ergò à fortiori in dubio. Hæc sunt quæ Celladeus contra positam assertionem objecit.

Celladei contradictio.

Respondeo inprimis, doctrinam hujus objectionis apertè contradicere toti intento, ac potissimo asserto Celladei. Contendit ille, verum ac positivum probabile sufficere ad conscientiam rectè formandam. Hoc probabile locum habet, quando deest certitudo. Ergò sufficit, absente certitudine. Ergò apertè sibi contradicit Celladeus, dum hic dicit, tutiorem partem tenendam esse, ubi deest certitudo.

Legislator præcipiens jejunium, non declavit, qui sint à lege exêpti.

33. Respondeo 2. Objectionem continere doctrinam undequaque insufficientem, & falsam. Peto enim, quis legislator præscribens jejunium excepit pueros & senes? Rursus si quis eos exceperit, peto, quos nomine puerorum & senum intellexerit. Profectò si hæc per ipsum legislatorem determinata fuissent, leges illæ seu exceptiones legales citatæ fuissent ab Autoribus, quas tamen, ni fallor, à nemine citatas invenies. Præterea si legislator ista determinasset, nulla esset lis inter Doctores, quinam, & in qua ætate homines sint reputandi senes? & tamen de hoc ipso disputant, aliis hanc, aliis illam ætatem pro senecta statuentibus. Stat ergò, legislatorem ista non determinasse, sed communi prudentum judicio ea reliquisse. Idem dicendum de aliis etiam titulis, ob quos homines à jejunando excusantur. Insufficiens ergò est, & falsum, quod de jejunio expressit Celladeus.

Alius Celladei error.

34. Sed magis insufficiens apertiúsque falsum est, quod ait, febrim à jejunio, officio, aliisque ejusmodi, absque omni dubio excusare. Profectò hæc expressio valdè periculosa est, quia communis opinio docet, quod aliquando febris tertiana, aut quartana non excuset à recitatione horarum, si officium citra magnum incommodum anticipari possit. Uno verbo non omnis febris reddit recitationem horarum adeo difficilem & noxiam, ut titulo illius detur sufficiens excusatio. At qui legit Celladeum putabit, oppositum non solùm esse verum sed certum. Et tamen is est, qui alios periculi arguit ob laxitatem, qui tamen longè accuratiùs loquuntur, quàm ipse, & ita mentem exponunt, ut ex verbis ipsorum nemo facilè erret. At ipse sæpe ita loquitur, ut Lector facillimè erraturus sit, & conclusiones certò falsas pro certò veris illaturus.

Inaccuratè loquitur & ansam erranti, Lectori præbet.

Aliquando, nõ semper, privilegium supponit obligationẽ in non privilegiatis.

35. Quod additur circa privilegium commutandi horas in leviorem orationem, nil facit ad rem; quia privilegium illud ideo datum est, ut, mediante superioris voluntate, certò excusentur subditi, non solum in dubio de sufficientia difficultatis, sed etiam quando constat, causam parte non

non esse absolutè sufficientem. Cæterùm, privilegium aliquando quidem supponit obligationem in non privilegiatis, sed non semper eam supponit; quia dari potest ad scrupulos arcendos. Sæpe enim homines scrupulosè timent, an causa sit verè sufficiens, qualis apparet; ad tales autem scrupulos sedandos congruum fuit, dari privilegiam superioribus ad liberandos subditos à tali vexatione, & ad illos certificandos, quòd liberi sint, saltem ex vi privilegii ipsis concessi. Itaque hinc est, quòd Auctores communiter doceant, privilegium concessum non semper supponere obligationem; quasi verò certum sit, quòd obligatio vigeret, si privilegium abesset. Demum quod affertur ex S. Thoma non urget, quia dictum S. Thomæ intelligi debet, quando finis legis solùm cessat in aliquo particulari; hoc enim non obstante, singularis ille homo obligatur lege, nec sine dispensatione liberatur ejus onere. At quando finis & ratio legis cessat generaliter, cessat etiam lex, ut docent Auctores, qui ex professo doctrinam de legibus tradunt.

ASSERTIO IX.

Quantitas incommodi excusantis ab observatione legũ, non est una & eadem in omnibus legibus.

Quantitas incommodi excusantis ab observatione legum non est una eademq; in omnibus legibus, sed aliquam varietatem subit, quam sub generalitate aliqua explicandam assumo.

36. PROBATUR. Leges positivæ, ut bene arguit Bresserus *lib. 4. cap. 17. num. 185.* non obligant æqualiter, sed una gravius, una levius juxta exigentiam materiæ. Hoc ex eo patet, quòd superiores facilius, & ob minora incommoda dispenset in una, quàm in alia. Ergò minora incommoda sufficiunt ad dispensationem rationabilem in una, quàm in alia lege. Ergò similiter minora incommoda sufficiunt ad penitus evacuandam obligationem unius, quàm alterius; in quo Theologi etiam conveniunt. Ergò quantitas incommodi excusantis non est una eademque in omnibus legibus, sed aliquam variationem subit.

Porro ad tractatum de materiis particularibus pertinet determinare, quæ sit quantitas incommodi excusantis ab observatione legum, materias illas præcipientium. Illud solùm dici potest hîc in genere, quòd quantitas illa colligenda sit ex natura rei præceptæ, ex doctorum explicatione, atque ex praxi sensuque subditorum. Ex his enim optimè colligitur intentio legislatoris, & rectè determinatur, quòd per unam legem obligare voluit ad majus incommodum subeundum, quàm per aliam.

Vide 6. vers. fin. determinata.

QUÆSTIO QUINQUAGESIMA-NONA.

Vtrùm Epiikia locum habeat in dubiis?

Ratio quæstionis institutæ.

1. QUÆSTIO hæc consectanea est ad præcedentem, à qua magna ex parte dependet. De hac quæstione agit Celladeus *lib. 4. quæst. 16.* ubi contendit, Epiikiam locum non habere, nisi quandò tutiùs est agere contra verba legis, quàm juxta illa operari. Inde autem infert, omnes eos errare, qui putant, Epiikiam tunc intervenire, quandò vel ob difficultatem intervenientem, vel præsumptam superioris voluntatem, aut aliam interpretationem leges non servantur; plerumque enim in istis casibus constat, eum, qui legem non servat, sectari partem minùs tutam, ac proindè constat, etiam eum ex Epiikia non operari. Hæc & hujusmodi plura habet in ista quæstione, in quibus à vero non parum deflectit, ut ex sequentibus assertionibus patebit.

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit explicare propriam essentiam Epiikiæ.

Epiikia quid sit?

2. EPIIKIA, seu ἐπιείκεια, est vox Græca; derivatur ab ἐπὶ, quod significat supra, quodque in compositione augendi vim habet, & εἰκὸς, quod significat æquum, consentaneum, ac decens; adeo ut ἐπιείκεια idem sit quod latinè excellens quædam æquitas. Aristoteles agit de Epiikia, seu æquitate *1. Rhet. cap. 13.* & potissimè *5. Eth. cap. 14.* ubi dicit, Epiikiam esse meliorem quandam ac sublimiorem justitiam, utpotè quæ non ex legibus, sed ex æquo & bono regulam sumit, & quid sit agendum determinat. Rursus *lib. 6. cap. 11.* definit Epiikiam esse rectum judicium æqui & boni. Et sine dubio Epiikia propriissimè accipitur pro dictamine intellectûs, ideoque Aristoteles eam recensuit inter partes Prudentiæ, & Γνώμην appellavit. Cæterùm æquum & bonum

& bonum hoc loco accipitur, prout est rectum quoddam non præscriptum à lege, sed per quod lex corrigitur, & emendatur; adeo ut Epiikia aliud non sit, quàm judicium, per quod leges corriguntur & emendantur, ut fusè tradit Arist. 5. *Eth. c. 13.* & post eum S. Thomas *2. 2. quæst. 120. art. 1. in corpore*, quos alii sequuntur.

Quid senserit Aristoteles de Epiikia?

3. Audiatur inprimis Aristoteles dicto *cap. 14.* ubi hæc habet. *In quibus enim necesse est, ut in universum dicatur, rectè autem id non potest, lex id sumit quod ut plurimùm fit, non ignorans sanè quòd peccatur. Et nihilominus tamen rectè sese habet: quippè cùm peccatum in lege minimè sit, neque in legislatore, sed in rei ipsius natura consistat. Statim enim rerum agendarum materia ejusmodi est. Quando igitur lex in universum dixerit, & præter universale posteà quidquam contigerit: tunc rectè se habet, si quæ legislator omisit, absolutéque & simpliciter, loquendo peccavit, corrigatur defectus: id quod legislator etiam ipse, si adesset, dixisset; & si scivisset, ita præscribentem legem instituisset. Idcirco jus quidem est, & melius quodam jure, non eo tamen quod absolutè est, & simpliciter, sed eo quod absolutè loquendo peccat. Estque ea æqui & boni natura, ut legis, qua parte deficit ob universale, emendatio sit.* Hæc Arist.

Epiikia est correctio legis propter verba universalia exorbitãtis.

4. Audiatur etiam S. Thomas *2. 2. quæst. 120. art. 1. corpore*, ubi præclarè explicat, quæ ex Philosopho attulimus. *Quia*, inquit, *humani actus, de quibus leges dantur, in singularibus contingentibus consistunt, quæ infinitis modis variari possunt, non fuit possibile, aliquam regulam legis institui, quæ in nullo casu deficeret. Sed legislatores attendunt ad id, quod in pluribus accidit, secundùm hoc legem ferentes, quàm tamen in aliquibus casibus servare est contra æqualitatem justitiæ, & contra commune bonum, quod lex intendit. Sicut lex instituit, quòd deposita reddantur, quia hoc, ut in pluribus, justum est; contingit tamen aliquando esse nocivum, puta si furiosus deposuit gladium, & eum reposcat, dum est in furia: vel si aliquis reposcat depositum ad patriæ impugnationem. In his ergo & similibus casibus malum est sequi legem positam. Bonum autem est, prætermisso verbo legis, sequi id, quod poscit justitiæ ratio, & communis utilitas. Et ad hoc ordinatur Epiikia, quæ apud nos dicitur Æquitas.* Ex hisce habemus propriam Epiikiæ naturam in eo consistere, quòd sit judicium, quo intellectus ex æquo & bono emendat defectum legis, & dictat verba legis non esse hìc & nunc servanda, sed potiùs faciendum esse, quod legislator, si adesset, & circumstantias præsentes inspiceret, fieri vellet. Et hæc quidem est natura Epiikiæ, si sumatur pro dictamine intellectûs; est enim particularis prudentia, qua intellectus dictat legem, aliàs universalem, hìc & nunc ob aliquam peculiarem rationem non esse servandam. Cæterùm si Epiikia sumatur, sicut sumi potest, pro actu voluntatis, seu pro volitione id exequendi quod intellectus proponit, spectat ad varias virtutes juxta naturam materiæ quæ sit, & motivi ob quod fit.

ASSERTIO II.

Epiikia non habet locum in lege naturali aut divina, sed tantùm in lege humana, si lex sumatur, prout se tenet ex parte legislatoris. At aliqua, sed non omnis lex divina, & naturalis admittit Epiikiam, si leges sumantur prout promulgatæ, seu prout à nobis apprehenduntur, & intelliguntur.

Lex Divina prout se tenet ex parte legislatoris nõ est capax Epiikiæ.

5. PROBATUR prima pars. Epiikia est emendatio, & correctio legis, quæ ob universale exorbitat, & peccat. At lex divina, prout se tenet ex parte Dei legem ferentis, nec exorbitat, nec peccat: ergò lex divina, taliter accepta, non est capax emendationis, aut correctionis. Ratio est, quia Deus perfectissimè novit omnes omninò circumstantias, in quibus actiones humanæ versaturæ sunt, aut versari possunt. Vel ergò præceptum extenditur ad omnes omninò circumstantias, in quibus actio versari potest, vel ad aliquas tantùm restringitur: si ad omnes extenditur, in omnibus obediendum erit, nec locus erit correctioni: si autem restringatur ad aliquas tantùm, lex illa, prout est in mente Dei, non est prorsùs universalis, sed limitata & restricta. At prout restricta est ad tales circumstantias, nullam patitur exceptionem aut correctionem, ergò nulla lex divina, prout se tenet ex parte Dei, legem ferentis, capax est Epiikiæ.

Lex humana ut est in mẽte legislatoris sæpe capax est Epiikiæ.

6. E contra se res habet in lege humana; quia humanus legislator ob imperfectionem sui intellectûs non potest in particulari prævidere, & cognoscere omnes circumstantias, in quibus actio versari potest: undè sub notione confusa & generali concipit legem, quæ revera juxta expressionem, in mente legislatoris conceptam, complectitur circumstantias, ad quas si legislator explicitè attendisset, non sub hac sed sub alia expressione legem tulisset. Atque hinc est, quòd leges humanæ, etiam prout sunt in mente legislatoris, aliquo modo peccent, & exorbitent; & consequenter per æquum & bonum corrigendæ sint. Dixi, *aliquo modo peccent, &c.* quia prout sunt in mente sapientis legislatoris simpliciter non peccant. Ratio est, quia prudens legislator in universali benè noscit defectus plures interventuros in particulari, quos ipse in particulari nunc non prævidet; ideoque non habet animum absolutè obligandi in omnibus circumstantiis, quæ hìc & nunc sub mentis suæ expressione comprehenduntur, sed expressionem illam per æquum corrigendam relinquit. Itaque lex, utpotè quæ actum intellectûs & voluntatis indivisim involvit, simpliciter & absolutè non peccat, quamdiu voluntas legislatoris non exorbitat, & peccat. At illa bona est, & nulla correctione indiget.

Nec legislator, nec lex simpliciter peccat, quãvis verba legis exorbitent, & peccent.

7. Et hoc est quod Aristoteles supra dixit, legem esse rectam, quamvis peccatum illius non ignoratur; quia intentio legislatoris, quæ est anima legis, solùm fertur in id, quod plerumque accidit, quamvis, ob defectum cognitionis perfectæ, hanc suam intentionem sub notione nimis universali exprimat; & ideo dicit peccatum non esse neque in lege, neque in legislatore, sed solùm in ipsa re, quæ ex necessitate quadam sub terminis universalibus explicari debuit. Sumpta autem secundùm illam universalitatem exorbitat, seu

seu peccat, quia comprehendit ea, ad quæ intentio legislatoris non extenditur. Itaque lex ex una parte est & dicitur recta, ob rectam & minimè corrigendam intentionem legislatoris; & ex altera parte ratione expressionis peccat, & deficit ab æquo, ob nimiam universalitatem. Peccatum ergò non est in lege formaliter sumpta, seu qua parte lex obligat; & ideò tam legislator, quàm lex simpliciter dicta non peccat, quia ut peccatum tribui posset alterutri, intentio legislatoris deberet à recto deviare. Eadem tamen lex materialiter sumpta peccat, quia pro materiali dicit expressionem, quam legislator habet in mente, quæ est nimis universalis. Hæc doctrina Philosophi planè coincidit cum ratione à nobis allata, quia intentio legislatoris, seu voluntas obligans semper est recta, nec ulla indiget correctione. At actus intellectûs, per quem concipit legem & fertur in materiam præcepti, exorbitat, quia est nimis universalis, & propterea subjacet correctioni, & corrigi debet, quatenus peccat, seu deficit ex illa parte, qui tamen defectus seu peccatum non est defectus, & peccatum simpliciter ex parte legis, qua lex est, seu qua obligat; sed solùm secundùm quid. Ecce illa ipsa ratio, quæ probat, legem humanam, prout est in mente legislatoris, esse capacem emendationis & correctionis, evincit legem divinam talis correctionis esse incapacem, quia intellectus divinus legem dictans ad nil prorsùs extenditur, ad quod ejusdem voluntas strictè non obligat. Proinde nulla lex Divina ullius exceptionis, aut correctionis capax est, quia in nullo ab æquo & recto exorbitat, sive spectes actum intellectûs dictantem, sive actum voluntatis obligantem. Itaque sola lex humana, prout existit in mente legislatoris, Epiikiam admittit.

Lex Divina, ut à nobis intellecta, capax est Epiikiæ.

8. Probatur secunda pars, quæ videtur esse contra Celladeum. Leges divinæ, tam naturales quàm positivæ, promulgantur & explicantur nobis per terminos universales, qui aliquando extenduntur ad plures circumstantias, quàm mens & voluntas Dei legislatoris. Sic conjux tenetur consorti debitum reddere. Hæc lex universali expressione nobis intimatur, & ideo universaliter intellecta exorbitat; quia in multis casibus à reddendo debito excusatur, ut constat. Idem valet in exemplis à S. Thoma supra allatis. Ergò lex etiam Divina, prout nobis explicata, & prout à nobis intellecta, non minùs deficit ob universale, quàm lex humana. Ergò utraque ex æquo debet corrigi, quia quod deficit, quà deficit, emendari debet. Nec hoc ullo modo in dedecus Dei cedit, quia defectus iste non tribuitur Deo, aut legi, prout illa in mente ac voluntate Dei existit, sed solùm nobis, qui ob nostram imperfectionem non sumus dispositi ad intelligendam legem Dei, quæ secundùm se ad peculiares circumstantias restringitur, nisi per conceptum nimis universalem, qui propterea ab æquo exorbitat, & per æquum corrigi debet. Nec tamen hoc locum habet in omni prorsùs lege, quia sunt plures leges prorsùs universales, quæ nullam omnino exceptionem patiuntur. Talis est lex non odiendi, non blasphemandi Deum, non operandi contra conscientiam; & universim omnes, quæ prohibent objecta ita intrinsecè mala, ut per nullam circumstantiam honestari possint. Quia in his lex existens in mente Dei complectitur omnia prorsùs, ad quæ eadem in mente nostra extenditur.

9. Hinc Celladeus immeritò carpit Cordubam, aliosque, quòd Epiikiam admittant in lege Divina; quia eodem jure reprehendere potuisset S. Thomam, qui expresè tractans hanc materiam, rationem suam quibusdam exemplis confirmat, in quibus Epiikia locum indubitatum habet: illa autem exempla ex materia legis Divinæ ac naturalis desumpta sunt, quia depositum lege naturæ reddendum est; & tamen in casibus à S. Thoma allatis non est reddendum, sed expressio universalis, sub qua lex naturalis à nobis apprehenditur, corrigenda est, & per Epiikiam limitanda. Est quidem nefas dicere, nos aliquam Dei legem emendare, si lex illa accipiatur prout est in mente Dei, seu prout ad ea præcisè terminatur, quæ mens divina complectitur. At non nefas, sed æquum, & excellens æquum est, expressiones nostras nimis universales, quibus legem Dei intelligere ac exprimere solemus, corrigere ac emendare, quod fit per Epiikiam. Porrò si Celladeus ad hanc distinctionem attendisset, fortasse Cordubam non reprehendisset, sed existimasset eum loqui juxta secundam partem hujus assertionis. Cæterùm per hanc assertionem facilè conciliantur Authores circa præsentem materiam; nam qui negant Epiikiam locum habere in lege Divina ac naturali, intelligendi sunt juxta primam partem assertionis; qui verò eam admittunt in lege Divina, in sensu secundæ partis ejusdem assertionis loqui censendi sunt.

Cordub. tract. de Epiik. c. 2. n. 3.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

10. OBJICIES primò. Epiikia, & legis emendatio tunc propriè dicitur, cùm defectus legis particularis fiunt præter mentem ac voluntatem legislatoris, nec ipso legislatore authore. Unde nec in humanis est Epiikia legem universalem per particularem dirigere, & emendare, quia totum hoc est opus ipsius legis & legislatoris non æqui & boni. At nulla emendatio legis Divinæ contingere potest præter mentem & voluntatem Dei, sed fit, ipso auctore, & dirigente per legem vel externam, vel internam. Itaque nulla contingit emendatio legis Divinæ naturalis, quæ fit contra vel præter totam legem naturalem; quia ipsa emendatio præscribitur à lege naturæ. Ergò Epiikia propriè non habet locum in illa lege Divina. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo inprimis, quæstionem hanc, juxta rationem objectionis intellectam, evadere posse quæstionem de nomine, quia nos omnem legis correctionem, quæ fit per æquum & bonum naturaliter nobis insitum, vocamus Epiikiam, quamvis illa sit à Deo tanquam ab auctore illam volente & dirigente; in quo loquimur cùm D. Thoma, qui non alia Epiikiæ exempla tulit, quàm ea, in quibus lex naturæ per aliam legem naturæ admittit Epiikiam in lege Divina. corrigitur, & limitatur. Alii verò non omnem correctionem, sed illam solùm, quæ fit absque legislatoris voluntate & directione, Epiikiam nominant. Porrò si correctio admittatur æquè in uno casu, ac in alio, totum intentum habetur quoad rem ipsam, & parum interest, utrùm illa correctio vocetur Epiikia, nec ne.

11. Respondeo secundò, doctrinam objectionis evertere omnem prorsùs Epiikiam; quia nulla est lex humana, quæ etiam non sit à Deo approbata, non solùm, quia Deus universaliter jussit nos obedire præpositis nostris, eorumque mandata servare; sed etiam, quia lex humana totam vim obligandi in conscientia habet à Divina voluntate illam approbante. Ergò in omni

Celladeus §. 2. n. 11. Deus approbat omnem legem humanam.

leg-

lege, etiam humana, potissimum quod in illa est, est voluntas Divina illam approbans, & ad obedientiam obligans. Ergò nulla legis interpretatio est propriè Epiikia, quia omnis interpretatio est à Deo, qui est præcipuus auctor omnis legis & solus auctor omnis veræ ac strictæ obligationis in conscientia.

Correctio legis exorbitaris semper est Epiikia, quamvis fiat ex lege, vel præscripto legislatoris.

12. Confirmatur. Si vera esset hæc doctrina, tolleretur Epiikia etiam in lege humana; prudentes enim legislatores optimè norunt, universales suas expressiones esse absurdas, nisi emendentur; & consequenter volunt suas leges corrigi, quando occasio tulerit. Itaque correctio legum non fit contra, nec præter, sed juxta eorum voluntatem atque intentionem. Et quidem quamvis in universali præscriberent correctionem esse faciendam, hoc non tolleret Epiikiam, sed eam potiùs imperaret, ut patet. Undè in contrarium argumenti, sic arguo. Non tollitur Epiikia per hoc, quòd lex particularis corrigatur per generalem legem præscribentem correctionem, ubi lex exorbitat. Ergò neque tollitur quando lex particularis corrigit universalem. Ratio est, quia leges istæ solùm præcipiunt id, quod antea jure naturæ præceptum erat, & fieri debuisset, quamvis leges istæ correctrices ab homine latæ non fuissent. At quod hoc fiat dependenter à lege humana, vel solùm dependenter à lege naturali, non alterat opus ipsum. Ergò illud semper erit idem eodem modo factum, dummodò semper fiat ex æquo & bono. Ergò semper erit Epiikia. Ergò sicut non est absurdum, quòd una lex sit alterius correctio, aut alterius correctionem præscribat; ita non est absurdum, quòd una sit alterius Epiikia, aut eam præscribat, quia Epiikia non est nisi correctio legis ex æquo & bono. At talis correctio consistere potest in alia lege, aut per aliam præscribi ac præcipi. Ergò & Epiikia. Ergò impertinens est ad Epiikiam, quod fiat, vel non fiat ex præscripto legislatoris, qui legem ob universale peccantem tulit. Itaque nil obstat, quò minùs lex divina ac naturalis patiatur Epiikiam, quia si una corrigat aliam, aut alterius correctionem præscribat, una erit alterius Epiikia, vel certè alterius Epiikiam præscribet.

13. Cæterùm locutio Celladei mihi valde displicet; loquitur enim ita, ac si supponeret, Deum condere leges ob universale peccantes, easque deindè per alias leges corrigere, & has per alias minùs universales emendare. At hoc Deo indignum est. Immò evidenter repugnat, legem Dei ullatenus exorbitare posse, si sumatur ut lex est. Verùm Celladeus ad hæc dicenda adductus est, quia non distinxit inter legem, ut est lex se tenens ex parte legislatoris, & inter legem, prout promulgatur, & applicatur nobis. Distinguat hæc, & congruè loquetur, videbitque argumenta sua nil valere.

Objectio 2.

14. Objicit secundò. Nulla lex naturalis, quæ versatur circa probabilia, in quibus potest intervenire defectus, est universalis; quia in talibus nulla est propositio universalis nisi ex ignorantia. Omnis enim propositio rectè universalis est falsa, & erronea. Natura autem nec ignorat nec errat, ut patet. Ergò nulla lex, naturalis peccat vel exorbitat; quia ad hoc deberet esse universalis. Ergò nulla lex naturalis patitur Epiikiam, seu correctionem; quia ubi non est defectus, seu peccatum, non est locus correctioni. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo 1. doctrinam hujus objectionis contrariari doctrinæ objectionis primæ, quia ibi lex divina ponitur esse universalis & corrigenda, hìc autem oppositum traditur. Ergò rationes & fundamenta Celladei sibi contradicunt. Respondeo 2. Hæc omnia confirmant primam, sed non impetunt secundam partem assertionis, cùm certò constet, legem Dei à nobis sæpè apprehendi per species nimis universales. Sic uxor, audiens debitum viro reddendum, putat illud semper reddendum esse, & ex vi hujus universalis expressionis putat se obligatam ad reddendum debitum viro, etiam notoriè adultero. Sed errat, & propterea universalis illa legis naturalis expressio limitanda, ac corrigenda est. Verum quidem est, legem divinam, ne quidem, ut à nobis intellectam, quando intelligitur ut restricta cum omni limitatione quam habet in mente Dei, pati ullam correctionem, quia tunc non peccat: sed hoc æquè valet de lege humana, quæ debitè restricta non peccat, & consequenter non indiget correctione. Nihilominùs sicut hoc non tollit, quòminùs lex humana universaliter prolata ac intellecta corrigi debeat, ita neque impedit correctionem legis Divinæ ac naturalis, quando illa per expressionem nimis universalem apprehenditur, & intelligitur.

Celladei contradictio.

Objectio 3.

15. Objicit tertiò. Ad Epiikiam requiritur, ut lex positivè peccet, & in malum ducat, nisi emendetur. At lex Dei nec peccat, nec in malum ducit. Ergò nec admittit Epiikiam. Ita Celladeus.

Respondeo ut antè, hæc confirmare quidem primam, sed non impetere secundam partem assertionis; quia quamvis lex Divina, prout est in mente Dei, non peccet, nec ad malum ducat, attamen eadem ut à nobis intellecta aliquando ducit ad malum, nisi corrigatur, ut videre est in exemplis à S. Thoma allatis, & aliis non paucis. Cæterùm ad Epiikiam non est necesse, legem non correctam ad malum ducere, ut ex dicendis mox constabit.

ASSERTIO III.

Epiikia locum habet non solùm quando tenemur, sed etiam quando non tenemur contra verba legis facere.

Epiikia locum habet, etiam quando nō tenemur facere cōtra verba legis.

16. Probatur assertio, quæ est contra Celladeum. Epiikia intervenit, quoties lex, ob universale peccans, ex æquo & bono corrigitur, At hoc intervenit, etiam quando non tenemur legem corrigere, & contra verba legis facere Sic lex reddendi debitum conjugale, generaliter intellecta, ex æquo & bono corrigi potest, & declarari quòd non extendatur ad reddendum debitum marito notoriè adultero, quia non est æquum, quòd uxor teneatur debitum reddere consorti, qui notoriè fidem conjugalem violavit. Et tamen potest uxor debitum reddere, & pro arbitratu facere juxta vel contra verba legis de reddendo debito conjugali. Idem videre est in legibus ac mandatis humanis. Præcipiat superior suo subdito iter facturo, ne quidquam emat, nec pecuniam expendat, nisi in res itineri necessarias. Contingat autem subditum incidere in librum exiguo sibi pretio oblatum, quem novit suum superiorem diu frustra quæsivisse, & magno etiam pretio emere desiderare, eò quòd libro illo ad peculiaria sua studia magnoperè indigeat, omnesque etiam ejus subditi ejusdem libri

desiderio teneantur, quibus etiam superior gratificari cupiat. In hoc casu, subditus ille ex æquo & bono corrigere potest defectum mandati sua universalitate exorbitantis; quia æquum & bonum est ut corrigatur: imò idipsum est juxta voluntatem superioris, qui si adesset, idipsum vellet; & si scivisset, mandatum adjecisset. Hæc autem sunt argumenta, quibus cognoscimus legem ex æquo & bono corrigendam esse. Præterea, ut clariùs appareat, mandatum hoc exorbitare ab æquo & bono, attendendum est, superiorem intuitu communis boni prohibuisse subdito, ne quidquam emeret. At hîc & nunc mandatum opponitur bono communi, ideoque exorbitat & peccat contra id, quod superior intendebat. Ergò æquum est ut corrigatur à subdito, qui certò novit hanc exorbitantiam, quique clarè videt, quod superior, si adesset, oppositum statuisset, & si scivisset præsentem circumstantiam oppositum in mandatis dedisset, idque intuitu boni communis, ad quod potissimùm in suo mandato respiciebat. Ergò in hoc casu datur locus Epiikiæ, seu correctioni mandati, cùm æquum sit & conveniens, ut qua parte deficit contra intentionem mandantis, emendetur & corrigatur. Ergò subditus in hoc casu per Epiikiam emere potest talem librum; sed ad hoc non tenetur, cùm citra peccatum possit talem emptionem evitare. Ergò tam in lege divina quàm humana datur locus Epiikiæ ad faciendum contra verba legis, etsi licitum sit verbis legis inhærere, &c. quod erat probandum.

Lex peccat non solùm quando iniqua, sed etiam quãdo iniquè præcipit.

17. Ratio à priori est, quam affert Suarez *lib. 6. de legib. cap. 7.* Intentio legislatoris est non solùm recta, sed etiam rectè præcipere. Ergò qui servat legem, tanquam illi obnoxius, quandò verè non obligatur propter occurrentem causam excusantem, ab intentione legislatoris discrepat, etiamsi actus, quem facit, non sit malus. Nec obstat, Epiikiam esse partem justitiæ; quia hîc etiam ex parte legislatoris intervenit justitia, exigens ne subditus in eo casu obligetur. Undè si ad legislatorem fieret recursus, juxta justitiam deberet interpretari suam legem & dicere, eam non obligare. Itaque Epiikia non solùm locum habet, quando res iniqua præcipitur, sed quandò res nimis acerba & difficilis præcipitur, quia lex in utroque casu peccat; in primo præcipiendo iniqua, in secundo iniquè, & inhumanè, seu immoderatè, aut etiam ultra potestatem legislatoris præcipiendo, quamvis res præcepta non sit mala. Ergo in utroque hoc casu prudentiæ, ac justitiæ est, ut lex exorbitans per æquum & justum corrigatur. Jam præter hos duos casus, in quibus lex universaliter accepta est injusta & correctione indiget, est alius casus, in quo datur locus Epiikiæ, quando lex universaliter accepta non est injusta: tunc scilicet, quando etsi datur potestas in legislatore ad obligandum in aliquo casu, tamen ex circumstantiis ab illo non præmissis constat, hanc ejus mentem non fuisse. Hic modus videtur ab Aristotele expressus, cùm dixit, Epiikiam emendare legem, quòd & ipse legislator, si adesset, hoc modo dixisset, id est, hoc modo suam mentem explicasset. Sic etiam S. Thomas dixit, munus Epiikiæ esse, prætermissis verbis legis, intentionem legislatoris sequi. Ergò ad Epiikiam non est necesse interpretari casum non cõprehendi sub lege, quia legislator non potuit eum sua lege comprehendere; sed sufficit, si interpretemur, eum noluisse illum comprehendere, licèt potuerit. Nec mirum, quia sæpè contingit aliam esse legislatoris voluntatem ab ea, quam nuda verba præ se ferunt. Ergò ibi etiam intervenit emendatio legis, quia illa plus verbis comprehendit, quàm legislator sua voluntate complectitur. Æquum ergò est & justum, ac prorsùs prudens, ut hâc etiam viâ legem interpretemur, ac corrigamus. Itaque triplex est causa seu ratio utendi Epiikia. Prima, ad cavendum malum & iniquum, sub verbis legis comprehensum. Secunda, ad vitandam acerbam, inhumanam, & injustam obligationem. Tertia, propter cognitam legislatoris voluntatem, non obstante potestate illud jubendi, quod omittitur. Qui plura volet, legat Suarium loco citato.

Epiikia in duplici casu.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Obiectio 1.

18. OBJICIT primò. Ad Epiikiam requiritur, ut lex positivè peccet, & consequenter ducat ad malum, nisi emendetur. Hoc colligitur ex Aristotele, qui disertis verbis dicit, Epiikiam ordinari ad corrigendam legem, qua parte peccat, & deficit. Similiter S. Thomas dicit, malum esse sequi legem in casibus à se allatis, aliisque similibus; bonum autem, prætermissis verbis legis, sequi quod dictat justitiæ ratio, & communis utilitas; & ad hoc, inquit, ordinatur Epiikia, scilicet ad vitandum malum, & faciendum bonum. At quando non tenemur corrigere legem, lex non peccat, nec ducit ad malum; neque malum est sequi legem, ut constat ex suppositione. Ergò quando non tenemur corrigere legem, non datur locus Epiikiæ. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo Philosophum, ut evidenter patet ex contextu, nomine peccati non intelligere peccatum morale propriè dictum, sed solum defectum & errorem, quod est universale ad peccatum morale, & quodvis aliud malum & inconveniens physicum. Porrò quoties lex ob universale exorbitat ab æquo & bono, toties æquum est ut corrigatur; sive universalitas illa ducat ad malum morale, sive solùm ad malum physicum, bono communi, & intentioni legislatoris contrarium. Jam in utroque casu, juxta phrasim Philosophi, datur *Epiikia*; sed usus illius non est necessarius nisi in primo casu. Et sanè ipse terminus Epiikia, seu æquum & bonum, non indicat necessarium, sed solùm decens, conveniens, seu consentaneum. Ergò absurdum est existimare, quòd semper afferat absolutam necessitatem, cùm ex vi sua solùm significet congruentiam, decentiam, seu convenientiam. Similiter S. Thomas, Philosophum hac in re sequutus, nomine mali solùm intelligit defectum, cùm formalis ratio mali generaliter sumpta in defectu consistat. Nec obstat, quòd in exemplis ab illo allatis peccaret, qui verba legis servaret; quia exindè non sequitur, quòd in omni alio casu peccaret, sed solùm quòd à decenti, & consentaneo, ac à bono communi deficeret. Cæterùm dici potest, quod correctio legis semper sit necessaria in omni casu, in quo Epiikia locum habet, etiam in illis casibus, quos ego assignavi; quia stultum est, & contra æqualitatem justitiæ ac bonum commune existimare, quòd uxor teneatur debitum reddere marito notoriè adultero, aut quòd subditus teneatur librum non emere in illis circumstantiis; stultè ergò ageret, & peccaret, qui legem non corrigeret, sed eam in sua universalitate tanquam legem ad eas circumstantias extensam acciperet. Porrò Epiikia in hac præcisè correctione consistit;

Peccatum legis continens duplicem malitiam.

Epiikia potest semper esse necessaria ad præcavendum malum.

Quando lex exorbitat.

sistit; illa autem necessaria est saltem quoad operationem intellectûs, ne stultè & contra prudentiam agnoscamus obligationem, ubi illa certò non est, quamvis non sit necessaria quoad usum voluntatis, eò quòd, qui per Epiikiam novit se liberum à lege, seque libertatem suam possidere, possit nihilominùs ea facere, quæ verba legis præscribunt, non ex vi legis, quæ scitur vim non habere, sed ex propria potestate, qua homo sæpè ea licitè facit, ad quorum contraria agenda jus habet. Non enim semper homo tenetur uti jure suo, ut patet.

Objectio 2. 19. Objicit secundò. Epiikia est quædam justitia, & est virtus, & laudatur, & est necessaria. Ergò strictè obligat ad faciendum contra verba legis, quæ si servari possint sine culpa, nec justum, nec virtus specialis, nec necessarium esset ea omittere. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo Epiikiam, sumptam pro objecto, esse justum quoddam, & quidem præcipuum: in hoc autem sensu non est virtus specialis, sed spectat ad varias virtutes pro qualitate materiæ, & motivorum, ut dictum est. At Epiikia, prout est judicium intellectûs, est virtus particularis, & spectat ad prudentiam, per quam homo disponitur ad corrigendam legem, quando lex exorbitat ob universale. Itaque totum munus Epiikiæ, prout est virtus intellectûs, est corrigere legem peccantem, quod abundè præstat manifestando, quòd non obliget, eò quòd indecens, iniquum, & inconsentaneum foret hominem tunc obligari ad verba legis. Qui autem contrarium crederet, aut doceret, careret virtute Epiikiæ. Jam Prudentia (cujus Epiikia pars est) ex propria sua ratione determinat ad istam interpretationem, seu correctionem, quam proinde per seipsam inducit, quæque abesse non potest, nisi per stultitiam, seu carentiam Epiikiæ. Porrò Epiikia aliam necessitatem vel obligationem per se non inducit; sed si post Epiikiam obligemur aliquando agere contra verba legis, ea obligatio spectat ad voluntatem, & est multiplex juxta varietatem motivi & materiæ circa quam operamur, ut dictum est. Cæterùm ex notione virtutis, justi, ac laudabilis, perperam infertur necessitas, quia multa sunt laudabilia, ad virtutem spectantia, & legaliter justa, quæ sicut laudabiliter fieri, ita licitè omitti possunt, ut dare eleëmosynam, aliaque innumera; non enim virtutis est semper necessitatem inducere, ut patet. Unde Epiikia in se nullam inducit necessitatem faciendi contra verba legis, sed solùm necessariò ostendit, quòd lex non extendatur ad talem casum, quia non est æquum, & bonum, quod ad illum obliget. Hoc autem stante, aliquando non est necesse facere contra verba legis. Verùm hoc non aliter contingit post legem correctam, quàm contigisset, si nulla lex lata fuisset. Sit lex humana præscribens redditionem depositi. Dico, me non aliter obligari ad non reddendum depositum, quando Epiikia corrigit hanc legem in casu allato à S. Thoma, quàm fuissem, si lex illa humana lata non fuisset; ex æquo enim in tali casu depositum non est reddendum. Itaque obligatio oritur ex rebus ipsis, non ab Epiikia; Epiikia enim solùm dicit, æquum non esse, quod lex obliget: & ad hoc solùm est utilis, & necessaria. At hoc posito, obligatio faciendi contra verba legis, vel permissio faciendi juxta illa aliundè provenit; ad quod si Celladeus advertisset, fortasse aliter judicasset.

Epiikia est virtus specialis, & ad Prudentiam pertinet.

Objectio 3. 20. Objicies tertiò. Quando pars legis est tuta, id est, quando facere juxta verba legis non est peccatum, lex non peccat, quia sine peccato impleri potest. Ergò nisi sit peccatum facere juxta verba legis, nullus est locus Epiikiæ. Ita Celladeus §. 3.

Respondeo legem sæpè exorbitare ab æquo & peccare, etiam quando non est peccatum facere contra verba legis; scilicet tunc, quando legislator acerbè, & inhumaniter excedit suam potestatem; aut etiam quando non est æquum hominem obligari ad verba legis, eò quòd obligari ad illud fit contra bonum commune, & intentionem legislatoris, quamvis non sit absolutè malum facere juxta verba legis justas ob causas. Porrò in istis casibus lex peccat, quia universalis illa obligatio, si extenderetur etiam ad istas circum[illegible]tias, peccaret; esset enim malum con[illegible] & bonum, & contra voluntatem legi[illegible], & ideò lex illa corrigenda est per Epiikiam, quæ ex æquo, & bono pronunciat, legem ad hunc casum non extendi.

Lex peccat etsi facere juxta verba legis non sit peccatum.

COROLLARIA.

Plures Celladei errores notantur.

21. Hinc infertur, Celladeum plura falsa in hac materia enuntiasse. Inprimis dicit nullum esse locum Epiikiæ, quando sequi verba legis est tutum, seu minimè peccaminosum. Hujus asserti falsitas constat ex dictis. Error 1.

Error 2. 22. Secundò contendit, tunc solùm Epiikiam locum habere; quando leges contradicentes sibi occurrunt, quia Epiikia est ad vitandum peccatum legis. Imminet ergò peccatum, si juxta legem fiat. Ergò est obligatio & lex aliqua non sectandi verba legis, quia sine lege & obligatione nullus est locus peccato.

Leges sibi contradicentes repugnant.

23. Verùm hic Celladei discursus omni ex parte mancus est. Inprimis, supponit dari leges sibi contradicentes, quod est Chymæricum, quia nec Deus, nec respublica obligat ad contradictoria: imò tam repugnat nos ad contradictoria obligari, quàm repugnat illud peccatum esse quod nulla ratione à nobis vitari potest. At contradictoria evitari nequeunt. Ergò nulla ad ea evitanda esse potest obligatio. Itaque leges verè contradictoriæ nunquam sibi occurrunt; sed ad summum aliquandò reperiuntur leges, quæ apparenter & verbaliter contradicunt. Cæterùm falsum est, quòd istæ debeant necessariò intervenire, quando utimur Epiikia, quippe quæ per hoc solùm præcisè corrigit leges, quòd ostendat obligationem ad hanc circumstantiam non extendi, eò quòd lex deficeret, seu peccaret contra æquum & bonum, si ad illam extenderetur. Itaque peccatum legis non in eo solùm consistit, ut falsò sibi persuasit Celladeus, quòd præcipere videatur rem malam, sed in eo, quòd videatur obligare ad id, ad quod obligari non est æquum, quamvis illud facere sponte & non ex obligatione non sit malum. Itaque lex evidenter potest corrigi, etsi nullum immineat peccatum ex operatione à lege præscripta.

Error 3. 24. Tertiò tradit, quòd regula de sectanda parte tutiori & Epiikia sese communiant, eò quòd nunquam liceat quicquam ex Epiikia facere, nisi quando id tutius est, & oppositum minùs tutum. Hæc doctrina ritè sequitur ex prioribus ejus assertis, sed eædem rationes, quæ probant illas esse falsas, hanc etiam falsitatis convincunt.

Error 4. 25. Quartò vult, exemplum S. Thomæ de

non reddendo depoſito non eſſe effectum Epiikiæ, prout reſtitutio depoſiti præcipitur à lege naturali, ſed ſolùm prout jubetur à lege humana. Verùm hoc & falſum eſt, & dicitur inconſequenter. Eſt falſum, ſi ſermo ſit de lege naturali ac divina, prout illa à nobis apprehenditur; ut oſtenſum eſt. Dicitur etiam inconſequenter, quia cùm utraque lex eiſdem verbis explicetur, & utraque, prout à nobis apprehenditur, ad eadem prorsùs extendatur, atque per ſimilem conceptum intimetur, impoſſibile eſt, quòd una exorbitet propter univerſale, & altera non exorbitet. Ergò utraque ex æquo deficit. Ergò utraque ex æquo per Epiikiam corrigenda eſt.

Celladei inconſequentia.

ASSRTIO IV.

Sæpè datur locus Epiikiæ ex titulo difficultatis, per accidens occurrentis in obſervatione legis.

Difficultas per accidens intercurrens in obſervatione legis ſæpè fundat Epiikiam.

26. PROBATUR. Sæpe difficultas interveniens tanta eſt, ut certum ſit, aut poteſtatem, aut intentionem legiſlatoris ad eum caſum extenſam non fuiſſe. Impotentia legiſlatoris variis modis innoteſcere poteſt. Voluntas ejus ex eo ſæpe ſcitur, quòd non ſit æquum & bonum homines ad tam ardua ab hominibus obligari. Talis enim obligatio acerba, & inhumana eſt, pacique ac bono publico repugnat. Præterea ex ſimilibus principiis ſcitur, quòd ſi legiſlator adeſſet, diceret, ſe nolle hominem ad talia obligare, ſed potiùs juberet oppoſitum, ſi opus eſſet tali præcepto. Hinc ſic arguo. Hæc ſcientia, ſeu hæc doctrina eſt formaliſſima Epiikia; quia eſt ipſamet correctio legis deficientis ob univerſale. At ſit præcisè titulo difficultatis per accidens intercurrentis, & eorum, quæ ex tali difficultate, ac incommodo conſequuntur. Porro difficultas & incommodum ſæpè cóuſque excreſcunt, ut correctionem hanc certam faciant. Ergò ſæpe datur locus Epiikiæ ex titulo difficultatis, per accidens intercurrentis in obſervatione legis. Et ſanè nulla rationabilis explicatio Epiikiæ, ex Ariſtotele & D. Thoma accepta, fingi poteſt, quæ ſæpe non habeat locum in terminis aſſertionis; quia certum eſt, quòd prudens lex humana ab æquo deficeret, ſi ad tales caſus extenderetur. Similiter ſcitur, quòd legiſlator, ſi ad hunc caſum attendiſſet, aliter loquutus fuiſſet, illumque aut explicitè, aut implicitè excepiſſet. Præterea, ſi adeſſet, oppoſitum diceret. Demum ſi interrogetur quis, unde certò ſciat, legem ad hunc caſum non extendi: aliud non poteſt reſpondere, quàm aliquid eorum, quæ jam indicata ſunt, ſcilicet quod eſſet lex nimis ardua, & conſequenter ab æquo exorbitaret, vel quod voluntas legiſlatoris, ſemper tendens ad bonum commune, tales caſus non involveret. At certum eſt ex Ariſtotele, & S. Thoma, quòd Epiikia aliud non ſit, quàm correctio & limitatio legis nimis univerſalis, ex iſtiuſmodi capitibus ritè illata & declarata.

Corollarium 1.

27. Hinc infertur primò, veriſſimum eſſe, quòd ab initio quæſtionis diximus, quæſtionem præſentem de Epiikia eſſe connexam cum præcedenti, atque ex illa magna ex parte ſtabiliri.

Corollarium 2.

28. Infertur 2. Celladeum in hoc etiam erraſſe, quòd aſſerat, Epiikiam nunquam ex ſolo titulo difficultatis & incõmodi intervenientis exſurgere. Sed contra: quia perſpicuum eſt, neminem obligari ad Miſſam audiendam, quando, ſi hîc & nunc illam audiat, perditurus eſt occaſionem, quàm ſi arripuiſſet, infallibiliter lucraturus fuiſſet decem millia aureorum. Porrò excuſatio iſta non reducitur ad alium titulum quàm ad parum incommodum; non enim peccaret, ſi hujuſmodi jacturæ ſeſe exponeret, ſed actum longè generoſiſſimum virtutis heroicæ exerceret. Ergò Epiikia Celladei iſta non fundatur in eo, quòd malum ſit ſequi verba legis; ſed in eo, quòd non ſit æquum homines ad tam ardua obligari, quódque conſtet, voluntatem legiſlatoris ad iſtum caſum non extendi.

ASSERTIO V.

Dubium de malo, ex obſervatione legis juxta litteram ſumptæ ſequuturo, aliquando fundat, aliquando non fundat Epiikiam. Propoſitum autem ſit exponere quando hoc contingat.

Dubium de malo in materia de quo.

29. PROBATUR. Aliquando obſervatio legis ad litteram eſt, aliquandò non eſt pars minùs tuta. Eſt pars minùs tuta, quando obſervatio legis ad litteram eſt peccatum; ſic furiatus eſſet peccatum reſtituere enſem furibundo, quem ſciremus paratum ad alios enſe interficiendos, &c. Non eſt pars minùs tuta, quando ſine omni peccati periculo lex ad litteram obſervari poteſt. Jam quando dubium eſt, an ſequi legem ſit peccatum, videndum eſt, an malum, quod ex legis obſervatione imminet, excedat malum ex non obſervatione legis oriturum. Si excedat, ut in exemplo allato, aliisque non paucis evenit, tunc locus datur Epiikiæ; quia eſt contra æquum, communique bono ac legiſlatoris intentioni repugnat, quòd homo ex duobus malis collectivè inevitabilibus teneatur ad eligendum majus. Ergò Epiikia dictat, legem in hac parte deficere, & ob nimiam univerſalitatem debere corrigi. Verùm in hoc caſu peccatum legis non eſt dubium ſed certum, quamvis dubium ſit, an malum illud majus ſit eventurum: quod obſervandum eſt contra Celladeum, qui licèt in hac parte benè ſentiat, malè tamen loquitur, quia ſupponit ſermonem eſſe, quando dubitatur de peccato legis. Verùm, cum bona ejus venia, de hoc non dubitatur, cùm certò ſciamus, legem jubentem majus malum dubium, quàm ſit non obſervatio talis legis, deficere à natura legis rectæ, ac juſtæ, quæ veram ſecum obligationem trahit. Quod ſi dubium eſſet, utrùm lex deficeret, id eſt, ſi nulla eſſet ratio magis dicendi quod deficeret, quàm quod non deficeret, nulla utique eſſe poſſet Epiikia, quippe quæ eſt correctio legis errantis, & ob nimiam univerſalitatem peccantis. At hic nulla eſſet ratio, quæ hoc diceret, ergò nulla eſſet Epiikia.

Similitudo ſubditi in dubio.

30. Atque hinc ſecunda pars concluſionis evincitur; quia quando obſervatio legis ex ſe eſt licita, ſi conſtet æquum non eſſe ad illam obligari, datur locus Epiikiæ; quia per hoc ipſum conſtat legem peccare, ut oſtenſum eſt. At ſi dubium ſit, an expediat ſubditos ad illam obſervationem obligari, nulla poteſt eſſe Epiikia, quia cùm nil mali aut inconſentanei ſequatur ex obedientia, & certum ſit legem latam eſſe, utique tum obediendum eſt, quia nulla eſt exceptio æquivalens auctoritati atque poſſeſſioni jubentis per

per legem certò latam, quam subditus exorbitantiæ accusare non potest. Exemplum sume à subdito, cui superior mandavit, ne quidquam pecuniæ in rebus emendis consumat; hic non potest per Epiikiam hoc mandatum corrigere, si dubitet, an sit juxta bonum commune & intentionem superioris, quòd librum emat: quia motivum sic dubitandi non est sufficiens ad corrigendam jussionem superioris, utpote quæ in nullo probatur deficere. Stat ergò conclusio, quòd nempe dubium de malo sequuturo ex observatione legis aliquando fundet, aliquando non fundet Epiikiam.

31. Porro ex dictis constat, quando uterque casus conclusionis contingit. Tum enim malum dubiè imminens fundat Epiikiam, quando illius periculum ostendit æquum non esse, ut lex ad illud etiam dubiè propositum extendatur, quia Epiikia in hoc ipso judicio consistit. At quandò malum, de quo dubitatur, hoc non arguit, utique nullus datur locus Epiikiæ, ut patet.

ASSERTIO VI.

Probabilis correctio legis an, & quando sit sufficiēs regula conscientiæ?

Correctio legis seu Epiikia, quando non est certa sed solùm probabilis, non est sufficiens regula conscientiæ, si superior consuli possit, & res moram patiatur, secus est sufficiens regula.

32. PROBATUR prima pars primò ex legibus, in quibus statuitur, quòd ejusdem sit legem condere, & interpretari. *leg. inter. Cod. de leg.* ubi hæc habentur. *Inter æquitatem jusque, interpositam interpretationem nobis solis & oportet, & licet inspicere.* Ecce Imperator sibi reservat interpretationem suæ legis, scilicet in casu conclusionis, quia cujusvis est eam corrigere, quando defectus legis est certus, & evidens. Ad idem probandum facit etiam *lex Placuit. Cod. de Iudiciis.*

Quandò superior consuli potest nō est locus Epiikiæ pro regula conscientiæ.

33. Probatur 2. ratione. Omnes tenemur operari ex certitudine, quando certitudo haberi potest. At quando superior consuli potest, certitudo haberi potest. Ergò ante illam non licet contra verba legis operari. Ergò quamvis tunc liceat interpretari legem speculativè, & probabiliter dicere, quòd sit corrigenda, non tamen possumus eam interpretationem pro regula conscientiæ adhibere; quia hîc & nunc non est practicè probabile, quòd absque recursu ad superiorem liceat contra verba legis facere. Videatur Suarez *lib. 6. de leg. cap. 8.* ubi hoc ipsum egregiè probat. Legatur etiam Bresserus.

34. Probatur 2. pars. Quando res non patitur moram, aut superior consuli non potest, tunc judicium illud speculativum fundat aliud practicum, quo conscientia prudenter regulatur, quia veritas scitur optimo modo, quo sciri potest à nobis, nempe probabiliter. At in tali casu irreprehensibiliter, & rationabiliter operatur, qui sequitur veritatem, quam non potest certiùs, aut melius cognoscere, quàm de facto cognoscit. Ergò in tali casu Epiikia probabilis est sufficiens regula conscientiæ.

35. Confirmatur. In tali casu probabile est, quod lex non detur, nec supereſt modus certiùs cognoscendi veritatem. Ergò lex illa vel non existit, vel certè non est sufficienter promulgata, & applicata. Ergò non obligat. Et sanè si lex dubia non obligat, multò minùs lex probabiliter non existens obligationem inducit.

36. Nec dicas, legem existere, ejusque verba casum istum complecti. Nam contrà, quia verba legis non sunt nisi cadaver legis, cujus anima est sola voluntas legislatoris, sine qua verba nullam obligandi vim habent. Ergò si probabile sit, voluntatem legislatoris abesse, utique probabile est, legem obligantem non existere. Unde rectè infertur, quod aut non detur talis lex, aut quod non sit sufficienter promulgata, seu applicata, ut obliget.

37. Demum, si hæc probabilitas in casu allato non sufficeret, nulla unquam sufficeret; quia non est potior ratio de ulla alia quàm de ista. Ergò hæc sufficit. Et hæc est communissima opinio. Vide Suarium *loc. cit.*

ASSERTIO VII.

Licentia merè interpretativa, quæ non infrequenter sufficit ad conscientiam debitè formandam, non est Epiikia propriè dicta, licèt aliquo modo dici etiam possit Epiikia.

Licentia interpretativa nō est Epiikia propriè dicta.

38. PROBATUR. Licentia merè interpretativa non est correctio legis, aut mandati, quippe quod in nullo peccaret, etsi ad illum ipsum casum extenderetur; sed est interpretativa dispensatio & concessio superioris, qui tamen absque ullo defectu vel reprehensione posset talem facultatem denegare, quamvis à subdito peteretur. Ergò talis licentia non est propriè Epiikia, utpote quæ aliud non est, quàm legis vel mandati peccantis emendatio, & correctio. Nihilominùs sæpe interpretari possumus voluntatem superioris absentis, quando non solùm probabile est, quòd contentus sit, ut aliquid fiat contra regulam, vel præscriptionem ipsius, sed etiam est probabile, quod contentus sit id fieri hîc & nunc ex præsumpta dispensatione, ac voluntate ipsius. Cæterùm æquitas & obedientia postulat, ut superior postea de re gesta certior fiat, & ut subditus rescindat factum, si rescindi possit, & superior illud rescindi voluerit, quòd benè notatum est à Celladeo § 3. qui quoad priorem partem assertionis nobiscum sentit: sed quoad secundam aut dissentit, aut certè nullatenus ostendit se assentire.

Interpretativa licentia nō omnino impropriè dicitur Epiikia.

39. Probatur ergò secunda pars ex S. Thoma *2. 2. quæst. 120. art. 2.* In quo postquàm objecisset sibi, quòd Epiikia videretur esse idem ac modestia, eò quòd ubi Apostolus *ad Philip. 4.* dicit. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, in Græco habeatur Epiikia; respondet, quòd terminus *Epiikia* propriè quidem significet moderationem circa observantiam verborum legis, ob universale peccantis, ut dixerat in Corpore, possit tamen, juxta phrasim Græcam, per quandam similitudinem extendi ad significandas omnes moderationes, & consequenter etiam modestiam, quæ moderatur exteriorem hominis vitam, & cultum, puta in habitu, incessu, motu, &c. Ergò multò magis ostendi potest ad significandam moderationem legum ex interpretativa dispensatione superiorum; quia hæc longè magis accedit ad rigorosam Epiikiam, quàm modestia, aut moderationes aliæ, quæ circa leges & mandata non versantur. Itaque licentia merè interpretativa aliquo modo, & quidem non impropriè, dici potest Epiikia, & satis communiter sic vocatur; quæ locutio non rigidè reprehendenda est, quia reprehensionem non meretur; sed benignè

interpretanda, cùm non violentam, sed commodam interpretationem admittat.

Judicium probabile, quod lex nõ extendatur ad aliquid, est Epiikia.

40. Cæterùm si probabile esset, quòd lex, aut voluntas legislatoris ad talem casum non extenderetur, tunc locus esset Epiikiæ juxta *Assertionem 6.* quia tunc verba legis probabiliter exorbitarent à voluntate legislatoris, & consequenter corrigi ac restringi possent per judicium probabile. Sed non loquimur de hoc casu in præsenti assertione, sed solùm de interpretativa dispensatione circa legem, quæ scitur comprehendere casum, quem ex interpretativa dispensatione omittimus.

QUÆSTIO SEXAGESIMA.

Vtrùm, & quantum malum sit ignorantia, & error?

Aliquæ quæstiones secundæ Partis Celladei sumũtur examinandæ.

1. PRIMAM *de recta doctrina morum* partem, quam quatuor libris comprehensam Celladeus nobis exhibuit, unà cum aliquot quæstionibus in appendicem conjectis, hactenus examinavi, &, ni fallor, perspicuè ostendi, Auctorem illum per omnia invalidè contra benignam sententiam egisse. Ejusdem enim æquivocationes detexi, contradictiones & inconsequentias notavi, præteusarum demonstrationum sophismata aperui, nilque eorum, quæ ad plenam objectorum refutationem, atque ad efficax benignæ sententiæ stabilimentum facere videbantur, omisi. Nec tamen hìc scribendi finem facio, nonnullæ enim quæstiones ex secunda *de recta doctrina morum* parte, quam idem Auctor in sex libros digessit, ad manus meas pervenerunt. Has autem vel ideo unà cum prioribus examinandas judicavi, quòd Celladeus plurimum roboris in illis ponat, doctrinamque de licito probabilium usu per illa funditùs convelli, omniaque aut potissima *Partis 1.* asserta ex eisdem validè confirmari existimat. Verùm quàm inania ejus tela, quamque invalido brachio in nos contorta sint, paulatim ostendam, si tamen antea universim admonuero, quod in decursu disputationis singillatim ostensurus sum, argumenta omnia, quæ vim facere videntur, in apertis æquivocationibus, ac terminorum confusionibus fundari, quibus detectis, sponte labuntur universa.

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit explicare, quid sit ignorantia & error, de quorum mali magnitudine quæstionem præsentem instituimus.

Ignorantiæ definitio.

2. IGNORANTIA, latissimè sumpta, idem importat ac nescientiam intellectûs, seu carentiam cognitionis rei alicujus. Hujusmodi ignorantia omnibus creaturis rationalibus inest, etiam spiritibus illis, qui beatitudinem adepti Deo fruuntur, & beatissimi sunt, ideoque & ab omni malo simpliciter dicto remotissimi. Nemo enim ex omnibus est, qui omnia etiam possibilia novit, sed plurima singulos latent; qui proinde talium rerum ignorantiam latè dictam habent. In præsenti quæstione non loquimur in hac universalitate, sed nomen ignorantiæ prestiùs sumimus pro carentia cognitionis earum rerum, quarum sciendarum quivis intellectus juxta statum suum est capax; quia sola carentia talis cognitionis est privatio respectu talis subjecti, ut patet. Reliquarum cognitionum carentia potiùs comparatur ut pura negatio, quàm ut privatio, quia subjectum illis carens non est aptum illas recipere, cùm excedant facultatem illi concessam. Ignorantia ergò strictè sumpta est nescientia, seu privatio cognitionis earum rerum, quarum sciendarum homo est capax juxta statum, in quo constituitur; unicuique enim intellectui Deus terminos constituit, ultra quos ferri non potest. Porro ex rebus, quarum cognoscendarum capaces sumus, alias scire jubemur, alias nosse consulimur, & de aliis permissum est ut illarum notitiam nobis comparemus, aut citra ullum detrimentum finis adipiscendi in illarum ignoratione maneamus. Prima classis illa complectitur, quarum notitia necessaria est ad vitam æternam. Porro ex illis alia sunt necessaria necessitate medii, ut, si ignorentur, beatitudo acquiri non possit, sed æterna miseria necessariò incurratur. Alia sunt necessaria solùm necessitate præcepti, quorum scilicet ignorantia, si sit invincibilis, finis ultimi adeptionem non impedit. Res secundæ classis sunt majoris perfectionis, & juvant ad beatitudinem faciliùs acquirendam; sed ad illam simpliciter obtinendam necessaria non sunt, quamvis necessaria sint ad altiorem beatitudinis gradum consequendum. Res tertiæ classis sunt indifferentes, quarum proinde ignorantia per se loquendo nec prodest nec obest in ordine ad finem ultimum, aut amplum beatitudinis augmentum acquirendum.

Vitium ex vicinitate ad rebus fruendis quando non immineat?

3. Porrò studiositatis est ad ea scienda incumbere, quæ in prima & secunda classe continentur, sicut est negligentiæ in illis addiscendis torpere. In rebus tertiæ classis cognoscendis nimium insudare, cum detrimento scientiæ ad salutem necessariæ aut valde proficuæ, curiositati tribuitur, ut ex S. Thom. 2. 2. bene observat Celladeus *quæst. 1. §. 1.* ubi, ut homines ad negligentiam & curiositatem vitandam excitet, citat S. Paulum hortantem, ne plus sapiamus quàm oportet sapere, sed sapiamus ad sobrietatem. Rectè etiam ponderat illud *Ecclesiastici 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus; non est enim tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.*

Quæ

Quæ certè sunt documenta sapientiæ plena, utilissimaque hominibus, quorum plurimi negligentiâ, plurimi curiositate peccant, dum ea, quæ obligantur scire, nosse negligunt.

Erroris definitio.

4. Error involvit ignorantiam veri, & præterea figit intellectum in persuasione falsi; ac proinde error deterior est ignorantia, quia ignorantia solùm privativè opponitur scientiæ ac veritati cujus homo est capax, cùm error eidem scientiæ ac veritatis adeptioni contrariè opponatur. His stabilitis, de ignorantiæ strictè sumptæ & erroris malo agendum superest.

ASSERTIO II.

Ignorantia & error eorum, quæ ad adeptionem finis sunt necessaria, est maximum malum hominis.

Ignorantia & error necessariorum est maximũ malum.

5. PROBATUR. Malum privationis agnoscitur ex magnitudine boni, quod removet. Hoc posito sic. Error & ignorantia talium rerum privant hominem maximo suo bono, nempe beatitudine æterna, mediisque ad illam obtinendam necessariis. Ergò privant hominem maximo suo bono. Ergò talis error & ignorantia est maximum hominis malum. Maximum, inquam, malum physicum, quia jam non loquimur de malo morali, seu de peccato, de quo tamen postea agendum erit. Præterea talis ignorantia & error sunt dispositiones, quæ, nisi removeantur, infallibiliter inducturæ sunt miseriam æternam. Ergò sunt dispositivè maximum hominis malum, quia necessariò privant summo bono, eademque necessitate maximum malum inducunt. Porrò quò res ignorata magis necessaria est ad beatitudinem obtinendum, damnationemque vitandam, eò deterior est illius ignorantia. Unde ignorantia eorum, quæ sunt necessaria necessitate medii, majus malum est, quàm ignorantia eorum, quæ solùm sunt necessaria necessitate præcepti; quia illa ex absoluta necessitate privat summo bono, & inducit summum malum; hæc verò non item, quia fieri poterit aliquando, ut talium rerum ignorantia sit invincibilis; in quo casu nil dictorum malorum inducit; sed si sit vincibilis, ea omnia non minori vi inducit, quàm ignorantia rei necessariæ necessitate medii. In re clara ulteriùs immorari non libet.

ASSERTIO III.

Error & ignorantia eorum, quæ ad consilia pertinent, simpliciter loquendo est magnum hominis malum.

Ignorantia cõsiliorum est magnũ malum.

6. PROBATUR. Ignorantia eorum, quæ ad consilia pertinent, præcipuarum virtutum exercitio, & consequenter magno beatitudinis æternæ augmento privat. Ergò privat magno bono. Ergò est magnum hominis malum. Et sanè cùm sola æterna sint absolutè magna, magnique momenti, haud dubiè quidquid privat bonis æternis simpliciter loquendo est magnum malum, maximè si privet beatitudine quoad substantiam, cùm sine illa nemo bene esse possit, sed necessariò sit miser.

ASSERTIO IV.

Ignorantia & error eorum, quæ necessaria sunt ad finem vitæ vel privatæ, vel œconomicæ, vel civilis, simpliciter loquendo, est magnum hominis malum. Idem proportionaliter dicendum de ignorantia eorum, quæ ad finem illum augendum, aut completè possidendum aut necessaria sunt aut valde utilia.

Ignorantia necessariorum ac utilium ad finem vitæ socialis est magnum malum.

7. PROBATUR. Finis vitæ sive privatæ sive œconomicæ, sive civilis est beatitudo tali statui competens, qua qui caret, miserrimus est in illo statu. Ergò error & ignorantia circa ea, quæ ad talem finem sunt necessaria, est magnum hominis malum, cùm privet beatitudine propria talis statûs. Nónne homini doloribus afflicto magnum malum est, ignorare ea sine quibus dolor leniri non potest, & quibus habitis dolor omnis abigeretur? Sanè talis ignorantia censetur causa talis tormenti, & propterea non solùm inducit malum illud positivum, sed eo mediante privat quiete, sanitate, & honesta delectatione corporum, & bonorum corporalium. Ergò talis ignorantia est magnum malum. Sed error aggravare potest malum hoc. Talis esset error, quo homo ille crederet proficuum, quod nocivum est; quia usus talis remedii malum non leniret, sed aggravaret. Idem dicendum de ignorantia & errore eorum, quæ necessaria sunt ad finem vitæ œconomicæ domi, & civilis fori cum contribulibus. Miserum enim est talem vitam degere sine pace, amicitia & subordinatione inferiorum ad superiores, &c. Ergò ignorantia eorum sine quibus hæc haberi non possunt magnum malum est, cùm privet magno bono, magnamque miseriam inducat. Porro eadem ratio proportionaliter procedit de ignorantia & errore eorum, sine quibus perfectio & augmentum horum bonorum haberi nequit. Quæ cùm clara sint, non amplius in illis morandum censeo.

ASSERTIO V.

Ignorantia & error circa alia, simpliciter loquendo, non est magnum hominis viatoris malum, sed aliquando, saltem per accidens, utilis est ad felicitatem propriam talis statûs, ideoq; rationem boni induit.

Multorum ignorantia non est magnum hominis malum.

8. PROBATUR primò. Quod non solùm non privat hominem fine ultimo, aut fine vitæ privatæ, vel socialis, sed insuper nullum affert impedimentum ad incrementum felicitatis propriæ talium statuum, simpliciter loquendo, non est magnum malum, cùm non impediat completam beatitudinem statûs in quo homo versatur. Nil enim magnum meritò reputatur, sine quo beatitudo completa acquiri potest, cùm omnia media sive proficua sive nociva suam magnitudinem, si sint pura media (qualia sunt de quibus nunc agimus) à conducibilitate aut contrarietate ad finem assequendum desumant. At ignorantia & error eorum, de quibus Thesis procedit, non privat hominem viatorem suo fine, nec ullum impedimentum affert ad perfectionem illius acquirendam, ut constat ex hypothesi.

Ergò ignorantia & error talium non est magnum hominis viatoris malum. *Viatoris*, inquam, quia status perfectæ beatitudinis in patria omnem errorem, omnemque ignorantiam propriè dictam excludit.

Probatur 2. exemplis clarissimis. Non est magnum malum rustici, qui ad privatam & œconomicam felicitatem tendit, quòd ignoret subtilitates Algebræ, vel Geometriæ, nec quisquam meritò reputat talem ignorantiam esse magnum ejus malum. Similiter non est magnum Regis aut Theologi malum, quòd ignoret multa, quæ rustico illi scitu sunt necessaria. Ratio est, quia per talem ignorantiam non impediuntur à completa consecutione finis, ad quem tendunt. Similia exempla clarissima quivis excogitare potest in omni statu utriusque sexûs, ideoque alia addere supervacaneum censeo.

Nonnullorum ignorantia aliquando est bona homini.

9. Probatur secunda pars. Multa sunt, etiam ad privatos homines spectantia, quæ si scirentur, tranquillitatem ac imperfectam beatitudinem illorum turbarent, invincibiliter autem ignorata eandem fovent & custodiunt. Nec quidquam mali particularis affert illorum ignorantia. Talis est ignorantia mariti de pristina uxoris fornicatione. Talis est ignorantia malevolentiæ ac invidiæ aliorum erga nos; maximè quando invidia illa est merè interna, & nullum malum effectum nobis afferre potest. Expedit enim ista ignorari, cùm illorum ignorantia nil nocumenti afferat, scientia autem eorundem plurimùm nobis noceret in ordine ad finem proprium statûs, in quo vitam degimus. Ergò aliqua ignorantia non solùm non est magnum malum hominis, sed habet speciem boni, & ab amicissimis illius potest desiderari, immo & procurari; quod certè ab amico fieri non posset, nisi aliquam boni rationem haberet. Idem prorsùs dicendum est de errore; quia ad vitam socialem & civilem utile est si maritus optimam opinionem de præterita uxoris integritate habeat, maximè si judicium illud non temerè, sed ex valdis ac rationabilibus fundamentis eliciatur. Certè error iste, omnibus inspectis, plus boni affert quàm mali in ordine ad finem vitæ socialis. Ergò habet speciem boni, & secundùm quid bonus reputari debet. Alia ejusmodi exempla sunt obvia.

ASSERTIO VI.

In ordine ad vitam privatam & socialem, error invincibilis aliquando utilior est ac melior, quàm omnimoda nescientia seu ignorantia objecti erroneè crediti.

Error aliquando utilior est quâ omnimoda nescientia.

10. PROBATUR. Sit filius, qui invincibiliter putet hunc esse suum patrem. Similiter & pater invincibiliter putet hunc esse suum filium. In hoc casu utilior est filio hic error, quàm si omnimodam ignorantiam seu nescientiam sui patris haberet. Generica enim notio quòd habuerit, aut etiam quòd habeat patrem vivum non suffragatur illi in ordine ad vitam privatam aut socialem, cùm ad neminem habere possit refugium pro necessaria vitæ sustentatione, &c. At, stante errore illo habet ad quem confugiat, & à quo necessaria accipiat. Rursus error patris multis de causis potest illi esse utilior, quàm ignorantia aut dubitatio an iste sit filius. Ratio à priori sumitur à fine vitæ privatæ ac socialis, ad quem quisque ordinatur juxta statum suum. Quia illud, sine quo talis finis obtineri non potest est melius illo, quod tali fini obtinendo obstaculum ponit. At finis talis obtineri non potest sine tali errore, qui supponitur esse invincibilis, & illo mediante obtinetur. Rursus omnimoda objecti illius ignorantia finis dicti acquisitionem impediret. Ergò simpliciter loquendo talis error utilior est ac melior, quàm omnimoda ignorantia objecti erroneè crediti.

ASSERTIO VII.

Ignorantia & error semper sunt mala intellectûs, si ad illum præcisè respiciamus. Et quidem error in plerisq; est majus malum, quàm omnimoda rei ignorantia. Sed in multis error est minus malum intellectûs, quàm omnimoda ignorantia.

11. PROBATUR prima pars. Finis intellectûs est scire verum: ergò scientia veri est finis, ad quem intellectus directè & per se ordinatur. Porro universalis ejus finis & perfectio est nosse omne verum, cujus est capax; finis vero partialis seu particularis est scire quodlibet verum particulare, cujus cognoscendi est capax. Ergò quod privat intellectum scientia veri est malum ipsius, cùm privet ejus fine, ejus bono, imò ejus optimo. At omnis ignorantia & error privat intellectum scientia ejus veri, quod ignoratur. Ergò omnis ignorantia & error est malum potentiæ intellectivæ, si ad illam solùm ejusque perfectionem ac finem respiciamus, neque de hoc ullum esse potest dubium.

Error semper est malum intellectûs.

12. Probatur secunda pars. Plurima objecta sunt talia, ut de illis certam scientiam habere possimus si diligentiam adhibeamus. Jam deterius est errare circa talia, quàm illa merè ignorare; intellectus enim per errorem deteriùs disponitur ad veritatem illam cognoscendam, quàm per simplicem ignorantiam, quia hæc est mera privatio, illa autem est forma contraria, quæ absque difficultate expelli non potest, & absque eo, quòd intellectus fateatur se errasse, quod difficulter facit. Præterea omnes turpiùs existimant, hominem errasse in talibus, quàm ea ignorare; quia ignorantia potest esse invincibilis, propter omnimodam incogitantiam, &c. cùm error de illis semper sit vincibilis, cùm per debitam diligentiam superari potuisset. Hoc autem apertè indicat errorem in talibus esse majus malum intellectûs, quàm meram ignorantiam.

Error plerique deterior est ignorantia.

13. Probatur tertia pars. Multa sunt de quibus non possumus certam cognitionem habere, nec ultra probabilitatem ascendere. Interim multis de causis juvat veritatem illorum investigare, ac quæstionem ipsam post inquisitionem determinare. De istis ergò pronuntio, quòd melius sit de illis probabilem cognitionem habere, quàm plenam talium objectorum nescientiam habere, quamvis in illorum cognitione præter spem nos falli contingat. Idque affirmo etiam relatè ad bonum intellectûs præcisè consideratum, nam simpliciter loquendo talis error sæpe melior est, quàm ignorantia, ut in superiore assertione dictum est.

Aliquando error est minus malum intellectûs, quàm omnimoda ignorantia.

Probatur ergò primò, quia melius est de talibus rationabilem discursum texere, quàm instar stipitis hærere, & nil prorsùs de talibus affirmare posse. Hoc & per se patet, & ex communi omnium persuasione verum reputatur; omnes enim suspi-

ſuſpicimus hominem de talibus aptè & ſolidè diſcurrentem, quamvis bene ſciamus illum in ſuo judicio decipi poſſe, & fortè de facto falli. Ratio à priori eſt, quia ubi certitudo & infallibilitas veritatis non eſt poſſibilis, intellectus impeditur à fine ſuo primario, in quo abſque ſollicitudine quieſcat. Ideoque extendi debuit ad finem ſecundarium, quæ eſt veritas non temerè, ſed rationabili quamvis fallibili judicio percepta. Hic autem finis non minùs obtinetur per judicium falſum, quàm per verum, cùm intellectus nequeat diſcernere cognitionem veram à falſa, ſed ex æquo quieſcat in utraque, quando illas reflexè conſiderat. Præterea intellectûs eſt poſſe ſolidè ac rationabiliter reſpondere de quæſtione propoſita, etiam extra caſum certitudinis ac evidentiæ. Similiter illius eſt poſſe alios dubitantes dirigere, ac eorum dubia rationabiliter ac probabiliter ſolvere. Quique hoc præſtare poteſt cenſetur perfectior in cognoſcendo, quàm qui non poteſt. Præterea error, maximè probabilis & invincibilis, plurima prædicata ſcientiæ participat; nempe rationem intellectionis, judicii, apparentiæ rationabilis de rei veritate. Illa autem prædicata ſunt proprii effectus potentiæ intellectivæ, atque in illa continentur, unde ſunt finis ſecundarius ejuſdem, ubi melior cognitio haberi non poſſit. At pura ignorantia facit hominem hærere inſtar ſtipitis, nec ullum prædicatum ſcientiæ continet, ideoque non eſt finis, ne quidem ſecundarius potentiæ intellectivæ. Itaque ignorantia deterior eſt quàm ejuſmodi cognitio per accidens falſa; quia ignorantia non ſolùm privat ſcientiâ ſecundùm prædicatum certitudinis, ſed etiam ſecundùm omnia alia prædicata generica, quibus error invincibilis non privat, ſed plurima eorum in ſe continet, quæ certè, quando melior notitia haberi nequit, ſpectato fine & inclinatione intellectûs, meritò appetuntur; cùm ignorantia nulla ratione ad finem intellectûs deſerviat, ſed illi undique & adæquatè opponatur.

Ejuſdē rei confirmationes variæ.

13 Probatur ſecundò. Finis ſaltem ſecundarius intellectûs practici eſt dirigere actus humanos. Ergò cognitio apta ad actus humanos dirigendos continetur ſub fine intellectûs practici. At error invincibilis ſufficit ad dirigendos actus humanos, cùm illos & humanos, & innocuos citra controverſiam efficiat. Immo bonitatem moralem eiſdem confert. Ergò error ejuſmodi eſt partialis finis intellectûs. Ergò ſimpliciter eſt bonum & non malum illius.

Confirmatur: Optimum, ad quod potentia poſt omnem conatum pertingere poteſt, non poteſt eſſe ſimpliciter malum talis potentiæ, ſed debet eſſe bonum illius; alioquin potentia fuiſſet malè conſtituta, cùm poſt omnem conatum non poſſit niſi ad ſuum malum pertingere, ſibique ſuo maximo conatu nocere. At reſolutio probabilis, etſi erronea, ſæpe eſt optimum, ad quod intellectus omni ſuo conatu pervenire poteſt, ut certum eſt in caſibus innumeris. Ergò talis cognitio non eſt malum ſed bonum intellectûs.

Confirmatur 2. Veritas ipſa objectiva, præcisè ſumpta, non reſpicitur ut bonum, ſed potiùs comparatur ut malum intellectûs, quando temerè & abſque rationabili fundamento contra argumenta probabiliſſima affirmatur; nemo enim propter tale judicium laudatur ut ſagax, aut prudens, ſed contemnitur ut imprudens & ſtultus. Et ratio eſt, quia licèt veritas objectiva ſit potiſſimum objectum intellectûs, illud tamen, cùm ſit intellectui extrinſecum, non poteſt eſſe propria illius perfectio, quæ neceſſariò eſt ipſi intrinſeca. Finis ergo & perfectio intellectûs conſiſtit in ipſa vitali apprehenſione veritatis objectivæ. Si hæc ſit certa & evidens, habetur finis ultimus ſeu primarius intellectûs. Si verò apprehenſio vitalis veri apparentis ſit rationabilis & invincibilis, illa eſt etiam bonum intellectûs, ſed ſecundarium. Quod ſi apprehenſio vitalis veri apparentis ſit temeraria, illa non perficit intellectum, nec continetur in fine ad quem ordinatur, cùm præſtet carere tali judicio quàm illud habere. Et quidem hoc verum eſt, quamvis tale judicium per accidens ſit logicè verum, quia veritas illa logica eſt denominatio extrinſeca, quæ proinde nullam intellectui perfectionem tribuit. Atque hinc.

Omne judicium probabile eſt bonum intellectûs.

14. Probatur tertiò. Cognitio probabilis vera eſt bonum intellectûs, & ſpectat ad finem illius ſecundarium. Ergò & cognitio probabilis falſa. Tenet conſequentia, quia nil perfectionis eſt in cognitione probabili vera, quod non reperitur in cognitione probabili falſa, ſi utraque ab æquali motivo procedat, & à ſimili voluntatis motu imperetur. Ratio eſt, quia hæc ipſa, quæ eſt logicè falſa, potuiſſet eſſe vera & è contra? Ergò utraque eſt æquè perfecta. Ergo utraque æquè perficit intellectum, qui certè à nulla re extrinſeca perfici poteſt. Ergò utraque ex æquo eſt bonum intellectûs. At certum eſt quòd judicium probabile verum ſit bonum intellectûs, & contineatur in adæquato illius fine. Ergò pariter judicium probabile falſum eſt bonum ejuſdem, & ſub adæquato illius fine comprehenditur.

Recentiores in hac materia non diſcrepant ab Antiquis.

15. Qui hæc ritè ponderaverit, adverteritque ad diſtinctiones poſitas, ſtatim perſpiciet, Celladeum *in Introductione quæſt. 1.* immeritò conqueri, quòd Recentiores in hac materia de ignorantia plurimùm diſcrepent ab Antiquis. Certè doctrina, quam ego ſex iſtis aſſertionibus explicui, aut eſt ipſiſſima Recentiorum de hac re doctrina, aut certè per omnia illi conformis. At eadem in nullo Antiquorum doctrinæ opponitur, nec Celladeus aſſignare poteſt, in quo à communi Antiquorum opinione diſcrepemus, ut infra apertiùs conſtabit, cùm ea, quæ ipſe contra nos ex illis affert, ponderabuntur. Interim Celladeus ita loquitur in hac quæſtione, ut quamvis approbet doctrinam in quatuor prioribus aſſertionibus contentam, duas tamen poſteriores prorsùs rejicere videatur. Ita enim utitur univerſali ac indefinita loquutione; ut ingens malum in omni ignorantia ac errore latêre inſinuet. Quare operæ pretium erit ſingula examinare; quod meo judicio rectè fiet, ſi doctrinæ illius per modum objectionum contra aſſertiones ſtabilitas exponantur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Malū ignorantiæ & erroris latè exponitur.

16. OBJICIT primò. Inprimis ignorantia & error ſunt malum hominis ſecundùm ſe conſiderati, quia privativè vel contrariè privant illum perfectione debita, ad quam naturali appetitu vehementer fertur, quia omnis homo naturaliter ſcire deſiderat. Deinde ſunt maximum hominis malum, & cæteris paribus majus malis aliarum potentiarum (præſcindimus jam à peccato & malitia morali) quia privant ſapientiâ, qua homo diſcernit inter bonum & malum. Sapientia autem majus bonum eſt, quàm ea, quibus mala aliarum potentiarum privant. *Sapientiæ 7. Optavi & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi,*

vocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ, & præposui illam regnis, & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum; quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius, super salutem & speciem dilexi illam, &c. Ergò ignorantia & error sunt majus malum, quàm aliarum potentiarum defectus, quia privant majore bono. Præterea visio beatifica est tota merces & beatitudo hominis, ut SS. Aug. & Thomas expresè tradunt. Sed ignorantia & error circa Deum privant hac visione. Ergò sunt maximum hominis malum. Tertiò intellectus est omnium potentiarum nobilissima. Per illum supereminemus brutis, Angelis appropinquamus, Deoque ipsi similes evadimus. Ergò malum intellectûs, scilicet error & ignorantia, est majus malis aliarum potentiarum, nempe malo sensuum exteriorum, virium & salutis, imò & privatione omnium bonorum exteriorum; quia corruptio optimi est pessima. Quartò qui cadit in amentiam majus bonum perdit, quàm quando postea amens moritur, quia amentem mori magis felicitatis est, quàm miseriæ. At amentia, per quam integra vita intellectualis perit, sæpe uno errore contrahitur, ut dicetur in sequenti objectione. Ergò amentia, seu totum malum intellectûs est majus toto malo aliarum potentiarum. Ergò & dimidium illius dimidio horum, & sic de reliquis partibus proportione servata. Ergò ignorantia, per quam intellectus privatur suis actibus, & error, per quem contrariè disponitur, invertiturque, sunt maximum malum hominis in se, & secundùm se. Et sanè si malum hoc videri posset, magis misereremur ignorantium & errantium, quàm pauperum, cæcorum, claudorum, &c. Ita Celladeus §. 1.

Malum intellectûs secundùm quid est minus malo aliarum potentiarum.

Respondeo, hæc omnia sub nimia generalitate exponi, ideoque parùm aut nil conducere ad intentum principale de ignorantia & errore invincibili eorum, quæ per omnem industriam à nobis certò sciri non possunt. Itaque fateor, malum intellectûs esse simpliciter deterius malo potentiarum exteriorum, quamvis secundùm quid à malo illarum excedatur; quia error & ignorantia cruciatum & tristitiam non continent; tristitia autem & cruciatus peculiari ratione excedunt alia mala, quamvis simpliciter possint ab illis superari. His in genere dictis, ad argumenta respondeo. Inprimis sapientia vera, quæ versatur circa media necessaria aut valdè utilia ad vitam æternam, est melior aliis bonis, ideoque, cæteris paribus, ejus privatio est majus malum, quàm aliorum bonorum carentia. Ex hoc autem & aliis in argumento ponderatis veritas primæ & secundæ assertionis optimè stabilitur, sed nil contra duas ultimas affertur. Certè Salomon ipse *Ecclesiastæ 1.* studium scientiæ vocat occupationem pessimam, simulque agnoscit, quòd in illis sit labor & afflictio spiritûs, *eò quòd in multa sapientia multa sit indignatio: & qui addit scientiam addit & laborem.* Rursus ibidem *cap. 2.* eximium suum sapientiæ & scientiæ studium vanitatem reputat, & laborem inutilem; quod certè relatè ad finem ultimum verissimum est, quia scientia illa, quæ magis inflat quàm ædificat, quæque ad vitam sanctiùs dirigendam non deservit, & est, & meritò reputatur vanitas. Quòd si hoc verum sit de scientiis, quæ sine dubio nobilissima sunt hominis ornamenta, multò magis id verum est de notitia plurium rerum particularium, quarum ignorantia parum aut nil refert, sed aliquando multùm homini prodest, ut ostensum est. Jam licèt non solùm sapientia, moralitatis directrix, sed etiam scientiæ speculativæ, & mathematicæ v. g. meliores sint in se, quàm sanitas corporis, aut exteriora sensuum bona, nihilominus relatè ad hominem anima & corpore constantem, qui proinde multis rebus ad benè se habendum indiget, haud dubiè alia bona simpliciter præferenda sunt: melius enim est hominem corpore sanum esse, atque sensuum exteriorum usum habere sine tali scientia, quàm peritum esse in illa cum sensuum privatione atque continuis valetudinis incommodis. Utrisquisque certè meo judicio primum statum secundo prudenter præferret.

Quod præstantius in ratione finis, id melius debet esse quod est in ratione medii.

17. Ratio est, quia quod in se est alio præstantius in ratione finis, sæpe multum illi cedit in ratione medii; ideoque meritò postponitur rei utiliori, sed minùs præstanti: Sic quia usus sensuum, & indolentia ac valetudo corporis multò utiliora sunt ad benè beateque vivendum, quàm scientia mathematica, ideoque illa huic meritò præferuntur, quamvis hæc illis longè perfectior sit in seipsa. Unde perspicuè sequitur, contra Celladeum, quòd qui videret malum talis ignorantiæ & erroris, non magis misereretur ignorantis talia, quàm cæcorum, languentium, dolentium, &c. sed his præ illis misericordiam impenderet. Si enim in manu alicujus esset alterũ solùm illorum sublevare, posteriori potius subveniret quàm priori. Nec dubito, quin Celladeus ipse, si talibus corporis malis vexaretur, præoptaret illis liberari, quàm mathesim adipisci, libentiúsque totâ vitâ matheſi careret cum perfecto sani corporis usu, quàm mathesim callere cum sensuum privatione, & continua corporis dolentia & intemperie.

Qui error Dei meritò mens rep

18. Objicit secundò. Amentia & stultitia sæpe uno errore contrahitur. Credat quis se regem, & ob hunc errorem amens habetur ac illuditur. Ergò à fortiori amens est & stultus, qui credit se esse Deum. Hæc stultitia & amentia augetur in eo, qui credit Deum esse saxum, quod homine deterius est. Et sanè error iste gentium idolis servientiũ in Sacris Literis frequentissimè stultitia appellatur. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*, inquit Propheta; & Paulus expresè dicit, *obstupuit fuisse insipiens cor eorum.* Rursus frequenter sapientia hujus mundi vocatur stultitia apud Deum. Insipiens ergò est stultus & amens, qui Deum ignorat. Immo stultior esset qui erraret circa Deum, dicendo non Deum esse Deum, quàm qui diceret seipsum esse alium à se; quia Deus plus est cuique quàm ipse sibi; sine Deo enim miser est; sed si Deum habeat, seipsum & omnia habet, & est beatus. Et sanè primus ac primarius respectus hominis non est sui ad se, aut ad sua, vel ad proximum, sed ad Deum; ideoque potissimum bonum vel malum hominis est, quòd benè vel malè ordinetur ad Deum, à quo solo omnia bona procedunt. Jam homo ordinatur ad Deum in patria per visionem, in via per veram fidem, & veram cognitionem Dei. Et in hac ordinatione totum bonum hominis consistit, saltem ut in radice, sine qua ad Deum rectè ordinari non potest. Ergò ignorantia & error circa Deum, quibus homo privatur vera fide ac cognitione Dei, est maximum malum hominis. Ita Celladeus §. 2 ubi pluribus comparationibus miseriam hominis Deum ignorantis, & circa Deum errantis declarat, & tandem acriter carpit Theologiam cujusdam (quem *opinionissimum* vocat) eò quòd Deum ejusque visionem non inter

ter bona hominis necessaria, sed delitiosa numeraret.

Respondeo, hæc omnia nil probare contra posteriores assertiones, sed validè confirmare priores, ut per se patet. Cæterùm verissima sunt, quæ Sacra Scriptura contra Idololatras enunciat; verè enim stulti sunt & insipientes, qui Deum verum non norunt, sed honorem illi debitum Idolis tribuunt; errant enim circa finem ultimum, idque culpabiliter, quo major insipientia seu stultitia esse non potest in sensu, quo sacer textus has voces usurpat. Neque tamen sequitur, eos esse amentes in sensu Celladei, qui in eo palam deceptus est, quòd dixerit, amentiam sæpe contrahi per unum errorem, quia causam cum effectu confudit. Non est error, qui facit amentem, alioquin omnis errans esset amens, sed aliquis error arguit amentiam; eò quòd veritates nonnullæ adeo patentes sint, ut à nemine ratione utente negari possint. Talis est error, quo miser mendicus se regem reputaret; nemo enim nisi amens in talem errorem cadere potest. Itaque amentia consistit in cerebri intemperie, ratione cujus homo ad ratiocinandum & debitè intelligendum ineptus redditur. In hac intemperie, major est vel minor, & ad absurdiora aut minus absurda dicenda extenditur, prout cerebri intemperies major est vel minor. Præterea error logicus in hoc casu impertinenter se habet ad amentiam indicandam; non enim minùs amens esset ille pauper, quamvis jus regni ad illum verè pertineret, modò potiorem ad illud affirmandum rationem non haberet, quàm alter, qui omni ad illud jure & juris apparentiâ careret. Ergò & falsum dixit Celladeus, & illud ut proprium errori attribuit, quod ex æquo propositioni logicè veræ competit. Competit inquam, modò dicamus amentes revera propositiones & judicia formare; quia nisi hoc concedatur, nullus errori tali locus datur.

Celladeus erroris arguitur.

Ex hoc patet, Idololatras ita esse stultos ac insipientes juxta sensum Sacræ Scripturæ, ut tamen non sint amentes in sensu, quem Celladeus exprimit, quia error circa Deum non est talis, qui elici non possit, nisi post eam cerebri intemperiem, quæ hominem ad ritè discurrendum & intelligendum reddit ineptum.

19. Quantum ad Theologum illum attinet, haud credo, illum simpliciter docuisse, Deum non esse bonum absolutè homini necessarium; nimis enim patens est, hominem sine Deo creatore, conservatore, & cooperatore nec esse, nec operari, & multò minùs benè esse posse. Immò puto eum non negasse Deum, etiam in ratione objecti cogniti, numinis culti ac amati, esse homini simpliciter necessarium, cùm sine tali cognitione & amore nulla hominis beatitudo, ne quidem naturalis, possit consistere. Existimo ergò, eum aliud non dixisse, quàm claram Dei visionem, non esse bonum homini simpliciter necessarium, sed solùm delitiosum, quod sine dubio verissimum est, quia absque tali visione dari potest naturalis beatitudo ordinis longè inferioris, qua homo simpliciter felix esset & benè se haberet, sine summo illo gaudio, quod ex clara Dei intuitione procedit.

Excusatur Theologus, quem Celladeus carpit.

20. Objicit tertiò. Homo ex natura rei est animal sociale, cùm sibi non sufficiat, sed plurium civitatem constituentium consortio indigeat. Civitas autem est collectio hominum vita sociali conjunctorum sibi sufficiens, cùm unus alterius indigentiam sublevare possit. Ex hoc respectu hominis ad proximum & ad rempublicam colligitur, quantum malum sit ignorantia & error. Melius enim esset solitarium vivere, quàm socios habere ignorantes, qui opem ferre non possent, & multò magis quàm errantes, qui loco proficuorum noxia præberent. Nónne præstaret nullum, quàm malum medicum habere? Idem dicas de aliis artificibus. Ergò ignorantia & error est maximum homini malum, cùm privet bono sociali, sine quo homo nequit subsistere. Hæc & hisce similia fusè, & concionatoriè magis quàm Theologicè prosequitur Celladeus §. 3.

Civitas quid sit?

Respondeo, supponendo aliquam fieri posse de ignorantia & errore, per quam omnia necessariò inverterentur, & longè præstaret hominem solitarium quàm sociatum vivere. Unde sequitur, talem ignorantiam & errorem, adæquatè sumptum, esse magnum hominis malum. Cæterùm ex natura rei fieri non potest, ut detur in republica talis ignorantia & error, alioquin respublica eo ipso non esset respublica, cùm non esset congregatio hominum sibi sufficiens, ut patet. Itaque tales suppositiones ad ignorantiæ & erroris nobis inevitabilis malum probandum nil conducunt. Itaque si homo comparetur ad proximos, ut pars ad totam rempublicam, fateor, errores & ignorantias circa media necessaria ad finem & perfectionem talis vitæ esse malum simpliciter magnum; sed cum hoc stat, alias ignorantias & errores non esse magnum hominis malum. Itaque contenta in objectione rectè confirmant assertionem quartam, sed non improbant, & ne quidem tangunt sequentes.

Complexū errorū sæpe impedit cōmoda vitæ socialis.

21. Cæterùm quamvis errores, aliqui determinatè assignabiles huic hominis fini de facto plurimùm obsint, fingi tamen potest errorum ordo, qui nulla ratione reipublicæ statum turbaret. Quid stultius & magis improportionatum, quàm si calceos crederet esse galeam, & galeam calceos? finge tamen omnes existimare, galeam calceos esse, & calceos galeam; sed simul finge omnes pariter existimare, caput esse pedes, & pedes caput. In hoc casu errores isti, etsi maximè absoni, ad vitam civilem nil impedimenti afferrent; qui enim putaret se indigere calceis, non calceis sed galeâ indigeret, idemque petens calceos galeam acciperet, atque illo, ut verè indiget, caput defenderet. Quod ergò mala maxima in ordine ad finem istum ex ignorantia & errore proveniant, non oritur præcisè ex vi ignorantiæ & erroris, quia errore aucto nil tale eveniet. Ex eo ergò oriuntur, quòd aliqui errent & alii non errent, ideoque fieri nequit, ut sciens errantis petitionem impleat, quin magna deordinatio & partium reipublicæ nocumentum sequatur. Et sanè ut videas errorem, qui de facto nocet, nullo modo nocere, si universalis fiat, conjice oculos in monetam falsam. Si privatus homo putet illam esse legitimam, multum sibi nocet res suas pro tali moneta commutando, quia æquivalentia recipere non poterit ab aliis, qui monetam falsam esse sciunt. Sed si omnes omninò fallerentur, nil detrimenti ex universali illo errore in vitam civilem proveniret, in quam certè nullis in casibus plurima commoda ex peculiaribus ignorantiis & erroribus proveniunt, ut ostensum est *assert. 5. 6. & 7.*

Errores aucti non impedirent cōmodum vitæ civilis.

Error alicujus, qui nocet, non noceret, si esset universalis.

22. Objicit quartò. Ignorantia, *distinct. 38. cap. ignorantia*, quod *ex Concil. Tolet. 4.* desumptum est, cunctorum malorum mater appellatur. Nec mirum, quia ignorantia & error virtutibus privat, & cuncta vitia inducit. Privat virtutibus, quia

Ignorantia quomodo mater omnium malorū dicatur.

quia voluntas rationi erranti concordans non est bona, ut cum S. Thoma probatum est, inquit Celladeus, *in prima parte*, inducit mala, quæ dum ignorantur, facilè patrantur; & quod plus est liberrimè fiunt, quando creduntur bona. Constat autem omnia fermè mala ab hominibus, etiam qui sapientes habebantur, proposita fuisse ut licita. Quin & Deos falsos pro vero Deo colendos totus fere mundus est arbitratus. Ergò ignorantia & error est maximum hominis malum. Ita Celladeus §. 4.

Respondeo, hæc eodem vitio, quo reliqua laborare. Probant quidem priores assertiones, sed tres posteriores, de quibus solis difficultas procedit, non tangunt. Admittitur ergò, quod ex Concilio Toletano affertur, quia omnis peccans est ignorans, ideoque nil mali moralis umquam patratum fuit, quod aliquo modo ab ignorantia non processit. Quod autem additur, distinctione indiget: si ignorantia & error sit vincibilis, & virtute privat, & peccatum inducit; si verò error sit invincibilis, non solùm excludit peccatum, sed etiam virtutem fundat, ut *quæst. 3.* ex Sancto Thoma aliisque contra Celladeum efficacissimè probatum est.

Ignorantia rectè cohæret cũ maxima gravitate peccati.

23. Objicit quintò. Primum protoplastorum peccatum, quo totus mundus miseriis impletus est, ex ignorantia & errore ortum traxit. *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit*, teste Paulo, *1. ad Timoth. 2.* Deinde Eva se excusavit *dicens, serpens decepit me.* Nec mendacii à Deo redarguta fuit. Auctores *in 2. dist. 22. & 23.* hanc seductionem non tam de culpa, quàm de errore, quo verum credidit quod dæmon suggesserat, exponunt. Sed & Magister ex Augustino docet; Adamum deceptum fuisse circa culpam, *eò quòd commissum veniale putaverit, quod peremptorium erat*, quamvis S. Thomas *2 2. quæst. 163. art. 4. ad 3.* veniale de facilè remissibili interpretetur: sed sic etiam magnitudinem culpæ ignoravit, credens illam minorem, quàm fuit. *Cohorrui*, inquit Celladeus, *etiamipse, harum insciis rerum, ubi quendam textum Augustini perlegi: tantum quippe, quantum existimatur, & nil plus peccari, arbitrabar.*

Christus ex ignorantia crucifixus est.

Sed & qui Christum Crucifixerunt, ingens scelus patrarunt; cùm tamen ignorantes id fecerint. Christus de cruce hoc testatus est. *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Similiter S. Petrus *Act. 3. & nunc fratres, scio, quia per ignorantiam feciſtis, sicut & Principes vestri.* Et Paulus *1. ad Corinth. 2. si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Persecutiones Ecclesiæ ab ignorantia sunt ortæ.

Omnis ferme Ecclesiæ persecutio ex ignorantia & errore orta est. Paulus testatur, se ex ignorantia persecutorem fuisse; & Christus *Ioan. 16.* similia prædixit dicens. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Gesta Martyrum memorant, Christianos pro Magis habitos, illorumque legem pro superstitione & stultitia deprædicatam fuisse. Ecce quantam cladem Ecclesiæ intulit ignorantia & error! Crevit tamen inter mortes Ecclesia, sed inter hæreses adeo decrevit, ut ingens pars mundi ad errores hæreticorum, & Mahumetis deflexerit quàm deplorandos erroris effectus!

An ignorãtia sit bellorum causa?

Magnum dictu est, tamen verum, nullum aut vix ullum saltem inter fideles bellum futurum, si nulla foret ignorantia & error. Potest Princeps, etiam fidelis, contra exploratum jus bellum movere, sed id aut numquam aut rarò contingit. Sed contingere nequiret, si subditis belli injustitia esset perspecta. Sicut enim constat, subditos militantes non teneri belli causas ac justitiam nosse, sed Principi suo credere & parere posse ac etiam teneri; ita certum est, eos licitè bellare non posse, si de belli injustitia certò constaret. Difficile autem est & moraliter impossibile, quòd exercitus Christianorum reperiri possit, qui contra conscientiam bello notoriè injusto militaret. Eadem doctrina, proportione servatâ, extenditur ad aliorum bella, quæ rarissimè contingerent, & diù non durarent, si omnibus de aperta belli injustitia constaret. Bellum autem est malum non unius personæ, sed omnium, & totius reipublicæ eversivum. Hoc ingens malum ex ignorantia & errore aut semper aut plerumque illatum est. Ita Celladeus §. 5. ubi terminat *quæst. 1.* quæ certè magis Concionatorem, quàm Theologum decuisset, cùm res ad pompam, sine debita distinctione, non ad exactam veritatem proponantur.

Respondeo. Seductio Evæ, error Adami, si quem ante peccatum incurrit, sicut & ignorantia crucifigentium Christum, ob singulares planè ac peculiarissimas circumstantias cuique docto obvias, singulari nomine maximè culpabilis erat, ideoque peccata verè horrenda, ab illis commissa, excusationem nullam ex hoc capite, sed potiùs gravamen accipiunt, cùm ignorantia eorum in omnibus aut in multis non solùm crassa & supina, sed quodammodò affectata fuisse videatur. Idem dicendum proportionaliter de iis, qui Ecclesiam persecuti sunt, & multò magis locum habet in Hæresiarchis, qui olim fideles, & Ecclesiæ, lucis, ac veritatis filii fuerant, sed in tenebras impetu prorsùs miserando se conjecerunt. Cæterùm quidquid de istis dicitur, optimè probat priores, sed posteriores assertiones non impetit, ut patet.

Celadei impugnatio.

24. Cæterùm miror ego prætensum Celladei horrorem; dicit enim se existimasse (alludit autem non ad adolescentiæ annos, sed ad tempus tur. etiam maturæ ætatis, quando consummatus jam Theologus benignæ sententiæ ita inhærebat, ut, sicut expressè declarat in prima parte, nil contra eam dici pati posset) *tantum peccari, & non amplius, quantum quis se peccare existimat*; verùm tantum abest, ut tunc ita existimaret, ut probè sciret, conscientiam vincibilem non excusare, ideoque cum omnibus teneret, operationes creditas bonas, sæpe bonas non esse, sed malas. Rursus sciebat, quòd duæ essent opiniones contradictoriæ, quarum altera affirmat, altera negat malitiam peccati esse infinitam; alterutram harum opinionum veram, alterutram autem falsam esse sciebat; unde latère illum non poterat, quod magnitudo peccati suam ab opinione operantis mensuram non semper acciperet, quia alteruter taliter opinantium, & stante illa sua opinione actuali operantium, plus aut minus peccat, quàm putat se peccare. Hæc & hisce similia tunc bene sciebat Celladeus; & quidem ita de illis loquitur, atque illa in prima parte tanta vi objicit, ut nemo non judicet illa ab ipso ut notissima haberi, sicut haud dubiè doctis omnibus sunt obvia. Aliud proinde dicere non possum, Celadeus traditus. quàm quòd hoc loco oblitus eorum, quæ *in prima parte* dixit, sibi ex oblivione contradixerit. Nec à contradictione se tutari potest, nisi dicat, se jam Theologum maturum aut doctrinas à me positas ignorasse, quod non est credibile, aut eas ut notorias contra benignam sententiam non objecisse, quod est apertè falsum.

Stet

Stet ergò eum in hac parte contradictionis reum esse.

Præterea non erat cur ad illud Augustini dictum horreret, ille enim nil ibi aut dicit aut insinuat, quòd notoriis, & universaliter receptis doctrinis non sit conforme, ut patet.

Genuina bellorum causa nō est error, aut ignorantia.

25. Mala reipublicæ bello illata absurdè tribuuntur errori & ignorantiæ, tamquam genuinæ illorum causæ, cùm certò constet, ea non præcisè ab errore, sed opinionum ac affectionum diversitate pendêre; dum enim utraque pars putat se jus habere, ac utraque omni conatu jus suum sibi vendicare studet, bellum indicitur, & cum reipublicæ nocumento geritur. Sanè si omnes circa jus prætensum uniformiter errarent, & sicut hi falsò credunt jus ad se non ad alios pertinere, sic alii falsò judicarent non sibi sed aliis jus favere, per hoc ipsum bella non minùs cessarent, quàm si omnes in veritate scienda convenirent. Ergò non est cur bella magis tribuantur errori quàm veritati. Et sanè neutri ut causæ totali, sed utrique ut causæ partiali tribuuntur. Itaque per hujusmodi exempla Celladeus suæ causæ malè consuluit.

26. Nec tantùm malè consuluit causæ suæ, sed eam prorsùs pessumdedit, sibique ac principali suo intento apertè contradixit. Ait enim, & rectè, subditos in dubio & posse & debere suo Regi obedire, & ad bellum procedere. Unde sic infero. Ergò ignorantia plurimùm emolumenti subditis militantibus affert. Per illos enim bellum geritur, & omnia belli mala per illorum operam inducuntur. Ignorantia autem facit, ut illa quamvis mala sint & injusta, à militibus non solùm sinè peccato, sed etiam honestè patrentur. Ergò talis ignorantia de facto multum prodest, cùm maximam reipublicæ partem in rebus materialiter malis à peccato excuset, & quod plus est honestam obedientiam fundet, quia obligationem ad eam præstandam inducit; quod autem fit ad exigentiam obligationis, sicut absque peccato omitti nequit, sic cum honestate & merito exhibetur. At hoc toti intento principali, atque etiam expressæ Celladei doctrinæ in hac ipsa quæstione contradicit. Quia intendit probare nil boni sed plurimum mali per ignorantiam & errorem induci, hîc autem per unius tantùm rei ignorantiam maxima & universalissima reipublicæ mala excusat & honestat; quia omnes fermè milites, in causa etiam injusta, & excusantur & bellando benè faciunt. Ergò quod tradit de militum excusatione intento principali ipsius, & doctrinæ hujus quæstionis contradicit.

Celladei cō-tradictio.

QUÆSTIO SEXAGESIMA-PRIMA.

Vtrùm necesse fuerit, ignorantias & errores à Deo prohiberi.

1. DE hoc argumento tractat Celladeus *parte 2. lib. 1. quæst. 2.* Eum ego comitari decrevi, ut quæ vera sunt approbem, & quæ à vero deflectunt rejiciam; idque facio, non quòd quæstio aut peculiarem difficultatem habeat, aut multùm ad præsens institutum faciat, sed quia ipse magnum in ea, ut in principio ad suum contra nos intentum maximè conducibili, vim ponit. Sit ergò

ASSERTIO PRIMA.

Plena & absoluta ignorantia nulla lege prohiberi potest.

Plena ignorantia non potest prohiberi.

2. PROBATUR. Lex, ut vim habeat, promulgari, intimari, subditisque applicari debet, alioquin neminem dirigere ac obligare potest. Ergò nulla lex plenam & absolutam ignorantiam prohibere potest. Alioquin ligaret, & dirigeret antequam promulgaretur, subditisque intimaretur ac applicaretur, quia ipsa promulgatio, intimatio ac applicatio legis, est aliqua notitia, quæ vi legis obligantis non inducitur, sed aliundè habetur. Ergò plena ignorantia prohiberi non potest.

Præterea plena ignorantia significat carentiam omnis omnino cognitionis. At homo carens omni cognitione non est liber, & consequenter non est capax præcepti. Ergò nemo capax est præcepti prohibentis plenam ignorantiam.

ASSERTIO II.

Nulla lex potest directè prohibere plenam ignorantiam aut sui, aut objecti quod prohibet.

Nulla lex prohibet plenam sui ignorantiā.

3. PROBATUR. Plena ignorantia legis, aut objecti per legem prohibiti, evidenter tollit omnem promulgationem, intimationem, & applicationem legis; hæ enim in aliqua legis & objecti prohibiti notitia consistunt, nec inducuntur vi legis antecedenter obligantis, ut patet. Ergò non possunt directè præcipi per legem, qua ad ipsam legem implendam obligamur.

Confirmatur. Nulla lex directè reflectit supra seipsam, sed solùm fertur in objectum à se distinctum. Ergò nulla lex directè præcipit cognitionem sui ipsius, seu directè prohibet ignorantiam sui,

sui, quia illud solùm directè prohibetur per legem, quod lex in mente legislatoris repræsentat, & ad quod voluntas ipsius extenditur.

ASSERTIO III.

Nulla lex potest directè præcipere cognitionem, aut sui, aut objecti sui, absolutè necessariam ad subditum proximè obligandum.

Lex nō potest directè præcipere cognitionē sui.

4. PROBATUR eodem modo. Notitia legis, & objecti quod lex exigit, absolutè necessaria ad subditum obligandum non sequitur obligationem subditi, sed vel ad illam præsupponitur, vel certè eam constituit. Ergò talis notitia non potest inferri vi legis ad illam obligantis; alioquin obligatio ad illam ex obedientia ponendam præcederet. Ergò ante talem cognitionem haberetur notitia legis & objecti præcepti sufficiens ad subditum obligandum; quod est contra suppositum.

ASSERTIO IV.

Ignorantia aliqua, & error, circa res à lege obligante distinctas, possunt directè prohiberi per legem.

Aliqua ignorantia directè prohiberi potest.

5. PROBATUR. Idem est ignorantiam aliquam & errorem circa talia prohiberi, ac scientiam seu cognitionem vel fidem de illis præcipi. At cognitio seu fides multorum præcipitur. Sic de facto obligamur credere iis, quæ Christus revelavit. Ergò ignorantia aliqua & error circa illa prohibetur. Dixi *ignorantia aliqua*, non omnis, quia plena ignorantia seu incogitantia de lege & ejus objecto præcipi nequit per illam ipsam legem, ut ostensum est. Itaque aliqua saltem apprehensio legis & rei præceptæ non est effectus obligationis. Talis autem apprehensio rei præceptæ opponitur plenæ ejusdem ignorantiæ, ut patet.

Errores prohiberi possunt.

6. Cæterùm si de errore loquamur, res est clarior, quia Ecclesia anathema dicit contra omnes, qui erroribus ab illa damnatis assensum præbent. Ergò Ecclesia prohibet tales errores. Sed & Christus ipse jussit nos falsis Prophetis non credere. Ergò Christus manifestè prohibuit fidem falsam, seu errorem.

Exemplum S. Pauli rem totam ob oculos ponet. Christus apparens illi propè Damascum, jussit illum ingredi civitatem, prædixitque ibidem dicendum ipsi, quid illum facere oporteret. Vi hujus mandati Paulus obligabatur illis credere, quæ ipsi dicenda erant, quæque in particulari ignorabat, quamvis in generali jam sciret aliqua ipsi dicenda, & se debere illis fidem dare. Ergò vi hujus mandati tenebatur ignorantiam illam particularem depellere, & media ad illam depellendam adhibere, quia fides eorum erat res per mandatum illud directè præcepta. Cæterùm generalis notitia rerum dicendarum, quæ opponebatur ignorantiæ talis notitiæ, non poterat præcipi per illud mandatum, sed antecedenter ad ejus obligationem inducebatur. Ergò mandatum illud ità directè prohibebat ignorantiam rerum ipsi dicendarum, ut tamen nullo modo prohiberet ignorantiam sui, aut plenam ignorantiam objecti præcepti, incompossibilem cum instructione sufficiente ad sciendum, se obligari ad fidem rebus dicendis præbendam. Ecce uno exemplo veritas omnium harum assertionum redditur clarissima.

Probatur.

7. Atque hinc sequitur, legem aliquam sufficienter proponi posse per cognitionem, quæ ab illa lege præcipi non potest, vi cujus obliget ad clariorem sui cognitionem, eaque mediante ad totius operis executionem. Hoc enim manifestum est in exemplo allato; quia Deus per voluntatem suam Paulo intimatam obligabat eum, & ad audiendum dicenda, & ad illis obediendum. Ergò mandatum illud obligabat ad clariorem sui notitiam, & ad omnia clarè scita executioni mandanda. Sed prima hujus legis notitia sub obligationem cadere non poterat; constat enim ex dictis, primam legis notitiam sub talis legis obligationem cadere non posse.

Probatur.

Probatur.

ASSERTIO V.

Congruum fuit, & moraliter saltem necessarium, ut Deus homini lapso ignorantias aliquas & errores prohiberet.

Alia ignorantia & error prohiberi potuit.

8. PROBATUR. Idem est cognitiones veras præcipi, ac ignorantias aliquas & aliquos errores prohiberi. Sed congruum, immò moraliter necessarium fuit aliquas cognitiones veras homini lapso præcipi. Ergò & ignorantias ac errores illi prohiberi. Probatur minor. Non debuit homo lapsus sine lege dimitti. Ergò obligari debuit, saltem ad Deum colendum, & ad ea scienda, quæ ipsi absolutè necessaria erant ad salutem, modò absoluta eorum notitia non esset illi indita independenter à lege obligante. At certum est, quòd absoluta & clara eorum notitia illi indita non fuerit. Ergò necesse fuit, ut, mediante confusa aliqua & prævia cognitione eorum, obligaretur ad ea scienda; & consequenter ad depellendam ignorantiam & errorem tali scientiæ contrariam; quia sine illis, nec Deum debitè colere, nec ad finem suum pervenire poterat.

Hæc tamen omnia ita intelligenda sunt, ut prima legis aut objecti præcepti notitia per nullam legem præcipi potuerit; ignorantia enim aliqua auferenda est, seu aliqua, & quidem sufficiens legis notitia ponenda est priùs quàm lex quemquam obligare possit.

Quid Celladeus doceat in hac quæstione præmittit.

9. Hæc videntur satis perspicua, & abundè sufficiunt ad resolutionem quæstionis generaliter propositæ, quia non est hujus loci quærere in particulari, quæ ignorantiæ, & qui errores aut possint aut debeant prohiberi. Cæterùm Celladeus adeo in abstracto, ac in universali hoc loco discurrit, ut difficile sit discernere, quid velit. Eò tamen, quantum colligere potui, collimat, ut plenam legis ignorantiam per legem prohiberi velit; nisi enim hoc probet, quæstiones istæ ad illius intentum nil conducunt. Ut autem hoc probet, generalissima ignorantiæ & erroris notione usus, contendit aliquas ignorantias & errores & potuisse & debuisse prohiberi; unde infert, ignorantiam & errores circa legem esse etiam per legem prohibitos. Sed doctrinam ejus promamus.

SOL-

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Quæ legis ignorantia prohibeatur, per legē juxta Celladeum.

10. OBJICIT primò. Ignorantiæ & errores sunt majus malum hominis tam quoad se, quàm quoad Deum, & proximum, quàm furta, homicidia, mendacia, ut satis constat ex quæstione superiore. Sed illa mala minora ad rectum hominum regimen prohiberi debuerunt. Ergò à fortiori necesse fuit errores & ignorantias prohiberi.

Confirmatur. Prohibitio reliquorum vim & effectum habere nequit, non prohibitâ ignorantiâ & errore; lex enim & prohibitio media sui cognitione effectum & finem suum consequitur, nempe vitationem mali prohibiti. Ergò lex prohibens mala, jubet sanè sui cognitionem, prohibetque proinde ignorantiam, qua effectus impeditur, & multò magis errorem, quo mala illa tamquam bona & præcepta perpetrantur. *Nam in debito faciendi* (ut rectè Suarez *de Censuris disp. 4. sect. 8. num. 15.*) *intrinsecè includitur debitum sciendi.*

Ratio est, quia sicut intentio finis est virtualis saltem amor mediorum, & odium impedimentorum; ita voluntas præceptiva vel intentiva boni virtutis est voluntas eorum, quæ sunt necessaria ad virtutem, & odium impedimentorum. Nam voluntas jubens bonum, & permittens impedimentum stulta esset, & secum pugnaret. Sic si quis obligetur ad Sacrum audiendum, non potest illi permitti, ut maneat domi, ubi Sacrum non peragitur. At ita se habet ignorantia & error ad omnia præcepta. Ergò eorum ignorantia & error licita esse nequeunt; alioquin optimum ad innocentiam compendium omnium ignoratio foret; & ad hoc nitendum esset, ut lex omnis ignoraretur, omnisque ejus memoria à corde nostro raderetur.

Fieri quidem potest, ut malum prohibitum citra legis notitiam vitetur. Sed illud casuale erit, & præter providentiam legislativam, cujus est subditos dirigere. Ergò ut mala illa tum certiùs, tum sæpiùs, tum etiam ex legis directione vitentur, ignorantia & error prohiberi debet, sicut reliqua impedientia. Atque hinc est, quòd magna pericula violandi legem, legis ipsius extinctio, ac similia per legem ipsam prohibeantur.

Miranda proinde inscitia illius, qui fidentissimè ausus est quærere, quonam Decalogi præcepto opinionum probabilium usus prohibeatur? Obvium enim est, omnes falsas opiniones in unaquaque materia esse prohibitas, præcepto circa illam materiam lato, tamquam impedientes & frustrantes finem & effectum præcepti. Dicat Theologus iste quo Decalogi præcepto prohibitum sit, ne quis ex omnibus libris radat quod scriptum est, *non Mœchaberis?* Hæc sanè lex non dicit, *Ne me deleas*, sed dicit, *non Mœchaberis.* Leges latæ sunt, ut serventur. Hoc autem impeditur falsa opinione & errore, qui aliquando totam civitatem, aut regnum pervadit. Ita Celladeus *quæst. 2. §. 1.*

Nullitas argumenti ostenditur.

Respondeo, consequens argumenti ex antecedente non inferri: mala enim illa, etsi minora, prohiberi debuerunt, quia aliter vitari non potuissent; at ignorantia & error de lege illa vetante independenter à lege removeri potuit, ac debuit. Ergò quamvis ignorantia & error sit majus malum, quàm furta, & homicidia, non sequitur illa prohiberi debuisse sicut ista, aut etiam potuisse. Sufficit enim ad intentum legislatoris & ad finem legis, si impediantur, quamvis ex obligatione legis non arceantur. Hæc quidem verissima sunt, si sermo sit de omnimoda ignorantia legis, & rei per illam vetitæ, quibus tamen non obstantibus, verum est, multas ignorantias & errores per leges prohiberi; verùm illæ ignorantiæ sunt materia seu objectum legis, à lege vetante distinctum, alioquin per illam directè prohiberi non possent, sicut absoluta legis ignorantia per ipsam legem prohiberi nequit.

An & quomodo debitum sciendi involvatur in debito faciendi?

11. Unde respondetur ad confirmationem, legem habere vim & effectum, etsi sui ignorantiam non prohibeat, quia legislatoris est providere & efficere, ut notitia legis aliâ viâ inducatur, quàm per ipsius legis obligationem, cùm per hanc induci nequeat. Itaque lex prohibens mala non prohibet sui ignorantiam, sed præsupponit sui cognitionem alia vi esse inductam. Dictum illud Suaris est verissimum, sed ille ibi expressè loquitur, juxta sensum *Assertionis quartæ*, de homine aliquod officium aut statum suscipiente, cui multa onera sunt annexa; manifestum enim est, neminem tali statui satisfacere posse, nisi suas obligationes noscat. Cùm ergò antecedenter generaliter sciat, se multa debere facere, utique in tali debito faciendi intrinsecè involvitur debitum sciendi, quia ex eadem lege, qua scit se ea debere facere, quæ nondum explicitè novit, obligatur ad ea discenda, ut sic suam obligationem impleat. Cæterùm si ante statum initum de omnibus claram cognitionem haberet, debitum sciendi non involveretur in debito faciendi, sed absoluta omnium scientia præsupponeretur ad omne debitum faciendi. Cæterùm nec Suarez, nec ullus loquitur in sensu priorum assertionum, ideoque nemo favet Celladeo, qui sine sufficienti fundamento illas impugnare videtur.

Nullitas confirmationis Celladei.

12. Eadem æquivocatio latet in ratione, quam confirmationi subjunxit; nam legislator & lex prohibens malum non permittit impedimentum finis, sed illud removet per intimationem legis. Verùm illa intimatio per obligationem legis induci nequit, ut patet. Unde nulla est paritas in exemplo; nam qui præcipit auditionem Sacri, dum manifestat præceptum, manifestat se velle impedimenta audiendi Sacri amoveri, ideoque non permittit illa, sed ea vetat. At si sermo sit de ipsa legis notione, illius ignorantia per legem prohiberi non potest, sed est impedimentum aliâ viâ auferendum, & aliis viis semper aufertur.

Defenditur Theologus, quem Celladeus inscitiæ arguit.

13. His positis sequitur Theologum illum, quem Celladeus mirandæ inscitiæ arguit, non inscitè, sed non minus sapienter quàm confidenter petiisse, quo Decalogi præcepto opinionum probabilium usus prohiberetur? Noverat ille primò, benignam sententiam esse reflexam, & considerare res opinioni probabili substantes in ordine ad circumstantias diversas ab eis, quas opinio directa contemplatur; ideoque noverat res illas non esse hîc & nunc prohibitas vi ullius legis Decalogi, quamvis contingat, opinionem directam esse falsam. Unde acutè & efficaciter quæstionem illam movet, cui certè Celladeus non respondet, & ne quidem tangit id, in quo præcipua difficultas vertitur.

Noverat secundò, errores invincibiles, saltem quà tales, nullo Decalogi præcepto esse prohibitos. Et hoc ipsum Celladeus fatetur; quia cùm peccata nec sint nec esse possint, nullo præcepto prohibentur. Rursus noverat omnem opinionem certò practicæ probabilem actu animam informantem, aut veram esse, aut esse invincibiliter

liter erroneam. Unde rectè intulit, usum illius non repugnare Decalogo, & meritò petiit, cui illius præcepto repugnaret. Atque hîc inconsequentia & contradictio Celladei notanda est.

Celladei cõtradictio.

Mala contra intentum legis æquè patrantur per errorem invincibilem, ac per alium quemvis. Et tamen lex, quæ prohibet illa mala non prohibet errorem invincibilem. Ergò non prohibet omne medium inferens mala, quæ vetat. Ergò inconsequenter loquitur, & propria argumenta solvere tenetur. Præterea sibi contradicit, dum multis in locis expressè asserit, errorem invincibilem non esse peccatum, nec prohiberi à lege; hic autem contendit, omnem errorem per quem rei præceptæ positio impeditur, esse prohibitum per illam ipsam legem, & esse peccatum.

Noverat 3 ille Theologus, magnam diversitatem esse inter legem certam & dubiam; illam obligare, hanc non obligare noverat. Noverat etiam, omnem legem probabiliter non existentem dubiam esse, & non sufficienter promulgatam. Unde meritò petiit, qua lege usus probabilium prohiberetur? Nec satisfacit Celladeus dicendo, unamquamque legem prohibere omnes opiniones falsas de illius materia, sive strictas sive laxas; quia etsi hoc verum esse concedatur pro casu, quando veritas certò sciri potest, eò quòd, lege semel sufficienter intimata, obligemur ad dubia de lege diligenter excutienda, ideoque teneamur veritatem invenire, quantum humano modo inveniri potest. At si veritas non possit certò inveniri, sed lex maneat incerta, nullum est jus prohibens decisionem probabilem, etsi fortasse contingat illam esse falsam; quia jus dubium nullam obligationem inducere potest, ut in superioribus fusè ostensum est. Hæc noverat Theologus ille, qui citò respondisset Celladeo, legem naturæ dictare Deum nolle, leges à se latas per nostram industriam ab hominum cordibus, aut è Sacris Libris eradi, sed velle, ut quisque juxta suum statum alios illas doceat. Nec de hac lege quisquam dubitat, sive illa sit peculiaris lex reflexa, sive ipsa directa lex à Deo lata. Jam quòd legis certæ impletio opinione & errore impediatur, magnum malum est; sed quòd legis incertæ observatio non vigeat, quando certò probabile est legem non dari, malum non est, quod ulla lege prohibeatur, aut prohiberi mereatur, ut ostensum est *quæst. 3.* Itaque in priori casu ignorantia & error non sunt licita, nec adhiberi possunt ut media ad innocentiam, cùm sint media absolutè prohibita & certò mala. At error & ignorantia in secundo casu, cùm sint invincibiles, à peccato excusant, innocentiam servant, & opus bonum fundant.

Deus exigit, ut notitia legum suarũ in mentibus nostris vigeat.

14. Objicit secundò. Præcipuum, quod hîc intenditur, est probare, quòd leges omnes sui ignorantiam, & multò magis sui errorem prohibeant. Hoc autem ex eo probatur, quòd Deus tantopere in lege veteri memoriam legis commendaverit. *Deuter. 11. Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis vestris, & suspendite ea prosigno in manibus, & inter oculos vestros collocate. Docete filios vestros, ut illa meditentur, &c.* Et *cap. 4.* præceptum est, ne quid addatur aut detrahatur verbis legis. At ignorantiâ fit ablatio, errore autem tam additio quàm detractio fieri potest. Demum Psalmi pleni sunt laude eorum, qui memores sunt mandatorum, qui ea intelligunt, meditantur, & in corde retinent. Horum finis est, ut lex sciatur, quia nisi sciatur, nequit observari. Unde sicut scimus legem conditam nil prodesse, nisi promulgetur, & ita in hominum notitiam veniat, ita scimus eos, qui lege promulgata ad aliquid tenentur, teneri etiam ad ejus cognitionem. Ergò ignorantia & error legis sunt prohibita. Hinc inter Christianos sanctum est, singulos, cùm ad usum rationis pervenerint, teneri aliqua scire, nec licere ignorare. Inde Parentes filios, Parochi subditos instruere tenentur. Quod si ignorantia & error licerent, omnes istæ obligationes cessarent. Præterea *væ* interminatum est dicentibus malum bonum, & bonum malum, hoc est errantibus in rebus præceptis; vel si activè accipiatur, dictum est contra facientes errare. Hoc idem *væ* Christus Doctoribus legis cæcis cæcorum ducibus denunciavit. Demum quæcumque de legum necessitate, utilitate, ac fine traduntur, vana sunt, si impunè liceat ignorare legem & errare; lex enim ignorata est sicut non lex; non regulat, non inducit bona, non impedit mala. Similiter lex ignorata in parte, vel ab aliquo, quoad hunc, & in ea parte frustratur. At legem cassare aut frustrare, & bona legis tollere non licet. Ergò neque illam ignorare. Ergò multò minùs errare, quia per errorem cuncta inversè ordinantur, & fiunt. Hinc omnes Theologi ad aliquam scientiæ legis diligentiam obligant. Ergò ignorantia & error legis prohibita sunt & prohiberi debuerunt. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo hæc omnia validissimè confirmare *assert. 4.* sed priores non attingere. Et sanè quidquid ex Sacra Scriptura affertur, supponit notitiam legis præcessisse, per quam homines satis sciebant, se obligari ad legem memorandam, eamque suos subditos docendam, &c. Unde non infertur, quod lex plenam sui ignorantiam prohibere valeat, cùm tamen de hoc solo procedat quæstio. Cæterùm non solùm constat ex dictis, quòd nulla lex talem sui ignorantiam prohibere possit, sed idipsum ex eo, quod Celladeus de legis promulgatione ponderat, clarissimè convincitur. Peto enim, cur lex condita, sed non promulgata, non possit obligare homines. Certè si posset præcipere sui notitiam, aut plenam sui ignorantiam prohibere, non minùs posset obligare ante promulgationem, ut sciretur, quàm potest post promulgationem obligare eos, qui nullam umquam de lege tali mentionem audierunt, aut cogitationem habuerunt. Quia notitia aliorum, & promulgatio aliis facta, non magis juvat, ut lex me dirigat, nisi aliqua illius notitia ad me derivetur independenter à directione legis, quàm lex condita poterat alios juvare & dirigere, antequam promulgaretur. Itaque dicere, legem penitus ignoratam posse obligare ad sui notitiam, & negare legem conditam sed non promulgatam posse ad sui notitiam obligare, aliud non est, quàm inconsequenter loqui, & reipsa contradictoria docere. Celladeus utrumque expressè tradit. Ergò & inconsequentiæ & contradictionis reus est.

Celadon ex iis, quæ tradit, colligitur.

Celladei in consequentia & contradictio.

15. Est etiam aliud, in quo & nostram opinionem confirmat, & sibi etiam contradicit. Contendit hîc, legem prohibentem mala, sui etiam ignorantiam prohibere, ideoque legis ignorantiam non excusare, nec impedire, quò minùs mala per legem prohibita, si patrentur, sint mala. At contrarium prorsùs docuit hîc *quæst. 1. §. 5.* ubi tradit, ignorantiam de belli injustitia excusare subditos milites, etiam quando bellum est injustum; nec eos obligari ad justitiam belli inquirendam. Et tamen illi sunt qui mortem & bono-

bonorum spoliationem alius contra legem Dei inferunt, quando bellum est injustum. Lex ergò non occidendi, non auferendi alienum, &c. non semper prohibet sui ignorantiam, saltem prout refertur ad praxim in bello, sed ita respicit majorem hominum bellantium partem, ut ne quidem ad diligentiam sciendi veritatem obliget. Et tamen eadem in hoc casu mala eveniunt, quæ evenirent, si nulla ejusmodi lex extaret. Hoc autem contradicit doctrinæ præsentis objectionis, ut patet, & nostram sententiam confirmat, quia inde apertè sequitur, legem prohibentem mala non semper prohibere sui ignorantiam, alioquin semper malum esset, illam ignorare, & ad veritatem sciendam aut certè quærendam semper teneremur.

Celladei cõtradictio.

16. Eadem doctrina Celladei ex alio capite contradicit illis, quæ tradit, *in hac quæst.* Contendit enim, legem ideo obligare ad sui notitiam, quia si ignoretur, maxima mala proveniunt, quæ impedirentur, si esset scita, ut constat ex prima objectione. Hoc si verum esset, utique lex vetans homicidia & rapinas injustas obligaret milites ad sui notitiam, quia per illam notitiam ingentia mala, quæ in bellis contra justitiam fiunt, non evenirent, ut benè probat Celladeus. At per ipsum lex illa non obligat milites ad sui cognitionem, quamvis ex illius ignorantia & errore omnia illa mala eorum ope ac manu proveniant. Ergò doctrinæ istæ sibi contradicunt. Sed missis istis contradictionibus, ad reliqua in objectione contenta respondeamus.

Alia Celladei contradictio.

17. Quod omnes dicamus, pueros, cùm ad usum rationis pervenerint, obligari ad aliqua scienda, verissimum est, quia lumen rationis, educatio, ac aliorum exempla talem obligationem manifestant, quatenus illis notam faciunt legem generalem, per quam obligantur ad leges particulares sciendas, & servandas. Verùm leges illæ particulares earumque notitia sunt materia circa quam versatur lex generalis; ideoque numquam est verum, quod ulla lex plenam sui ignorantiam prohibeat, quia si nulla umquam puero cogitatio legis aut obligationis incidisset, ille utique nulla lege ad quidquam obligari potuisset. Verùm suppositio est falsa, quia ipsum naturæ lumen multa ostendit, & alia docet esse inquirenda. Deinde pro puerorum instructione satis cautum est, eò quòd Parentes & Magistri eos instituere teneantur, adeo ut rarò aut numquam eveniat, quin pueri (saltem apud fideles) non exiguam instructionem habeant, per quam plura sciant, & ad alia scienda se obligatos sentiant. Verùm primæ legum notitiæ non à legum directione & obligatione, sed aliunde proveniunt.

Prima notitia legis in pueris non oritur ab obligatione legis.

18. In superioribus responsum est ad illud *væ*, quod certè supponit legem latam & applicatam fuisse, & quod plus est, procedit de lege certa & certò obligante; nam de incertis, & quæ hinc inde post omnem diligentiam manent certò probabilia intelligi non potest, nisi sibi contradicat, ut ostensum est.

19. Demum non sequitur leges frustra fore, si in aliquo casu impunè ignorari possint; frustra quidem fierent, nisi independenter ab illarum obligatione nobis innotescerent, quia alioquin nos omnino laterent. At cùm providentia Dei effecerit, ut aliunde leges scirentur, quàm per illarum obligationem, utique leges utilissimæ sunt, sicut erant prorsùs necessariæ, quamvis multæ in particulari aliquo casu ab aliquo penitus ignorentur. Itaque ita lex per accidens impunè ignorari potest, ut non liceat hoc post legem scitam procurare, cùm ad oppositum teneamur. Tota ergò ignorantia ex eo oritur, quòd nemo nobis talem legem manifestarit, lex enim ipsa primam sui manifestationem vi suæ directionis inducere nequit. Ergò licet licitè non possimus conari ad cassandam legem, licitè tamen possumus legem ignorare, non illam ignorantiam intendendo & procurando, sed inculpabiliter nullam legis informationem à quoquam accipiendo. Porro obligatio ad diligentiam adhibendam non præcedit omnem legis notitiam, sed eam sequitur, ut omnes fatentur; si enim nulla legis & obligationis talis notitia animum informaret, nemo ad ullam diligentiam teneretur. Verùm fieri nequit, quin lumen naturæ talem obligationem proponat.

Leges non sunt frustra, quãvis aliquando impunè ignorentur.

20. Objicit tertiò. Ex eo, quòd aliquæ ignorantiæ & errores sint magnum malum hominis, considerati sive ad se, sive ad Deum, sive ad proximum, intulimus illa necessariò prohiberi; sicut furta & homicidia prohibentur: ex hoc autem sequitur, aliquas ignorantias & errores prohiberi in se & propter se, alias verò in alio & propter aliud. Inprimis intellectus humanus secundùm se debet rectè ordinari ad Deum, ad se, & ad proximum, & maximum malum est privari hac ordinatione, idque considerando illud in se & merè propter se. Ergò ignorantia, & error contrarius huic ordini prohiberi debuit in se & propter se. At si sermo sit de ordinatione aliarum potentiarum ad Deum, ad se, & ad proximum, illa etiam debuit præcipi, & consequenter prohiberi debuit ignorantia & error circa talia, & legem ipsa præcipientem. Verùm ignorantia hæc non prohibetur in se & propter se, sed solùm in alio & propter aliud, nempe in malo & propter malum deordinationis aliarum potentiarum evitandum. Exemplum sume in ignorantia legis de restituendo, illa enim solùm prohibetur propter malum non restitutionis, quia si solutio aut restitutio numquam pertineret ad aliquem, ignorantia talis legis in eo esset, sicut ignorantia geometriæ, nullum malum. Fixum ergò manet, ignorantias & errores aliquando prohiberi in se & propter se, aliquando in alio tantùm & propter aliud. Ita Celladeus §. 3.

Aliquæ ignorantiæ prohibẽtur propter se, aliæ solùm propter aliud.

Respondeo totum hoc illatum concedi posse ac debere juxta sensum *Assert. 4.* sed nullius momenti esse, si priores assertiones impetantur; ostendi enim, illationem illam, *furta & homicidia, etsi mala minora, debuerunt prohiberi, ergò ignorantia & error, utpote mala illis majora, prohiberi debuerunt*, nullam esse. Ratio est, quia illa caveri non poterant nisi per legem; at ignorantia & error, maximè circa Deum & generales obligationes ad nos & ad proximum, vitari potuerunt ac etiam debuerunt aliâ viâ, quàm per vim legum, cùm per illam removeri non possint. Hinc autem sequitur, plenam Dei & legum ignorantiam, quamvis sit maximum malum, nec debuisse nec potuisse prohiberi sive in se & propter se, sive in alio & propter aliud. At ignorantia & error, quæ opponuntur notitiæ clariori, aut scientiæ alterius legis, bene prohiberi possunt, idque tam propter se, quàm propter aliud.

QUÆSTIO SEXAGESIMA SECUNDA.

Vtrùm ignorantia & error aliquando sint peccatum? aliquando causa peccati?

1. SI aliquæ ignorantiæ & errores prohibeantur, & ex natura rei postulent prohiberi, ut probatum est quæstione superiori, utique consectarium est, ignorantias aliquas & errores esse peccata; quia quod ponitur, aut non removetur contra legem prohibentem peccatum est. Notissimum enim est, unumquodque eatenus esse peccatum, quatenus est prohibitum. Ergò cùm ignorantia & error aliquando sint prohibita, sunt utique aliquando peccata; tunc scilicet, quando leges illa prohibentes violantur. Hæc vera sunt, sicut etiam verissimum est, ignorantiam & errorem sæpe esse causam peccati, saltem per accidens & removendo prohibens, ut Theologi docent cum S. Thoma *1. 2. quæst. 76. art. 1.* & cum eodem *ibidem art. 2.* expressè docent, ignorantiam etiam esse peccatum. Quæ cùm à nemine sub ista notione negentur, nec in dubium revocentur, non erat, cur Celladeus tanto molimine rem istam confirmaret; nam *quæst. 3. & 4.* Patrum auctoritates ad hoc probandum ultra modum accumulat, cùm sine ulla necessitate eas promat. Vellet quidem per illas persuadere lectori, omnimodam legis ignorantiam esse peccatum, & per ipsam legem prohiberi, sed hoc falsissimum est, nec à SS. Patribus ulla ratione aut docetur, aut insinuatur, sed oppositum ex illorum dictis apertè colligitur, ut ex dicendis constabit, si tamen priùs veram de quæstione propositam doctrinam per quasdam assertiones proposuero.

ASSERTIO PRIMA.

Ignorantia & error sunt peccata, quando sunt objectum legis illa prohibentis, & illa non obstante aut ponuntur, aut non removentur.

Ignorantia & error sùt peccata, quàdo prohibentur.

2. PROBATUR. Quidquid voluntariè ac liberè ponitur contra præscriptum legis est peccatum, quia est dictum factum aut concupitum contra legem. Sed judicium erroneum & ignorantia affectata aliquando ponuntur contra legem illa prohibentem, ut patet in hæreticis contra veritatem sufficienter propositam pertinaciter errantibus, & in omnibus, qui per crassam aut affectatam negligentiam scire negligunt, aut etiam nolunt, ea quæ scire tenentur, & ad quæ quærenda & scienda se obligatos norunt. Ergò ignorantia & error sunt peccata quando sunt objectum legis illa prohibentis juxta dicta in assertione. Nec de hoc ullum esse potest dubium, nec adhuc illud esse certissimum, in sensu, de quo nunc agimus. Hoc enim haud dubiè verum est, quamvis Auctores apud Vasq. *1. 2. quæst. 118.* variè loquantur de peccato ignorantiæ; aliqui enim volunt, ignorantiam esse per se peccatum, sicut est furtum; alii autem, quibus Vasquez S. Thomæ inhærens subscribit, tradunt ignorantiam secundùm se non esse peccatum, sed effectum peccati, quòd in sola negligentia sciendi compleri volunt. Has subtilitates nunc missas facio, quia ad præsens institutum parum refert, utrùm ignorantia sit ipsum peccatum formaliter & primariò, an solùm secundariò & effectus peccati, dummodò verè imputetur ad culpam, & ut est effectus negligentiæ dicatur & sit malum, ac prohibitum.

Ignorantia malitiosa mittit obligationem, quia culpabilis.

3. Cæterùm dum peccatum ignorantiæ hoc modo incurritur, totum pravum exercitium libertatis completur aut in voluntate non sciendi, aut in negligentia debiti conatûs ad sciendum; adeoque tota formalis ac vitalis ratio malitiæ moralis in illis consistit, à quibus proinde ignorantia volita denominatur peccatum; nec enim talem denominationem aliunde habere potest, cùm ratio formalis peccati in ipsa ignorantia secundùm se accepta non consistat; quod ex eo patet, tum quia ignorantia eadem, si fuisset invincibilis, peccatum non fuisset; tum quia quamvis ab initio fuerit vincibilis, adhuc, illa remanente, peccatum deleri potest, ut perspicuum est, & omnes omninò fatentur. Ergò ratio peccati non est denominatio essentialis & intrinseca ignorantiæ. Ergò ignorantia accipit illam denominationem à pravo libertatis exercitio, seu à negligentia culpabili, per quam homo liberè determinat se ad non sciendum id, quod scire tenebatur.

ASSERTIO II.

Plena ignorantia legis, & rei per legem vetitæ, non est peccatum contra legem taliter ignoratam.

Plena ignorantia non excusat per se à culpa.

4. PROBATUR. Quod non prohibetur à lege non potest esse peccatum contra legem. Sed plena legis cujusvis ignorantia non prohibetur à tali lege, nec ab illa prohiberi potest, ut constat ex *quæst. præcedente.* Ergò plena ignorantia legis nec est, nec esse potest peccatum contra legem taliter ignoratam.

ASSER-

ASSERTIO III.

Ignorantia & error, quem homo in rebus verè incertis & hinc inde certò probabilibus post diligentem veritatis investigationem incurrit, non est peccatum, nec prohibetur sive à lege ignorata, sive à lege generali, præcipiente diligentiam ad veritatem indagandam. Seu quod in idem recidit: Opiniones Theologorum de bono & malo, quas post diligens veritatis examen de rebus incertis & hinc inde probabilibus in mente sua formant, & foris proferunt, non sunt peccata, quamvis sint erroneæ & falsæ.

5. HÆc assertio continet veritatem maximè principalem in hac materia, & ex diametro toti Celladei intento opponitur; omnis enim ejus labor eò tendit, ut oppositum persuadeat. Itaque diligenter probanda est veritas tanti momenti, quâ habitâ, totus adversarii conatus evertitur. Cæterùm sermo non est de peccato purè materiali, sed de peccato formali, ac imputabili, quod ideo incurritur, quia lex hîc & nunc obligans ad oppositum, verè violatur.

Ignorantia & error in rebus incertis & hinc inde certò probabilibus non est peccatum.

6. Probatur ergò primò à priori. Ignorantia & error non aliter possunt esse peccata imputabilia, quàm vel ratione sui præcisè, vel ratione modi, quo à libertate dependent. At in casu assertionis neutro modo imputari possunt ad culpam & pœnam. Ergò in casu assertionis non sunt peccata imputabilia. Major est certa, quia non est alius modus excogitabilis, per quem aliquid esse possit imputabile. Probatur minor. Ignorantia & error talium, non est objectum ejusmodi, ut in nullo eventu dependere possit à libero voluntatis exercitio absque peccato, quia talis ignorantia & error aliquando saltem esse potest invincibilis. Ergò non est peccatum præcisè ratione sui imputabile, alioquin in nullo casu liberè admitti posset absque reatu & culpa. Sed neque imputari potest ob modum, quo à libertate dependet, quia ad hoc modus procedendi potentiarum deberet esse reprehensibilis, eò quòd intellectus temerè, & absque diligentia & examine, quale decet hominem præmittere, præcipitaretur in assensum erroneum. At hoc certò non evenit, quia ponimus rem fuisse diligenter examinatam, & quidem non minori cura ab eo, qui errat, quàm ab eo, qui oppositum tenens non errat. Ergò sicut ille, qui post tale examen non errat, reprehendi non potest propter assensum, quem elicit, ita nec ille qui errat. Ergò error ille nec ratione sui præcisè, nec ratione modi, quo à libertate dependet, imputari potest ad culpam. Ergò non est peccatum.

Confirmatur. Ignorantia & error non potest esse culpabilis & imputabilis, quando illa desunt, in quibus solis malitia peccati ignorantiæ consistit, aut à quibus præcisè omnis illius malitia imputabilis dependet. Sed omnia hæc desunt in casu nostro, quia sola negligentia est illud, in quo tota imputabilis malitia peccati ignorantiæ consistit, aut à quo totaliter dependet, ut constat *ex Assert. 1.* In casu autem præsenti hæc negligentia abest, quia diligens ac debitum examen præcessisse supponitur. Ergò in casu assertionis ignorantia & error non potest esse culpabilis, & consequenter non est peccatum.

Error judicii certò probabilis non est imputabilis violatio legis generalis, aut particularis.

7. Probatur 2. Ignorantia & error, de quo loquimur, non est culpabilis transgressio legis, quæ ignoratur, aut legis generalis quæ scitur, & præcipit homines scire, quæ ab ipsis scienda sunt. Ergò non est peccatum; quia haud dubiè nulla alia lex per ignorantiam & errorem ejusmodi violatur, cùm leges aliæ talem ignorantiam non prohibeant. Probatur antecedens. Inprimis lex ignorata, vel totaliter ignoratur, vel scitur quidem existere & præcipere aliquid, sed nescitur an extendatur ad aliquid, quod nondum scitur, sed dubium est, an sub lege comprehendatur. Si primum, lex illa nondum obligat, quia non sufficienter applicatur ut obliget; non enim magis applicatur, quàm si non existeret, in quo casu non obligaret. Si secundum, hoc non aliter evenire potest, quàm ad eum modum, quo lex generalis certò existens obligat ad scienda, quæ quis scire tenetur, quia lex illa particularis directa, prout refertur ad objectum dubium est dubia, & consequenter non magis obligat quando verè extenditur, quàm quando non extenditur ad tale objectum. Ergò obligatio fundatur in eo, quòd lex hæc, cùm sciatur existere & prohibere aliqua, eo ipso habeat vim quasi reflexam, qua obligat ad sciendum quod debemus scire, sicut generalis quasi reflexa, de qua loquuti sumus, obligat. Sed neutra harum legum, nec generalis reflexa, nec particularis directa absolutè obligat ad non errandum, sed solùm ad adhibendam diligentiam debitam, quâ positâ permittit homini id judicare quod ipsi probabilius ac rationabilius apparet: si enim aliter aut ad alia obligaret, obligaret ad impossibile, & ad temerè procedendum; quia omnis alia via procedendi temeraria est, immo & impossibilis, cùm nemo judicare possit illud esse verum, quod ipsi non apparet probabilius oppositio. Ergò cùm in casu præsenti intentum legis sit, ut ignorantia removeatur, & quæstio per absolutum judicium terminetur, non potest absolutè obligare ad assensum verum, sed solùm ad ponendum medium optimum quod potest ad veritatem inveniendam; eo autem posito, si error contingat, is vi talium legum imputari non potest. Ergò nullo modo est imputabilis. Ergò non est peccatum.

Si error probabilis esset peccatum, Ecclesia peccaret, relinquèdo libertatem opinandi in rebus utrimque probabilibus.

8. Probatur 3. ab absurdo. Si error in casibus hujusmodi esset peccatum, Ecclesia & Ecclesiæ superiores essent culpabiles & peccarent, quando, quæstione aliqua valde agitata, illisque proposita, aut aliunde nota, illam non determinarent, sed contrariis Doctorum interpretationibus, & oppositis sententiis determinandam relinquerent. Probatur sequela. Superior ille non providet subditis, qui sciens & volens permittit illos in ruinam currere, cùm possit si velit, ruinam impedire. At permittendo libertatem opinandi, permitteret illos in ruinam currere, quia permitteret illis libertatem opinandi, quâ permissâ futurum scit, ut plurimi errent, quamvis re diligenter considerata sententiam ferant. Omnes autem errantes peccarent, si vera esset Celladei sententia, & præsens assertio non esset vera. Ergò Ecclesia, apud quam est clavis scientiæ (& ut Celladeus vult eo fine data, ut malum ignorantiæ & erroris tollatur) per quam certò nos potest dirigere, esset culpabilis & peccaret, quando quæstionem propositam, aut aliunde notam, in qua Doctores dissentiunt, non determinaret, sed liberæ omnium opinationi relinqueret, quia certò sciret plurimos peccaturos etiam post diligentiam adhibitam, quorum peccatum impedi-

visset, si quæstionem per scientiæ clavem determinasset. At vel tunc vel numquam clavis scientiæ adhibenda est, quando per ejus usum moraliter certò constat, innumera peccata vitanda esse, quæ quæstione non determinata haud dubiè sunt committenda. Quis enim non videt, animas taliter peccantium & pereuntium è manu Ecclesiæ & supremi Pastoris esse requirendas, si perirent. At absurdissimum est, & planè intolerandum dicere, Ecclesiam & Pastores Ecclesiæ in hoc peccare. Ergò sententia Celladei absurdissima est, & prorsùs intoleranda, ex qua tantum absurdum inevitabiliter sequitur. Applica doctrinam hujus argumenti ad quæstiones illas, in quibus Ecclesia prohibet censuram cujusvis partis, liberamque cuilibet opinandi licentiam permittit; & videbis, quod irrefragabiliter concludat intentum, nisi quis velit os suum in cœlum mittere, Ecclesiamque & supremos Ecclesiæ Pastores sceleris damnare in eo, quòd post maturam deliberationem, ad fidelium bonum, & Ecclesiæ pacem ac concordiam utile, & quodammodò necessarium arbitrantur, quodque pro tali ab illis & habetur, & omnibus sub gravissimis pœnis in praxi habendum proponitur.

Omnes Doctores peccarent, si error probabilis esset peccatum.

9. Probatur 4. & assumo, quod Celladeus hic *quæst. 4. §. 4* ad aliud intentum his verbis proponit. *In oratione habita in Concil. Basil. contra necessitatem communionis sub utraque specie; inter alia arguitur, damnatos alioquin fuisse Hieronymum, Augustinum, Hilarium, Gregorium, & omnes per multa sæcula Christianos, qui ea communione usi non sunt, sed in una duntaxat specie populos communicarunt.* Ita ille: hinc sic arguo. Doctrina illa est absurdissima & falsissima, ex qua sequitur, Sanctissimos, doctissimosque Ecclesiæ Scriptores, & omnes per multa sæcula Ecclesiæ Doctores damnabiliter peccasse, etiam in eo, in quo omnes hactenus censuerunt eos magnum meritum apud Deum consecutos esse, sicut apud homines magnam laudem meruerunt. At hoc sequitur ex opinione Celladei, & nisi assertio posita sit vera vitari non potest, quia SS. Thomas, Bonaventura, Antoninus, Bernardinus, & alii omnes Doctores in multis errarunt, cùm contradictoria doceant. Nec ullus aut vix ullus inter omnes invenitur (excipio Summos Ecclesiæ Pastores ex cathedra definientes) de quo quis dicere possit, hic homo circa res incertas & solùm probabiles ad mores & fidem spectantes multa scripsit, & in nullo erravit. Omnes enim in multis, si plurima scripserunt, à veritate deflexerunt, licèt in particulari nesciamus, in quibus decepti fuerint. Nec ullus illorum aliter de se, & suis scriptis sensit. Ergò si error in talibus sit peccatum, omnes isti peccarunt, & quidem in re propter quam omnes existimant, eos multum apud Deum meruisse, & de Ecclesia optimè meritos fuisse. Immò, quod plus est, per hæc sua scripta aliis, eos & in speculatione & in praxi sequentibus, scandalum præbuerunt, atque in peccati laqueum induxerunt. Unde ut benè arguit Conrardus *de Contractibus quæst. ult.* ulteriùs sequitur, eos etiam in peccato sordvisse in eoque mortuos esse & damnatos, quia falsam illam ac noxiam suam doctrinam numquam retractarunt. At sequela est falsissima & absurdissima. Ergò non peccarunt, saltem qui diligentiam adhibuerunt, & post diligens examen in rebus incertis nil nisi probabile bona fide protulerunt. Ergò errores ejusmodi non sunt peccata, nec ulla lege obligante prohibentur.

Si error probabilis esset peccatum, omnes peccarent, quia moraliter certus esset, se multoties, etiam quando minùs cogitaret, & maximam diligentiam adhiberet, graviter offensurum, eò quòd omnis error foret peccatum.

10. Confirmatur. Si assertio non esset vera, nemo nisi stultè moralia scriberet, aut civilibus rebus ad justitiam spectantibus se immisceret, quia moraliter certus esset, se multoties, etiam quando minùs cogitaret, & maximam diligentiam adhiberet, graviter offensurum, eò quòd omnis error foret peccatum. Sciret autem se in pluribus ex morali necessitate lapsurum. Ergò sciens & volens se in peccandi necessitatem conjiceret. Ergò munus ejusmodi à nemine nisi stultè admitteretur, cùm à nemine citra plura peccata administrari posset. Idem valet de Causidico, de Judice, de Medico, Chirurgo aliisque officiis & artibus, sine quibus respublica administrari non potest; quicumque enim talia officia administraret, ex necessitate frequenter peccaret, non obstante magna diligentia adhibita. Ergò nemo, nisi temerè & stultè talibus officiis administrandis se immisceret, ideoque probi omnes ab illis abstinerent. Quid autem magis luctuosum, ac nocivum reipublicæ accidere potest, quàm si talia munera negligantur, aut non nisi ab improbis administrentur?

Error probabilis non meretur prohiberi.

11. Ex his demum probatur 5. Ignorantia & error, de quibus assertio loquitur, non sunt malum, quod prohiberi mereatur. Ergò non sunt prohibita. Probatur antecedens. Si mererentur prohiberi & ideo prohiberentur, ideo esset quia sunt magna mala in se, & aliorum malorum causæ, ad quæ vitanda lex valde utilis esset, vel necessaria; quia stante lege vitarentur, & lege remota remanerent. At hoc est patenter falsum; sive enim dicamus legem illam dari, sive non dari, non ideo Doctores majorem diligentiam adhiberent, quia vix possunt majorem adhibere. Præterea, ea lege non obstante, adhuc diligentissimi sibi contradicerent, ut de facto videmus contigisse in viris Sanctissimis, qui certè in suis resolutionibus diligentissimi fuerunt. Ergò lex illa, si daretur, mala prætensa non minueret, ideoque ad aliud non serviret, quàm ad multiplicanda peccata, quæ illâ non positâ absque dubio patrata non fuissent. Ergò talis lex esset stulta, & sine legis careret.

Nec solùm sine legis careret lex illa, sed necessariò induceret augmentum mali, ad quod vitandum imponeretur. Eo ipso enim quòd lex talis daretur, nemo sapiens periculo quidquam determinandi, aut de talibus scribendi se exponeret; sed quisque conscientiæ timoratæ in omnibus tutiora sequeretur, & aliis non timoratis talia pericula permitteret. Hinc autem rerum & præceptorum ignorantia necessariò cresceret, erroresque innumerabiles ex morali necessitate inducerentur, quæ omnia vitata fuissent, si singulis permissum fuisset in rebus incertis post diligens examen ex motivo probabili sententiam proferre. Ergò lex talia prohibens secum pugnaret, & mala necessariò inferret, ad quæ impedienda tamquam necessaria proponitur; immò mala illa in immensum augeret, atque res alioquin certò sciendas ignorari faceret. Ergò sibi ipsi repugnaret, atque seipsam everteret. Ergò ignorantia & error, de quibus loquimur, non sunt malum, quod prohiberi mereatur; immò, stante hac hominis conditione, postulant non prohiberi. Ergò non sunt prohibita, sed sunt, & debuerunt esse permissa.

SOL.

SOLVUNTUR OBJECTONES.

Celladeus culpat Theologiã recentem.

12. OBJICIT primò. Recens Theologia de subjectis & causis peccatorum ordine non differit, sed uni libertati intenta, quidnè quid extra voluntatem est, vix peccatum esse intelligit. Inde homicidia, furta, aliaque scelera solùm denominativè mala esse & peccata, id est non verè ac propriè talia, edocet; inde laborat, cur ea confiteri teneamur, & dicit mirabilia. Et quòd summum est, hominem ipsum solùm denominativè, hoc est impropriè non propriè & verè peccatorem esse, & homicidam, & furem arbitratur. Tanta prætermissis principiis subnascuntur. Unde quæstiones istæ de ignorantia & errore, vix apud eos locum habent, quia ignorantia & error, cùm non sint actus, neque omissiones voluntatis, peccata esse nequeunt; & ista tam explorata habent, ut ne dubitent quidem. Ita Cellad. *quæst. 3. §. 3.* sed quò hæc tendant, ut intentum probent, vix apparet; suspicor eum significare velle, hanc Theologiam ex eo ortam esse, quòd ignorantiam & errorem peccata esse neget, ideoque falsam reputari debere, quia constat, ignorantiam & errorem esse prohibita & peccata. Certè *in tota quæst.* aliud, quod objici mereatur, non inveni.

Theologia, quàm carpere videtur, exponitur, & rationabilis ostenditur.

Respondeo, Celladeum ubique accusationes in alios eorumque doctrinam aggerere, cùm tamen illa rectè intellecta nulli exceptioni pateat. Illi ergò, quos arguit, optimè intelligunt, quid sit, quid non sit peccatum. Non negant, furtum esse propriè peccatum, sed solùm dicunt, actionem illam externam non esse essentialiter & intrinsecè peccaminosam, sed illum denominationem ab alio accipere, nempe à libera sed prava voluntatis determinatione, quàm rectè dicunt esse intrinsecè & essentialiter malam & peccaminosam. Aliud est rem esse propriè, aliud esse essentialiter talem. Aqua calefacta est propriè calida, nec tamen naturaliter, & multò minùs essentialiter, est talis. Ad hoc moventur, quia apud omnes constat, unam eandemque esse malitiam actûs interni & externi. Unde existimant, denominationem tribui ab ea parte, quæ est essentialiter talis Nec obstat aliquos aliter opinari de peccatis externis, & docere, quòd, sæpe saltem, malitia ab actu externo in internum refundatur. Quia hæc diversitas opinionum facilè conciliari potest, ut quoad substantiam non discrepent. Ita ergò illi de peccatis externis loquuntur, ad quæ duo requiruntur; primum est operatio externa, quæ prohibetur; alterum est, libera voluntatis determinatio ad opus ponendum, non obstante prohibitione legis. Hæc voluntatis determinatio habet secum indentificatam totam malitiam moralem, quæ in tali opere reperitur, ideoque actus ille ex sua essentia est malus, determinatumque malitiæ gradum obtinet. Hujus actûs malitia non tollitur aut minuitur per hoc, quòd operatio externa consequatur aut impediatur, quia tantum peccat, qui vult ponere actionem externam, quam Deus miraculosè impediret, quantum peccasset si Deus cursum causarum non impedivisset. Jam actio externa verè est peccatum, quia talem denominationem accipit ab actu interno, à quo procedit, & cum quo componit conflatum morale, quod verè est, & propriè dicitur peccatum. Porro quòd malitia & ratio peccati non sit intrinseca actioni externæ, ex eo patet, quòd, eadem actio liberè poni possit ex errore invincibili. In tali autem casu certum est, quòd operatio externa non sit peccatum, nec imputari possit ad culpam, aut pœnam. Similiter de homine loquuntur; dicunt enim eum esse propriissimè peccatorem, sed aiunt, denominationem hanc esse ipsi accidentalem, & à peccato desumi, sive peccatum sit purè internum, sive externum. Verùm in his denominationibus prima & radicalis forma denominationum in solâ prava voluntatis determinatione consistit.

Hæc est Theologia non recens, sed antiqua, & probabilissima, nec quisquam in ea quoad substantiam nævum inveniet. Quòd si aliqui agentes de peccato non tam exactè agant de causis & subjectis peccatorum, non ideo laudandi sunt, nec statim culpandi; quia fortasse habuerunt optimas rationes, cur ita facerent. Quod ad confessionem peccatorum attinet, illa clarè sunt aperienda; quòd si aliqui aliter sentiant, & probabiles rationes pro se afferant, fortasse errant, nec tamen error ille est peccatum, aut meretur prohiberi, ut ostensum est. Cæterùm ex hac Theologia non sequitur, ignorantiam & errorem non esse peccatum, sed contrarium infertur, quia si ignorantia prohibita sit volita, & affectata, item si error prohibitus sit voluntarius ut sæpe sunt, tam ignorantia, quàm error ejusmodi est propriè peccatum.

Celladeus plures doctrinas sugillat.

13. Objicit secundò. Quamvis nemo sub istis terminis audeat dicere ignorantiam & errorem nec peccatum esse, nec causam peccati, eò quòd hæc de ignorantiis doctrina sit certa, & à multis sapientibus tradatur esse de fide; doctrina tamen ista per usum & per alias opiniones inconsequentes videtur prorsùs abrogata. Multi enim infideles & hæreticos de facili à peccato excusant, & salvant etiam aliqui, si leges suas custodierint. Rursus nil referre arbitrantur, si rustici à Parochis audiant, unam tantùm, aut duas, vel quatuor personas esse in Deo. Quòd si à pœnis contra hæreticos constitutis probemus, hæreticos peccare, dicunt pœnas has respectu multorum, maximè indoctorum, non habere locum in foro interno, & sic eos absolvunt à peccatis aliis, non ab excommunicatione.

Quòd si quis se polluat, aut aliud scelus perpetret, & ignoret ea esse peccata, eum non peccasse quasi indubitatum habent. Quod si nullus eum umquam pupugit scrupulus, ignorantiam ipsam invincibilem fuisse concludunt. Similiter aiunt non peccari credendo Parocho, quamvis ille in maximè essentialibus fidei decipiat. *Idem ergò à fortiori erit*, infert Celladeus, *si in moribus decipiat, & persuadeat puellæ, nihil esse, si ob necessitatem gravissimam, vel ob tentationem urgentissimam, cui vix par est resistere, aliquando, & saltem si raro labatur.*

Confessarii quærere consueverunt, an pœnitens existimarit esse peccatum, quod fecit? An mortale, an veniale? Si respondeat, se non existimasse esse peccatum, aut solùm veniale, per hoc judicium causa terminatur, & pœnitens aut innoxius, aut venialis tantùm peccati reus pronunciatur. Hinc opiniones multæ docent, pœnitentes in suis ignorantiis relinquendos. Si die Veneris carnes comedas immemor diei, felix etiam censeris.

Peccatur in eo quod nõ scitur esse peccatum juxta Celladeum.

Horum origo est opinio, jam latè propagata, quæ docet, neminem peccare, nisi actu advertat se peccare, Ergò qui non advertit peccatum esse, non peccat. At hoc est dicere, ignorantiam, oblivionem, & inconsiderationem nec peccatum esse,

esse, nec causam peccati. Similiter aiunt, errantem non solùm non peccare, sed etiam benè facere, si putet bonum esse quod facit, & omnis peccati advertentia absit. Hæc Celladeus; qui mox arguit quendam, qui hujus sui operis Censor fuit, quòd ex hoc principio fidenter pronunciaverit, Celladeum non peccasse, quamvis minùs reverentem se contra illum scribendo ostenderat, eò quòd in hoc existimaverit, se Deo obsequium præstare. Et tamen S. Thomas pluries utitur hoc textu ad contrarium probandum.

Plurimi Catholici damnantur ob peccata ignorantiæ.

Quid plura? videtur, quod plurimi ex Catholicis, qui damnantur, (damnantur autem plurimi, & communis SS. & præstantissimorum Theologorum sententia fert, plures ex adultis damnari, quàm salvari) non aliam ob causam damnentur, quàm ob ignorantiam affectatum vel crassam. At plerique susceptis Sacramentis obeunt, & licèt aliqui postea peccent, hoc frequens esse nullo fundamento persuadetur. Avarus confitetur: si furtum commisit fatetur: de avaritia parùm curat, & obit. Sed avari regnum Dei non possidebunt. Obit similiter superbus, usurarius, simoniacus; sunt autem tales ob ignorantiam, sæpe voluntariam. Similiter amicus mundi, & inimicus crucis Christi moritur. Quò isti eant, Scriptura loquitur. At plurimi sunt, saltem provectioris ætatis, qui in iis, quæ in confessio sunt peccata mortalia, delinquere non solent, qui interea totam pauperum substantiam corrodunt, non furto sub hoc nomine, sed officio. Unde ergò tot pereunt? Omnium sensus est, nos in alio mundo, non ut hîc, sed strictiùs ac tremendè judicandos. Sunt ergò multa, ob quæ homines damnantur, quæ mala esse nesciebantur. Ita Celladeus *quæst. 4. §. 1.*

Objectio nō facit ad rē.

14. Respondeo, multas hîc sententias promiscuè, dimidiatè, & consequenter nimis invidiosè proponi, quas in particulari explicare non est hujus loci, aut controversiæ. Cæterùm si aliqui in aliquibus istarum opinionum excesserint, culpandi sunt. Nos loquimur tantùm de opinionibus certò probabilibus. Quæ tales non sunt, ad controversiæ hujus materiam non pertinent. Jam sistendo in illis, quod objicitur nil facit ad rem; jam enim non quæritur, an verum dixerint vel falsum, sed supposito, quòd in rebus incertis certò probabiliter concluserint, quæritur, an si erraverint, eo ipso peccarint. Egò efficaciter probavi, quòd non. Celladeus oppositum probandum assumpserat, loquitur enim de peccato erroris & ignorantiæ, prout sunt mala in se, & prohibita; verùm ad id probandum, nec verbum affert; sed relicto intento, ad falsitatem talium opinionum deflectit. Dicit, aut certè supponit, illas esse falsas, & credibile est, aliquas ex multis non esse veras. Interim loquendo de singulis, alii Auctores, ipsi in doctrina ac diligentia non inferiores, non minùs confidenter dicunt oppositum. Cui credendum? Quis errat? Solus Deus novit. Interim qui alterum peccati accusat, eo ipso seipsum accusat, & si erret, condemnat; sed alterum, aliis principiis regulatum, reum non facit; quia verissimum est, eum non peccare, quamvis præter opinionem deceptus in sua sententia erret. Et hæc quidem ad objectionis nullitatem abundè ostendendam sufficiunt; nihilominùs ad majorem lectoris satisfactionem nonnulla ex dictis in particulari examinare congruum judicavi.

15. Respondeo ergò 2. & peto à Celladeo, an nullum in materia fidei errorem à peccato immunem putet? Et ut restringam me ad materiam fidei jam certò determinatam, peto, an existimet, nullum inter omnes hæreticos (etiam quos materiales vocamus) in ullo articulo sine peccato errare? Si dicat, omnes omnino peccare, solus est, & sicut contra omnes opinatur, sic facilè erroris convincitur. Sed non puto illum hoc asserere. Ergò tenet aliquos aliquando non peccare. Cogitet hæc, & determinet, si possit, qui sint, &c. & videbit, se in illam sententiam labi, quàm hîc ut absurdissimam rejicit. Quare scindum est, aliquas esse veritates jam adeo notorias in Ecclesia, quæ à Catholicis cum ipso lacte discuntur, ut fieri vix possit, quin ab ipsis pueris evidenter sciantur esse doctrina Ecclesiæ. Tales sunt articuli in Symbolo contenti, de mysterio Trinitatis & Incarnationis, de cœlo & inferno, item de Ecclesia & Sacramentis. Jam ergò in hisce non est credendum Parocho, aut cuique contrarium docenti; nec potest vel puer sic instructus oppositio errori nisi vincibiliter & peccaminosè assensum præbere, quamvis aliter dicendum esset de parvulo, etiam baptizato, qui extra gremium Ecclesiæ educatus, inter oppositos errores educatus fuisset. Jam objectio de prioribus procedere debet, ut vim habeat; in illis autem procedit de subjecto non supponente, quia tales non excusantur, si errent. Nec tamen sequitur, errorem posterioribus non nocere; quamvis enim error ille peccato non imputetur, nocet tamen, quia tollit exercitium fidei, quæ valde meritoria est.

Quod ad materiam censurarum contra hæreticos attinet, ipse Celladeus proprio argumento urgetur in iis, quicumque tandem illi sint, qui sine peccato hæreticorum errori assentiuntur. Itaque in hac materia Auctores graves nil nisi exactè verum tradunt. Nempe excommunicationem non incurri nisi per peccatum. Errorem autem in materia fidei non esse peccatum, quando est invincibilis; an autem invincibilis fuerit nec ne, ex variis determinandum est.

Ignorantia multoties in fide non est peccatum.

16. Sed ut Celladeus proprio argumento efficaciùs urgeatur, sic arguo. Non solùm error, sed etiam ignorantia in materia fidei est peccatum. Peto jam, an non sint plurima fidei dogmata, quæ absque peccato à Catholicis, non solùm pueris, sed etiam adultis, maximè à fœminis & rudibus, sine peccato ignorantur? Certè ex tota multitudine Catholicorum, pauciissimi sunt, qui omnia fidei dogmata ab Ecclesia absolutè declarata norunt. Reliqui omnes in multorum dogmatum ignorantia & vivunt & moriuntur. An ideo hoc nomine omnes pereunt? Non hoc dixerit Celladeus. Unde infero. Ergò ignorantia valde universalis innumerabilium dogmatum non est probibita rudibus; nec malum talis ignorantiæ postulat eam prohiberi. Ergò neque error de illis, saltem de magis illorū reconditis, est peccatū respectu rudium, qui talium rerū vix sunt capaces, easque, maximè quando inter hæreticos ab omni Catholicorum consortio remoti educantur, à viris quoad illos graviissimis ut veriissimas, ac à Deo revelatas constanter proponi audiunt. Ponat Celladeus duos taliter educatos, quorum alter solùm ignoret omnia illa mysteria, alter etiam erret circa illa; & non ostendet ex suis principiis, cur iste potiùs peccet, quàm ille. At ille haud dubiè non peccat, cùm eadem apud Catholicos ipsos impunè ignorentur. Ergò nec primus. Ecce principia Celladei contraria probant ejus, quod docet. Consideret hæc, & videbit

errorem

errorem merè materialem in fide esse valde frequentem apud eos, qui in media hæresi educantur; atque idipsum ex ipsius principiis ritè deduci.

Prohibita jure naturæ rarò ignorantur invincibiliter.

17. De excusatione eorum, qui pollutionem & alia jure naturæ prohibita licita esse existimant, longè moderatiùs Auctores loquuntur; rarò enim admittunt tales ignorantias esse invincibiles. Cæterùm si aliquando sit invincibilis, rectè dicunt, opus illud, à taliter ignorante patratum, ad culpam imputari non posse. Et sanè si nullus umquam scrupulus animum alicujus pupugit de malitia pollutionis, maximè si sit persona Deum timens, seque à peccatis scitis diligenter custodiat, non est, cur Celladeus ægrè ferat, talem ignorantiam dici invincibilem; quia quamvis fortè potuit, non tamen debuit vinci; cùm persona illa obligata numquam fuerit ad illam ignorantiam removendam, eò quòd plenissimam haberet ignorantiam de omni lege ad talem ignorantiam depellendam obligante. Si enim vel suspicionem de tali lege habuisset, statim naturæ lumen aut absolutè dictasset illud esse malum, aut certè illud non esse faciendum, donec sufficientem informationem de rei veritate habuerit.

Quod ad me attinet, existimo talem ignorantiam esse rarissimam, quia vix invenies, quos talium vehementer non pudeat; adeo ut summopere verecundentur apud homines graves & probos detegere, quod talia fecerint. Hoc autem indicio est, eos mali latentis conscios fuisse, alioquin non est cur talium eos magis puderet, quàm eorum, quæ certò norunt peccata non esse.

Illatio Celladei ostenditur esse nulla.

18. De decepto à Parocho in materia fidei, an & quomodò sit reprehensibilis, satis dictum est in initio responsionis hujus. Sed illatio illa propria Celladei, quòd à fortiori excusaretur puella credens Paracho dicenti, quòd propter gravem tentationem licitum sit fornicari, est prorsùs nulla; quia quæ sunt obvia in materia juris naturalis, à fidelibus invincibiliter ignorari non possunt. At quæ sunt de jure solùm positivo, qualia sunt articuli revelati, maximè qui magis à communi rudium cognitione remoti sunt, sæpe ignorantur invincibiliter. Saltem longè faciliùs est hæc ignorari quàm illa; quia illa ex ipsa natura, hæc non nisi ab aliorum instructione in mentem venire possunt. Ergò quod probat, hæc invincibiliter ignorari, non solùm non probat à fortiori, sed nullo modo probat, illa posse invincibiliter ignorari.

Confessarii est petere à pœnitente, an putaverit se peccare?

19. Mirandum sanè, quid Celladeo venerit in mentem, quando culpat Confessarios, qui quærunt à pœnitentibus, an & quale peccatum existimaverint se patrasse? Quid enim? Nónne quæstio hæc in omnium etiam in Celladei sententia valde pertinens est? Profectò omnes fatentur errorem, etiam vincibilem, excusare à tanto, quamvis non excuset à toto. At spectat ad Confessarium de tantitate peccati judicium formare. Ergò talis quæstio est valde pertinens, cùm sine illa judicium rectè formare nequeat. Præterea aliquando accusant se de eo, quod non est malum ex parte objecti. Annè tunc etiam talis interrogatio est impertinens? Immò verò nulla alia opportunior aut magis congrua moveri potest. Porrò non est verum, quod dicit Celladeus, totam causam juxta illud pœnitentis dictamen decidi; sæpe enim, illo dictamine non obstante, judicamus pœnitentem esse reum, maximè quando satis intelligimus errorem fuisse vincibilem, aliquando de hoc dubitamus. Cæterùm quando homo absolutè & sine formidine quamvis vincibiliter judicat rem esse bonam, solùm dicunt, electionem talis objecti non continere malitiam peculiarem, sed solùm communem cum culpa, à qua ignorantia culpabilis processit; quod verum est, nec Celladeus probare potest oppositum. Atque hinc aliquæ opiniones permittentes pœnitentem manere in sua ignorātia, & veræ sunt, & valdè rationabiles, ut in superioribus ostensum est. Quòd si invincibiliter & innoxiè comedens carnes in die vetito felix ab aliquibus existimetur, id est ab imperitis carnisque commodo addictis; nam sapientes ejus miserentur, cùm melioris virtutis actum omiserit, & minùs benè operatus sit, quàm si juxta legis præscriptum abstinuisset.

Celladeus non rectè proponit opinionem, quâ impugnat.

20. Sed quid? Annè tantorum malorum origo illi tribuenda est opinioni, quæ docet, neminem peccare, nisi, aliquo modo advertat se peccatum admittere? Inprimis mala ista & absurda prætensa nulla sunt, sed omnia, ut oportet, rectè se habent. Deinde opinio illa non rectè proponitur; illa enim solùm docet, nullum actum esse peccatum imputabile ratione sui, qui non sit cum aliqua advertentia mali, quod est verum. Verùm, hoc non obstante, si dictamen conscientiæ permittentis sit vincibile, utique qui sequitur tale dictamen, non facit opus bonum, sed peccat, & opus, quod facit, illi imputatur ut peccaminosum. Cæterùm hoc ita asseritur ab illa opinione, ut tamen dicat, hanc imputabilitatem non fundari in ipso opere secundùm se, prout hîc & nunc egreditur à libertate, quia hac ratione præcisè nullam malitiam moralem continet. Ratio est, quia malum quod non est voluntarium non est imputabile. At malum hoc hîc & nunc est penitus ignotum, cùm operans illud nec directè cognoscat, nec indirectè advertat ad obligationem quærendi veritatem, &c. Ergò malum illud, prout connectitur cum actibus à quibus hîc & nunc oritur, non est voluntarium, & consequenter non est peccatum ratione sui. Malè tamen operatur homo ille, & opus illi imputatur ob vincibilitatem ignorantiæ, seu ob peccatum, per quod ignorantiam & errorem incurrit. Opus ergò illud est imputabile non ad peculiarem culpam & pœnam, sed solùm ad illam eandem, quæ debetur culpæ, à qua error iste suam originem sumit. Hæc est summa hujus sententiæ, quam Celladeus non impugnat, & si eam impugnare velit, deficientem se sentiet, cùm perspicuum sit malum illius operis non esse voluntarium præcisè ratione istorum actuum, qui hîc & nunc eliciuntur; si enim illi soli eliciti fuissent, & sine ulla culpa in animum inducti, malum illud non magis voluntarium fuisset, quàm est in eo, qui illud invincibiliter ignorat.

Illegitima Celladei illatio.

21. Hoc posito, absona prorsùs est illatio illa, quòd hoc sit dicere, ignorantiam & errorem non esse peccatum, nec causam peccati. Quid vis, Celladee? Est ne hoc idem ac dicere, nullam omnino vel solam aliquam ignorantiam & errorem nec esse peccatum, nec causam peccati? Si primum, evidenter erras, quia hinc non sequitur, ignorantiam affectatam & cognitam non esse voluntariam & peccaminosam. Præterea tu ipse fateris, aliquam ignorantiam esse invincibilem, eamque nec esse peccatum, nec causam peccati. Ergò ex hoc non sequitur, nullam, sed solùm aliquam ignorantiam & errorem esse peccatum vel causam peccati. At hoc nil absurdi continet, cùm

cùm & per se, & per omnes id sit verissimùm. Cur ergò talia objicis? cur illationem tam apertè nullam facis?

Celladeus censorē suū immeritò impugnat.

22. Sed & redargutio illius librorum censoris, qui tuam irreverentiam erga ipsum ex hoc confidenter à peccato excusabat, quòd in eo putares, te Deo obsequium præstare, erat actus charitatis, qui laudandus non reprehendendus erat. Sciebat ille bonam fidem, & Zelum boni publici sæpe multa à peccato excusare, maximè quando Zelus ille inculpabilis est, & bona fides invincibilis. Talem ille tuum Zelum, & talem tuam fidem judicavit, quia talia de proximo præsumere, & omnia dubia in favorem ejus interpretari charitatis est; similemque interpretationem de aliis vicissim fieri postulat. Quid hîc reprehensione dignum invenisti, Celladee? Laudare illum propterea debueras, ac de illo honorificentiùs loqui; immo & priora dicta, si in aliquo excesseras, in favorem tam favorabilis judicis mitigare.

Falsum S. Thomæ affingit.

23. At, inquies, in suo principio erravit, malamque illationem intulit, propterea quæ erroris hujus redarguendus erat, ut suum errorem agnosceret. Verùm in quo principio erravit? an in eo, quòd per bonam fidem, & Zelum honoris Dei te excusatum fuisse asseruerit? Ita videris dicere, quia aliud per umbram non objectas; rectéque te hoc objicere ex eo probas, quòd S. Thomas hoc ipso principio sæpiùs usus sit ad oppositum inferendum. Sed hac in re apertè falleris. Numquam S. Thomas adeo desipuit, ut ex eo probaret opus esse malum, quia fit ex bona fide; cùm enim fides bona ad omne opus bonum requiratur, atque in illud influat, non magis ex hoc inferri potest, opus non esse bonum, quàm inferri possit lignum non comburi, quia est calidum. Id quod S. Thomas docuit, & quod omnes cum illo dicimus, est, hanc bonam fidem non semper influere bonitatem in actum, quia bonitas actûs aliunde impeditur; nempe à culpa, ratione cujus fides illa est culpabilis & vincibilis, ut erat in persequentibus Christum & Apostolos. Hoc non aliud docet S. Thomas. At hoc non est oppositum inferre ex illo principio, ut patet. Jam Censor ille, ex charitate, atque ex opinione magna de tua probitate, præsumpsit Zelum tuum fuisse inculpabilem, & fidem bonam invincibilem, in quo laudandus est, debesque ideo illi gratus existere. Hoc autem posito, S. Thomas, non minùs quàm ille, si in eisdem circumstantiis extitisset, ex eo te excusasset, quòd bona fide te obsequium Deo præstare putares.

Major Catholicorum damnatorū pars non perit ob peccata ignoratiæ.

24. Quod additur de numero prædestinatorum, est valdè incertum, & quamvis admittatur, nil facit ad rem. Nemo enim negat peccata ignorantiæ esse etiam frequentia. Unde si homo de illis non doleat cum emendationis proposito, ab illis absolvi nequit. Esto ergò multi ex hoc capite damnentur; sed quòd major Catholicorum damnatorum pars ex eo pereat, videtur incredibile; quia, ut tu fateris, maxima pars sine Sacramentis non decedit. Plerique illorum non mediocrem diligentiam in conscientia exponenda & examinanda ponunt, maximè cùm à Confessariis juventur. Hi autem in genere de occultis etiam & ignoratis peccatis se accusant, atque ex universali motivo omnia detestantur. Unde dicere, majorem illorum partem damnari propter defectum confessionis, aut propter peccata ignorantiæ, gratis & sine fundamento, immo contra rationem asseritur. Ergò aliunde multitudo pereuntium sumenda est. Multi in peccatis vivunt & moriuntur. Quot in mari, quot in bello, quot ex improviso sine ullo spirituali adjutorio vitâ excedunt? Quot in continuis quodammodo peccatis & relapsibus vitam transigunt? Frequentissimè verum est, eorum dolorem non esse sufficientem. Qui in morte solùm pœnitentiam agunt, eorum pœnitentia ex mente omnium cum Augustt. *in cap. si quis dist. 7. de pœnit.* est valdè dubia, cùm peccata illos deserant, non illi peccata. Multi etiam habituati in malo post absolutionem legitimam iterum peccant, & pereunt. Ex his causis ingens multitudo perit, nec opus est ad causas illas occultas ac dubias à Celladeo propositas confugere; quia sine illis reliquæ causæ plus quàm abundè sufficiunt, ad magnam illam pereuntium multitudinem inferendam.

SOLVUNTUR OBJECTIONES reliquæ.

25. OBJICIT tertiò. Error erat Pelagianorum, ignorantiam semper excusare à peccato, nec sine conscientia peccati peccari posse. Errorem hunc latè obruit S. Hieronymus innumeris textibus S. Scripturæ, qui videri possunt in Dialogis ipsius cōtra Pelagianos. Hieronymo Celladeus adjungit SS. Bernardum, Thomam, Chrysostomum, Augustinum & alios, qui omnes ex Sacræ Scripturæ textibus probant, ignoranter & nescienter peccari, & peccata ignorantiæ imputari peccantibus. Hoc omne fusè prosequitur tota *quæst. 4.* quibus addit primò *cap. ex tuarum de sortilegiis*, in quo, Gregorius IX. inquit, hæc habet. *Ex tuarum tenore literarum accepimus, quod V. Presbiter cum quodam infami ad privatum locum accesserit, non ea intentione, ut vocaret dæmonium, sed ut inspectione astrolabii furtum cujusdam Ecclesiæ posset recuperari. Verùm licèt hoc ex bono Zelo, & simplicitate se fecisse proponat, id tamen gravissimum fuit, & non modicam inde maculam peccati contraxit, &c. Mandamus, quatenus talem ei pro expiatione illius delicti pœnitentiam imponas, quòd per annum & amplius, si tibi visum fuerit, eum ab altaris Ministerio præcipias abstinere.* Mox de suo hæc subjungit. *Hæ sunt tuæ ignorantiæ invincibiles: pœnitens ait, bono Zelo feci, nihil adverti; tu innoxium, & culpæ immunem pronuncias: contra verò Romanus Pontifex; contra Sancti Patres & Scripturæ: quid ergò resistitur.*

Erroribus ita dicitur semper esse culpabilis.

Addit secundò S. Theresiam *lib. 7. Mansionum cap. 4.* supponere, magnas animas, quæ in eam mansionem pervenêre, advertenter & scienter nullum grave peccatum admittere, ignoranter tamen & inadvertenter incurrere posse.

Addit tertiò, in oratione habita in Concilio Basil. contra necessitatem communionis sub utraque specie hæc haberi. *Nullus excusatur per ignorantiam alicujus, quod scire de necessitate tenetur, &c. ignorans ignorabitur. Et sequeretur, quòd eadem de causa pagani & infideles essent salvandi. Patet quia ignorant, baptismum esse de necessitate salutis, &c. Item omnes persequentes & occidentes Christianos propter nomen Christi, putantes se obsequium præstare Deo, essent immunes à peccato; quia propter ignorantiam putant se benè agere, de quorum numero fuit Paulus, &c.* quibus aliqua alia similia subdentur. Ita Celladeus *quæst. 4 §. 2. 3. & 4.* ex quibus videtur rectè inferri, quod §. 2. dixerat, inconcruè ipsi ab aliquibus objici tamquam absurdum, quòd

quòd ex ipsius sententia sequatur, Sanctorum aliquem incurrisse peccatum ignorantiæ. Hoc enim absurdum non est, cùm nemo Sanctorum non dicat. *Delicta quis intelligit ? Ab occultis meis munda me*, & similia. Præterea multi putant, vel ex S. Aug. timent, S. Cyprianum ex ignorantia peccasse, in illa nimia sua reprehensione S. Stephani Papæ.

Multis viis ex ignorantia peccatur.

26. Respondeo omnia, quæ Patres ex Sacris litteris contra Pelagianos objiciunt, esse verissima, sed ad præsentem quæstionem nil facere. Hoc ut clariùs appareat, nolo sub una notione confusè proponere, quæ de ignorantiæ peccatis dicenda sunt ; sed ea, ut oportet, in varias classes reducere conabor. Inprimis qui operantur in dubio peccant ex ignorantia, maximè si ita dispositi sint, ut si veritatem sciviſſent, aliter operati fuissent. Sic dubius an in feram vel hominem sagittam emittat, ignoranter homicidium committere potest, quia si sciviſſet, se hominem occisurum, sagittam non fuisset ejaculatus. Et

Primus modus peccandi ex ignorantia.

hic casus esse potest multiplex : primò si dubius sit de homicidio ; secundò si judicet feram in vepribus latêre, non hominem, ideoque arbitretur, se opus bonum facere, & animal reipublicæ valdè noxium, non hominem interimere ; modò ad eam certitudinem non pertingat, quæ requiritur, ut sagittam licitè emittat. In his enim casibus haud dubiè peccat, quamvis ignoranter hominem occidat. Verùm talis homo dubius [illegible] est de inhonestate suæ operationis, sed eam [illegible]nè discernit. Tertiò si non sciat se malè operari in tali casu, sed de eo dubitet. Ecce quot viis homicidium ignoranter committi potest, quamvis operans non habeat ignorantiam, sed scientiam vel opinionem aut dubium de inhonestate suæ actionis, & in omnium sententia indubitanter peccet.

Secundus modus peccandi ex ignorantia.

27. Secundò multa dicuntur fieri ex ignorantia quoties clara & specialis rei malitia ignoratur, aut creditur abesse, quamvis adsit generalis notio mali latentis in opere. Sic illi, qui per pravam doctrinam & consuetudinem eò cæcitatis venerunt (si tamen eò venerint) ut existimaverint, homicidium aut adulterium non esse malum & peccatum, ideoque ignoraverint & errârint circa specificam talis actionis turpitudinem, non tamen ignorabant actionem illam simpliciter esse malam, cùm non possent non advertere, illam esse contrariam synderisi dicenti, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, quod principium adeo evidens est & generale, ut à nullius mente obliterari possit.

Tertius modus peccandi ex ignorantia.

28. Tertiò apud Ethnicos, immò apud sapientiores eorum, etiam apud Philosophos nonnullos, quædam in se turpissima dicuntur permissa fuisse ; ut vagus concubitus : aut, quod plus est, habebantur homine liberali digna, ut puerorum amores, qui liberis tantùm non servis permittebantur per eorum leges. De his enim aliisque ejusmodi existimo, eos solùm locutos fuisse de bonitate, quæ civile reipublicæ bonum respiceret, si talia opera permitterentur ; ideoque errores illos tam tetros, non de alio licito & illicito, quàm de permisso & non permisso per leges reipublicæ congruentes & proficuas, intelligendos esse ; quia de hoc solo genere honesti, externi & plausibilis, & ab eorum legislatoribus præscripti, rationem habebant homines illi Jam errores isti non auferunt à mente omnem notitiam, etiam confusam, de turpitudine talium operationum in ordine ad naturam rationalem, quà talis est, ideoque illis non obstantibus satis advertebant, tales actiones impedire bonitatem, qua homo redditur bonus in se, & in ordine ad futuram vitam, quamvis in ordine ad rempublicam legibus determinatis stabilitam tales operationes essent permissæ, & haberentur bonæ ac laudabiles. Ratio cur ita existimem est, quia Philosophi qui de honesto & inhonesto secundùm se, & in ordine ad naturam rationalem, quà rationalis, est tractarunt, in nullos ejusmodi errores inciderunt, sed omnia talia, ut intoleranda rejecerunt. Jam qui ex istiusmodi errore operati sunt, redargui quidem non poterant à civili illo magistratu, sed tamen intus in corde rei erant coram Deo, quia ad turpitudinem magis latentem satis advertebant.

Quartus modus peccandi ex ignorantia.

29. Quartò, ignorantia & error potest esse omninò absolutus, per quem omnis prorsùs suspicio de malitia objecti removetur, immò illud absolutè creditur bonum, absque eò quòd malum actionis ponentis illud, ullatenus hîc & nunc cognoscatur. Talis ignorantia aliquando est invincibilis, quando scilicet aut non potuit, aut non debuit vitari ; & tunc nullus nec de præsenti, nec de præterito, nec proximè nec remotè apparuit timor turpitudinis in tali opere ; aut si apparuit, post debitam diligentiam adhibitam opus rationabiliter & irreprehensibiliter creditur honestum. Aliquando talis error est vincibilis, eò quòd potuerit ac debuerit evitari. Talis ignorantia incurritur, quando ab initio advertens ad periculum mali, illud levibus de causis & temerè ex passione aliqua contemnit, & sine debita veritatis indigatione, aut mali apparentis, tandem obliviscitur, aut absolutè credit illud esse bonum. Prior error citra cujusvis legis obligationem contrahitur, secundus non sine transgressione incurritur.

Quintus modus peccandi ex ignorantia.

30. Quintò, qui errore proximè explicato deceptus aliquid bona fide & ex bono zelo facit, dupliciter peccare potest ; primò ratione operis positi ; secundò ratione modi, quo opus ponitur. Peccat ratione operis, qui vincibiliter errat, quia cùm positio operis oriatur ab errore, quem culpabiliter contraxit, opus ipsum illi tribuitur ad culpam, & verè denominatur peccatum à negligentia, per quam error contractus fuit. Hoc modo non peccat, qui invincibiliter errat, quia non est unde opus aut error ipsi imputetur ad culpam. Peccat ratione modi, quando tam opus creditur bonum, quàm ipsius etiam positio existimatur congrua & necessaria ; homo tamen non movetur ad opus illud ponendum ex hoc præcisè motivo, sed vel ex invidia, aut ex aversione & odio, vel etiam ex nimio & indiscreto impetu. Uno verbo defectus isti possunt esse prorsùs iidem in casu erroris, ac quando non erratur circa rem & meritum rei. Ergò sicut ex istis aliisque ejusmodi capitibus homines aliquando peccant, etsi ponant, & sciant se bonum opus ponere, eò quòd indebitè, & modo non bene regulato illud ponant, ita pariter eadem ratione peccare possunt, qui ex errore operantur. Hic modus malè operandi ex æquo convenit illi, qui ex invincibili, & qui ex vincibili errore dirigitur. Sic tam errantes quàm non errantes aliquando peccant ob zelum nimium, aut passiones alias, quæ quandoque magis quandoque minùs se produnt ; & hac ratione multi peccant, qui Christianos & Catholicos persequuntur, sicut etiam Catholici peccare possunt, dum hæreticos insectantur. Hoc posito.

Quid Celladeus facere debuisset, ut suam sententiam ritè probaret?

31. Ut argumentum, ab auctoritate PP. & S. Scripturæ desumptum, valeret ad intentum præsens, debuisset Celladeus casum ponere de ignorantia & errore vincibili, & de operatione per illum directa, in quam nullus ex prædictis defectibus, nec alius ullus (nam egò omnes non numeravi) præter meram vincibilitatem cadit; adeo ut in hoc instanti operationis homo non solùm putet se bene operari, sed non advertat aut dubitet quòd teneatur abstinere donec informationem meliorem accipiat, &c. ita tamen ut propter præcedentem negligentiam culpabilem, cum advertentia contractam, præsens error sit vincibilis, & imputabilis propter culpam à qua processit. Hoc strictè declarato & stabilito, debebat, ut nos facimus, duo quærere. Primum, an operatio à tali errore regulata sit peccatum, & verè imputetur homini ad culpam & pœnam. Secundum, an sit imputabile ad peculiarem culpam & pœnam, distinctam à culpa & pœna, quæ erroris vincibilitati debetur. Nos primum admittimus, & dicimus, illud efficaciter probari ex multis textibus Sacræ Scripturæ. At quod secundum ex illis textibus inferatur, unde, quæso, vel per umbram probatur? Cogitet hæc Celladeus, & si velit suam sententiam ex Sacris Scripturis Sanctisque PP. probare, proponat illam exactè, prout discriminatur ab opinione contraria. & probet illam, si possit. Ostendere enim debebit primò, quòd textus Scripturæ, & argumentatio Patrum procedat juxta præcisum hunc sensum, & nihil involvat reprehensibile ex ullo alio capite. Deinde si constiterit, PP. in aliquo saltem casu ad hunc se sensum restrinxisse, ostendere debet, eos loquutos esse de peculiari malitia morali, & de pœna peculiari propria talis operationis secundùm se, distincta penitùs à malitia negligentiæ, per quam error contractus fuit. Sed cùm hoc factu impossibile invenerit, discat absurdum esse existimare, quòd communis Theologorum sententia tam notoriis fidei principiis, tamque communibus Scripturæ ac PP. dictis contrariatur.

Presbyter ille non ex mera ignorantia, sed ex malitia peccasse videtur.

32. Caput, quod ex Decretalibus citat, non à Gregorio IX. sed ab Alexandro III. dictatum fuit; Gregorius enim fuit solùm Collector Canonum, quos pro legibus fixis haberi voluit, inter quos nonnullos à se etiam conditos proposuit. Cæterùm vix existimo Celladeum credere, Presbyterum illum ex rigorosa omnis peccati ignorantia operatum fuisse; sic enim eum conscientia non momordisset, nec pro absolutione institisset. Profectò peccatum superstitionis nimis clarè se prodit in tali actu; quod proinde à viro non vulgari, sed à Presbytero ignorari non potuit. Nec obstat quod bono Zelo fecerit, quia mala non sunt facienda, ut eveniant bona. Nec refert, quòd proposuerit se id feciſse ex simplicitate, quia hoc solùm indicat, eum non tantum malum apprehendisse, quantum alii apprehendebant; nec probat, eum non habuisse advertentiam sufficientem ad peccatum malitiæ, & non solius ignorantiæ incurrendum. Non enim dubium mihi est quin peccatum malitiæ intervenerit, nec oppositum probabiliter ostendi potest, & hac de causa Pontifex eum tam severè damnat. Sed esto, omne peccatum malitiæ abfuerit in illo casu. Adhuc dicendum est, ignorantiam fuisse vincibilem, alioquin nullo modo peccasset. At negligentia, per quam talis ignorantia incurritur, est peccatum gravissimum ut patet; ideoque factum illud Presbyteri erat peccatum gravissimum, quamvis macula illius peccati præcesserat, antequam ad hunc actum contraheretur, illumque denominaret malum & peccaminosum.

33. Cæterùm absona prorsùs est illa Celladei illatio & redargutio. *Hæ sunt tuæ ignorantiæ invincibiles.* Peto enim ut vel unum afferat, qui dicat, aut Presbyterum hunc, aut eos, quos textus Sacræ Scripturæ & Sancti Patres peccati redarguunt, invincibili ignorantia laborasse. Quòd si in peculiari casu dicamus aliquem invincibiliter ignorare & excusari, casus ille longè alius est ab illis, in quibus Sacra Scriptura, Pontifices, & SS. Patres homines peccati damnant. Itaque dicere quod illis contradicamus, vel resistamus, est loqui de subjecto, ut aiunt, non supponente.

Quomodo ignorantia magnæ culpæ tribuatur in peccatum?

34. Quod tradit S. Theresia multis modis potest verificari; primò si nomine inadvertentiæ & ignorantiæ, intelligat claram & perspicuam notionem peccati latentis in opere. Talia enim homines, de quibus loquitur, non solent committere. Quo non obstante, aliquando, quamvis rarò, contingit eos in lapsum ruere, quando mali advertentia non est tam clara, sed sufficiens tamen ad malitiam refundendam. Secundò intelligi potest de peccato ex plena deliberatione & consideratione facto. Qui enim talia non faciunt, aliquando ex subreptione labuntur. Et hi quidem aliquo modo dicuntur ex ignorantia & inadvertentia labi. Tertiò demum, si velis eam in omni rigore loqui de peccato perfectæ ignorantiæ & inadvertentiæ, in eo etiam casu quod dicit aliquando, quamvis rarò, contingit. Fieri enim poterit, ut talis homo aliquo ex modis proximè dictis, aut etiam cum clariori cognitione negligat scire quod tenebatur; postea autem obliviscatur hujus peccati advertenter commissi, neque illud sufficiètèr retractet, perseveret tamen in aliis suis bonis habitibus peccatumque apparens vitet. Hic homo ex ignorantia peccare poterit, quia opus ignoranter commissum potest illi imputari tamquam peccatum ob culpabilem mali latentis ignorantiam.

Omnia in Concilio Basileensi afferuntur non sunt Celladei.

35. Quæ ex oratione habita in Concilio Basileensi afferuntur, procedunt de ignorantia vincibili, aut certè de ignorantia eorum, quorum scientia est necessaria necessitate medii. Prima ignorantia non excusat à peccato; secunda, etiamsi sit invincibilis, à damno incurrendo non liberat. Itaque ex ibi dictis nil inferri potest, cui jam sufficienter responsum non sit.

Celladeus errat, dicens Deum velle peccata.

36. Nec benè avertit Celladeus ictum eorum, qui objiciunt, sequi ex illius sententia, Sanctorum aliquem incurrisse peccatum ignorantiæ; inprimis exemplum S. Cypriani non est ad rem, si enim peccavit (de quo S. Augustinus nil detinire audet, sed potiùs ad eum excusandum inclinat) peccatum illius non videtur fuisse meræ ignorantiæ, cùm ex historia rei gestæ appareat, non exiguam rerum advertentiam interveniſse. Itaque ictum certum, per exemplum ex omni parte incertum haud declinat. Præterea non objicimus, unum aliquem sanctum, sed innumeros, immo ex doctioribus omnes fere graviter peccasse idque in eo, in quo censentur laude digni, & benè de Ecclesia meriti. Et sanè hoc admittere habetur ut notorium & non ferendum absurdum in hac ipsa oratione, quam hìc contra nos citat. Demum objicimus SS. illos in malo statu diu vixisse, immo & in eodem mortuos esse; quæ sunt absurda non toleranda, sed in illius sententia prorsùs inevitabilia.

37. Sancti

Sancti meritò petunt veniam delictorũ occultorum.

37. Sancti quidem omnes rectè dicunt. *Delicta quis intelligit?* & quotidiè orant, *ab occultis meis munda me*: idque multas ob causas. Inprimis post opera patrata non benè recordantur omnium, quæ in instanti operationis & antea gesta fuerunt; unde aliquando concludunt se benè vel malè fecisse, quando Deus oppositum novit. Sæpe errant in judicio de qualitate operis; unde rectè dicunt, *Delicta quis intelligit?* & benè respondent, solum Deum hæc perfectè nosse & intelligere. Secundò non rarò obliviscuntur actionum factarum, quarum aliquæ malæ fuerunt; & quidem si loquamur de tota vita, multorum etiam gravium peccatorum oblivisci possunt. Nónne ergò rectè dicunt, *ab occultis meis munda me*? sed & eandem orationem rectè applicant peccatis puræ ignorantiæ, quæ à priori negligentia orta sunt; illa enim sæpe sunt occulta, & tamen à Deo illis imputantur, de quibus proinde venia à Deo petenda est. Cæterùm respectu sanctorum, hæc peccata occulta, quæ tempore vitæ melioris contrahunt, rarò sunt mortalia, frequenter venialia.

Objectiones ad intentum principale non deserviunt.

38. Demum adverto, quod antè insinuatum fuit, omnia quæ hîc objecta sunt de peccatis ignorantiæ & erroris nil facere ad præsentem quæstionem, quæ in eo præcisè vertitur, utrùm opinio certò probabilis, si sit falsa, sit peccatum erroris nec ne? Ad hoc autem probandum argumenta allata non deserviunt.

QUÆSTIO SEXAGESIMA-TERTIA.

Vtrùm peccare possit homo, quin se peccare advertat?

1. QUÆSTIO hæc est valdè affinis præcedenti. De ea Celladeus fusè agit *lib. 1. quæst. 5.* & in ea plurimum triumphat. Eandem ego disputationi subjiciam, ut veritas sciatur, & Celladei triumphus inanis ostendatur.

ASSERTIO PRIMA.

Ad omne peccatum, etiam ad peccatum ignorantiæ & ex ignorantia, præcedere debet aliqua demum cognitio, & actualis cogitatio malitiæ vel in se, vel in alio; vel in particulari vel in generali.

Aliqua mali advertentia ad omne peccatum requiritur.

2. PROBATUR assertio, in qua omnes omnino Theologi, Celladeo etiam id expressè fatente, conveniunt. Ratio convincens est, quia quando malitia non est voluntaria non datur peccatum. Sed malitia omnino incognita (qualis est malitia, de qua nulla umquam habita fuit cognitio, scrupulus, aut dubium nec in se nec in alio, nec in particulari nec in universali) non est voluntaria, quia omne voluntarium est præcognitum. Ergò quando malitia est omninò incognita, nullum est peccatum. Ergò aliqua demum cognitio & apprehensio malitiæ omnino prærequiritur ad peccatum.

ASSERTIO II.

Qui legem, cujus actualiter conscius est, ex vehementi passione violat, & liberè prosequitur opus inchoatum, toto tempore peccat imputabiliter, quamvis singulis instantibus libertatis actu non advertat se peccare.

Libera prosecutio operis mali scienter inchoati est imputabilis, etsi operans non actu reflectat ad legem.

3. PROBATUR. Toto illo tempore homo liberè ponit actionem, quam antequam illam inciperet sciebat esse prohibitam. Ergò & actio & ejus continuatio culpabilis est, cùm utraque liberè ponatur contra legem, quam operans, immediatè antequam operaretur, sciebat vetare utramque. Præterea continuatio actionis malæ in hoc casu est connaturalis, & quidem implicitè saltem prævisus effectus legis scienter contemptæ. Ergò est culpabilis, & vitio vertitur, sicut ejusdem inchoatio; series enim malorum ex primo aliquo malo contexta, tribuitur illi, qui scienter primum posuit, ex quo novit reliqua contexta aut connaturaliter, aut etiam ex non interrupta illius libertate sequutura. Tertiò subsequens incogitantia aut inconsideratio legis in hoc casu est culpabilis, quia proximè potuit ac debuit vitari; homo enim qui non solùm habitualiter novit legem, sed actualiter ad eam reflectebat in initio actionis, vi illius & poterat & debebat ab omni ista sequela operationis malæ abstinere. Similiter poterat & debebat media apponere, quibus & ab actione, & ab ejus prosequutione arceretur; horum unum erat advertentia ad legem, & ad offensam Dei. Ergò aliquo modo poterat & debebat ad legem advertere, sicut etiam poterat & debebat actionem inchoatam abrumpere. At nemo excusatur per id, quod proximè poterat & debebat vitare. Ergò homo ille per dictam inconsiderationem non excusatur.

Probatur multiplicitèr.

Quartò

Quartò libera continuatio actionis malæ cum præsenti incogitantia immediatè post actualem reflexionem, moraliter æquivalet actuali advertentiæ, & est virtualis & interpretativus contemptus legis, actuali contemptui prorsùs æquivalens, ut videre est in omnibus successivis, quæ ex libera hominis operatione dependent. Sic intentio actualis pro toto tempore non requiritur in Sacramentorum confectione, aliorumque similium administratione, sed sufficit intentio virtualis, seu actualis manens in suo effectu continuato, &c. virtualis enim intentio in moralibus æquivalet actuali. At hîc habemus advertentiam actualem ad legem, manentem saltem in suo effectu continuato. Ergò habemus virtualem advertentiam ad legem, quæ actuali æquivalet. Ergò homo ille culpabilis est, perinde ac si actualiter adverteret ad legem. Quintò, incogitantia, stante hac hominis dispositione, non potest excusare, nisi sit causa actûs, stante enim tali dispositione, non est unde excusationem afferat, nisi actum causet. At in hoc casu actualis incogitantia legis non causat actum illum; quia quamvis homo de lege cogitaret, illam violaret, sicut ab initio, non obstante actuali advertentia, eandem transgressus est. Ergò tota operationis malæ continuatio culpæ tribuitur. Sextò, homo dicta ratione non advertens ad legem, ita dispositus est, ut si peteretur ab ipso an opus, quod facit, sit peccatum, statim responderet affirmativè. Ergò cùm cognoscat opus, quod facit, utique hæc cognitio cum scientia habituali legis, atque cum advertentia actuali legis immediatè antecedente, ita hominem afficit, ut virtualiter & interpretativè censeatur ad legem advertere, ideoque possit ac debeat ab opere illo abstinere. Ergò si non abstineat, hoc illi tribuitur. Demum, quamvis homines ejusmodi, quando vehementi passione moventur, dum prosequuntur opus, non videantur ullam de lege aut rei malitia actualem advertentiam habere, sæpe tamen tenuis saltem illius advertentia intervenit, & fortasse rarò aut nunquam deest; quamvis non semper tanta sit, ut reflexam sui cognitionem causet: sic qui ex habitu fidibus ludunt, aut in cubiculo obambulant, actualiter advertunt ad singulos membrorum motus, etsi cognitio sit adeo tenuis, ut reflexè vix, aut ne vix quidem sentiatur. Idem suo modo locum habere videtur in casu præsenti. Hoc autem plurimum conducit ad imputabilitatem actûs de quo loquimur. Stat ergò, talem operationem, non obstante inconsideratione actuali etiam omnimoda (si tenuis & insensibilis illa advertentia non detur) verissimè imputari ad culpam.

ASSERTIO III.

Incogitãtia legis omnino involuntaria excusat operantem, contra legem, secus si voluntaria.

Incogitantia, & inconsideratio omnimoda legis, si sit omnino involuntaria, excusat; si sit voluntaria non excusat eum, qui ex illa inconsideratione materialiter operatur contra legem.

4. IN hoc etiam omnes conveniunt, quia si inconsideratio mali sit involuntaria, utique & prosequutio illius, à tali inconsideratione orta, erit involuntaria. Ergò ad culpam imputari non potest. Tunc autem, ignorantia, ut expresè habet S. Thomas *1. 2. quæst. 76. art. 3. in cop.* est & censetur omnino involuntaria, quando aut est invincibilis, aut ejus, quod quis scire non tenetur. *Et talis ignorantia omnino excusat à peccato.* Eadem autem doctrina locum habet in inconsideratione. Quod si *ignorantia sit voluntaria*, (ut ibidem loquitur S. Thomas) *vel directè, sicut cùm aliquis studiosè vult nescire aliqua, ut liberiùs peccet; vel indirectè, sicut cùm aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiscere id, per quod à peccato retraheretur; talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam & peccatum, dummodò sit eorum, quæ quis scire tenetur, & potest. Et ideo talis ignorantia non totaliter excusat à peccato.* Idem prorsùs dicendum de inconsideratione, cùm eadem de illius voluntarietate ratio procedat.

5. Cæterùm voluntarietas & vincibilitas ignorantiæ, aut inconsiderationis actualis de lege vel malitia rei dupliciter se habere potest, primò quando ignorantia vinci poterat ac debebat, quando incurritur; & tunc ipsa ignorantia est peccatum malitiæ, quia incurritur per negligentiam culpabilem contra legem, ad quam homo satis advertebat, ut vi illius scientiam præcepti acquireret. Jam opus ex tali ignorantia factum non excusatur, sed eodem modo imputatur ad culpam, quia negligentia neminem excusat. Jam sæpe contingit continuationem ignorantiæ esse voluntariam, sicut erat ejusdem inchoatio; & tunc sicut interveniunt plures negligentiæ culpabiles, ita & ignorantiæ continuatio est peculiare peccatum, quod proinde propriam imputabilitatem habet, sicut & opera quæ ex illa patrantur. At, si ignorantia olim vincibilis & voluntaria, evadat postea invincibilis, quia jam non est à quo ignorans instrui possit, &c. tunc dicendum est, opus ex tali ignorantia factum esse malum & imputabile, sed non habere peculiarem malitiam moralem, aut imputabilitatem superadditam malitiæ actûs voluntatis, in quo directè vel indirectè fuit volitum. Ratio est, quia cùm ignorantia jam sit invincibilis, opus ut jam expeditur ab ignorantia non potest magis imputari, quàm ipsa ignorantia. At illa secundùm se jam imputari non potest. Sed solùm ratione causæ à qua processit. Ergò nec opus aliter imputari potest. Hæc est sententia communis, ut videre est apud Sanchez *lib. 1. Mor. cap. 16. num. 45.* ubi pro ea citat S. Thomam, Suarium, & Vasquium, quibus ipse accedit. Et quidem Vasquez dicit id esse verum absque controversia.

Duplex vincibilitas ignorantiæ & malitiæ.

Quòque peculiarem superadditam malitiam quandoque non.

ASSRTIO IV.

Voluntas in opere particulari non peccat moraliter peccato propriè ac ratione sui imputabili, quando nulla actualis advertentia, nec specialis nec confusa malitia moralis vel periculi præcessit; vel saltem dubitatio aliqua vel scrupulus.

Nulli peccatum grave integrè vitia aliqua advertentia vel malitia vel periculi.

PROBATIO AB AUCTORITATE.

6. HÆc est præcipuè intenta assertio hujus quæstionis, à qua Celladeus abhorret, tamquam ab opinione periculosa, à novis tantùm Theologis tradita, & ab antiquis ignorata. Itaque probanda est tam auctoritate, quàm ratione.

Probatur ergò primò auctoritate. Inprimis Thomas Sanchez *lib. 1. Mor. cap. 16. num. 21.* eam expresè tenet, & pro eadem citat S. Thomam

Probatio auctoritate.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

de Verit. quæst. 15. art. 4. ad 10. Henricum *quodlibeto 6. quæst. 32.* Gersonem *2. p. in Compend. Theol. Alph. 30. lit. D.* Sylvestrum *V. delectatio. quæst. 1. dict. 4.* Cordubam *in quæstionar. lib. 1. quæst. 23. dub. 10.* quibus addit Suarium *de Censur. disp. 4. sect. 8. num. 18.* Vasquez eandem sententiam latè probat *1. 2. disp. 107. cap. 3.* ubi hæc habet. *Hanc sententiam disertis verbis, quæ non est opus referre, tradiderunt Alexander 2. part. quæst. 108. Membro 7. & 11. Bonav. in 2. dist. 24. super secundam partem textûs, & 2. part. distinct. art. 2. quæst. 2. Albertus eadem dist. art. 13. Henricus quodl. 6. quæst. 32. Immò etiam Gerson (qui pro oppositâ sententia alio loco allegatus est) idem docuit Alph. 30. ab initio præsertim, lit. D. Anton. 2. part. tit. 5. cap. 1. §. 5. qui etiam refert Petrum de Tarantasia. Angelus V. cogitatio. num. 2. Sylvester verbo delectatio quæst. 1. part. 4. Caietanus 2. 2. quæst. 88. art. 1. & in summa, verbo Delectatio, & Armilla ibidem nu. 1.* Hactenus Vasquez, qui ibidem pro eadem sententia citat Conrardum *in art. 4. quæst. 74.* Almainum, Angestum, Nider, Petrum à Soto, & Cordubam; quibus consentire ait Paludanum *in 4. dist. 18 quæst. 6. art. 2 num. 5.* Gabriëlem *in 2. dist. 42. quæst. 1. art. 3. dub. 3.* Demum eandem sententiam tribuit S. Thomæ *quæst. 15. de verit. art. 4. ad 10.*

Ex S. Thoma. 7. Et quidem quod ad S. Thomam attinet, ille *quæst. 15. de verit. art. 4. ad 10.* hæc habet. *Antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius, non habet interpretativum consensum, etiamsi non resistat: sed quando jam perpendit ratio de delectatione insurgente & de nocumento consequente, utpote cùm percipit homo, se totaliter per hujusmodi delectationem in peccatum inclinari, & in præceps ruere, nisi expressè resistat, videtur consentire.* Hunc textum Sylvester ponderat, & in eodem sensu loquitur, loco à Sanchez citato. Idemque expressè traditur ab Angelo, loco quem Vasquez citavit.

8. S. Antoninus parte 2. tit. 5. cap. 1. §. 5. loquens de delectatione morosa, docet qualiter sit & non sit peccatum, & in fine hæc habet. *Complacentiam surgentem in sensualitate circa luxuriam, vel aliud quod est mortale ex genere suo, aut ratio superior ex consideratione divini præcepti vel offensæ Dei statim reprimit, & tunc non est nisi veniale. Aut non statim reprimit: & tunc aut expressè consensit, & sic est mortale, &c. Aut non expressè, sed negligit reprimere. Aut ergò manet talis complacentia post sufficientem deliberationem & animadversionem periculi, & tunc est mortale. Aut non manet, & sic est veniale.*

ExHenrico. 9. Henricus, loco quem Sanchez & Vasquez citant, loquens de consensu in delectationem, ex Augustino docet, illum esse peccatum mortale, & hæc habet. *Debet ista consensio, in qua consistit peccatum mortale, quod meretur damnationem, talis esse, quod sit deliberativa, non subreptitia. Tunc autem est deliberativa, quando postquam ratio percipit delectationem, & advertit judicando eam esse illicitam, adhuc voluntas se tenet in ea, & non cohibet eam, &c. In tali ergò consensione deliberativa consistit primò peccatum mortale. Et quidquid præcedit in actu voluntatis, aut appetitûs sensibilis, aut carnis, aut non est peccatum, aut solummodo peccatum veniale est.* Ita Henricus, nec dubium quin requirat expressam advertentiam ad rationem illiciti, quamvis, ut postea se explicat, non sit necesse quod rationis judicium præcedat, sed sufficit, si debuerit præcessisse; *quia*, inquit, *planè consentire continget in delectationem, vel verè, vel interpretativè. Verè, quando verè præcessit judicium rationis. Interpretativè, quando interpretativè præcessit judicium rationis. Quod fit, quando ex delectatione voluntatis in tantum absorbetur ratio, ut non posset intendere judicio, & negligit voluntas movere rationem ad judicandum, & permittit transire tempus, quo posset deliberare, quod cùm pertransierit, etsi non verè consentit ex liberi arbitrii electione, quæ non sit sine judicii præcedentis discretione, consentit tamen interpretativè, hoc est regulativè, quia non tantùm est contemptûs mortalis ex electione delectari, sed etiam propter delectationem negligere movere rationem ad judicandum, ut possit eligere repellere delectationem, & refrænare appetitum sensibilem.* Hæc ille, quæ haud dubiè requirunt advertentiam, saltem dubitationem, aut scrupulum de malitia delectationis, cùm sine illis voluntas nequeat movere intellectum ad judicium rationis.

Ex S. Bonaventura. 10 S. Bonaventura primo loco quem Vasquez citat hæc habet. *Tunc mora temporis* (in delectatione) *inducit consensum verum, quando ex diuturnitate delectationis crescit libido, adeo ut homo velit omnino in vitiorum delectatione persistere, & morari. Tunc verò inducit consensum interpretativum, quando homo advertens periculum delectationis retentæ, negligit eam reprimere: hoc enim non est absque contemptu salutis propriæ, pro eo quod discrimini se exponit.* Idque explicat exemplo eius qui serpentem juxta se scienter permitteret, aut collocaret: sicut enim ille salutem corporis negligeret; *Sic qui in tali delectatione, advertens periculum, vel debens advertere, voluntariè versatur, exponit se discrimini, quando negligit repellere.* Idipsum mox fusiùs explicat citato *art. 2. quæst 2.* ubi hæc habet. *Aut advertit periculum, aut non advertit. Si non advertit periculum delectationis, nec repellit eam, peccat, sed non mortaliter: gravius tamen peccat, quam si statim & vincibiliter repulisset. Aut advertit periculum, & delectationem illam non repellit, sed mentem in talibus cogitationibus revolvi sinit: & tunc dicunt Magistri, quod peccat mortaliter, quia quamvis non sit ibi consensus verus, est tamen ibi consensus interpretativus. Hoc tamen quod nunc ultimò dictum est, non est usquequaque certum. Negant enim aliqui esse mortale in negligentia reprimendi, ubi est displicentia, quantumcumque quis periculum advertat: sed tamen securior via tenenda est, quidquid sit rei veritas. Et si cui hoc contingat, sanum est consilium, quod de ipso ut de mortali pœniteat, in dubiis enim securior via eligenda est.*

Suffragatur Gerson. 11. Idem quoque habet Gerson *parte 2. in Compendio Theologiæ, ubi agit de delectatione:* sed verba ejus non recenseo, quia sunt longiora, & sensus cum jam dictis coincidit. Sed dubitatur, an liber ille sit legitimus Gersonis partus. Certè itaque dubitandum non est, quin reliquæ citationes Vasquii quas non examinavi, sint veræ, cùm has invenerim esse verissimas. Jam verò etsi S. Thomas, & reliqui, quos citavi, solùm loquantur in particulari materia de delectatione morosa, nihilominus cùm illa sit res spectans ad jus naturæ, & peculiarem præ aliis rebus turpitudinem ac notiorem malitiam præ se ferat, haud dubiè quod de illa traditur, à potiori de aliis dicendum erit. Itaque constans Antiquorum Theologorum, & quidem præcipuorum opinio est, quod absque aliqua actuali advertentia de malitia peccati nullum committatur peccatum mortale, non solùm per consensum verum & absolutum, sed ne quidem per interpretativum, in quo discrepant ab aliquibus paucis, qui tenent, talem advertentiam actualem non esse necessariam ad con-

sensum interpretativum, sed sufficere advertentiam virtualem & interpretativam, quam tunc intervenire aiunt, quando ratio actu non considerat objectum, in quod fertur voluntas, esse malum; potuit tamen morali potentia, & debuit illud considerare. Pro hac sententia Vasquez, & Sanchez locis jam indicatis, citant paucos aliquos ex antiquioribus Theologis, & nonnullos recentiores, sed non multos. Cæterùm S. Thomas, & Theologi antiqui, quos citavi, longè plus requirunt, quàm assertio posita requirit: illi enim requirunt aut judicium rationis, aut perceptionem, & sufficientem deliberationem ac animadversionem periculi, &c. cùm per nos solùm requiratur dubitatio aliqua vel scrupulus; unde, assertio, eo modo ut jacet intellecta, videtur esse unanimis omnium opinio, quia sine tali scrupulo aut dubitatione, homo non habet hîc & nunc moralem potestatem deliberandi de malitia objecti, nec potest ad illam adhibendam teneri, ut patebit ex rationibus quas afferemus: quod & ipsi adversarii verè concedunt, quia talem inconsiderationem vitio non vertunt, sed illam innoxiam putant, alioquin in nostram sententiam inciderent. Unde solùm loquuntur de potestate morali remota, non de proxima, quæ præsentem incogitantiam reddit illicitam. Quare existimo pauciſſimos, aut potiùs nullos esse, qui à thesi posita dissentiant. Quod si sermo sit de peccato ratione sui imputabili, nemo quod sciam, præter Celladeum, dissentit; quia si præsens inconsideratio sit effectus negligentiæ prioris, tunc quidem non negamus, tam ipsam inconsiderantiam, quàm opus ex illa causatum esse effectus peccati, & si velis, esse & denominari peccata; sed nullam propriam imputabilitatem habent, ut dictum est *Assert.* 3. Itaque quod ad auctoritatem pertinet, assertio præsens haud dubiè præferenda est opinioni contrariæ, & simpliciter habenda verissima.

Sensus S. Thomæ & antiquorũ Theologorum.

12. Sed antequam ulteriùs progrediar: accurata reflexio facienda est ad illam S. Bonaventuræ supra citati particulam. *Hoc tamen non est usquequaque certum. Negant enim aliqui esse mortale in negligentia reprimendi, ubi est displicentia, quantumcumque quis periculum advertat: sed tamen securior via tenenda est, quidquid sit rei veritas. Et si cui hoc contingat, sanum est consilium, quod de ipso ut de mortali pœniteat. In dubiis enim securior via eligenda est.* Hîc S. Doctor loquitur de duabus opinionibus contradictoriis praxi pœnitentium deservientibus. Ipse tutiorem sequitur, eamque veram reputat, & ut ex modo loquendi apparet, eam ut longè probabiliorem & quodammodo certam habet. Sed quia non erat, *usquequaque*, ut ait, certa, cùm aliqui docerent oppositum, ita pro praxi casum resolvit, ut *sanum sit consilium* in rebus ejusmodi securiorem partem tenere. Ergò S. Bonaventura existimavit nullam esse obligationem sectandi partem aut tutiorem aut probabiliorem, sed hoc ad consilium pertinere; ideoque cuique licitum esse sequi in praxi partem minùs tutam, minúsque probabilem; nec ipse tamquam Theologus aut Confessarius quemquã obligandum censebat ad conformandum se opinioni sui Confessarii, modò bona fide alicui opinioni probabili inhæreat. Porro, quia S. Bonaventura in tali re nil temerè contra communem Doctorum opinionem & fidelium praxim effutiit, rectè colligitur, communem tam fidelium praxim, quàm Auctorum sententiam fuisse, quod cuique liceret sequi quamcumque opinionem practicè probabilem, etiam minùs tutam, modò bona fide eam veram esse reputaret.

Ulteriùs explanatur mens S. Bonaventuræ.

13. Hactenus citavi Auctores antiquos, de una particulari materia loquentes, ex qua tamen apertè infertur eandem fuisse eorum opinionem circa alias materias. Quare quamvis hoc abundè sufficiat intento nostro, ad pleniorem tamen assertionis probationem legendus est S. Thomas *1. 2. quæst. 76. art. 3. in corp.* ubi hæc habet. *Potest contingere, quod aliquis ignoret quidem aliquam circumstantiam peccati, quam si sciret, retraheretur à peccando, sive illa circumstantia faciat ad rationem peccati, sive non, & tamen adhuc remanet ejus scientia per aliquid, per quod cognoscit illud esse actum peccati: puta, si aliquis percutiens aliquem, sciat quidem ipsum esse hominem (quod sufficit ad rationem peccati) non tamen scit eum esse patrem, quod est circumstantia constituens novam speciem peccati: vel fortè nescit, quod ille se defendens repercutiat eum, quod si sciret, non percuteret: quod non pertinet ad rationem peccati, unde licèt talis propter ignorantiam peccet, non tamen totaliter excusatur à peccato, quia adhuc remanet ei cognitio.* Hîc S. Thomas expressè docet ignorantiam & omnimodam incogitantiam circumstantiæ transferentis ad aliam speciem, excusare à malitia quam circumstantia illa specificat, quamvis homo peccet in illo opere. In quo complectitur omnia, quæ alii hac de re docent, cùm aliqui strictiùs loquantur, & dicant advertendum esse, an ignorans talem circumstantiam det operam rei licitæ, vel illicitæ. Si illicitæ, volunt ignorantiam non excusare, secus si operam det rei licitæ. At S. Thomas ex æquo omnes complectitur, etiam eos, qui dant operam rei illicitæ. Et sanè dubium non est, quin hæc sit expressa ejus mens, quandò ignorantia & inconsideratio aut non potuit, aut non debuit superari, quia totus scopus articuli ad hoc probandum collimat. Ergò cùm in casu nostro inconsideratio malitiæ aut non potuerit, aut non debuerit superari, utique perspicuum est S. Thomam per omnia nobiscum sentire.

Lessius in 2. 2. S. Th. quæst. 76. art. 3. dub. 2. num. 12.

14. Hæc de auctoritate nobis favente dicta sunto, quæ certè non ideo tam expressè citavi, quia dubitabam de exacta fidelitate Sanchez, aut de exactissima Vasquii diligentia, maximè cùm expressè dicat, Auctores, quos citat, tradere assertionem positam in terminis expressis, & ideo verba eorum non esse necessariò referenda. Quis enim tale tanti viri testimonium in dubium vocaret? sed necessitate compulsus hanc diligentiam adhibere debui, ut occurrerem periculo, quod Lector Celladei vix aliter evitare posset; ipse enim ita loquitur, ac si omnino supponeret Sanchez hallucinatum fuisse, omnesque Antiquos citra controversiam secum contra nos stare. Jam verò ipsa Antiquorum verba ante oculos legentium posita, ipsum, non Sanchez fuisse deceptum apertè convincunt.

Hallucinatur Celladeus, unde caute legendus.

PROBATIO A RATIONE.

15. PROBATUR secundò rationibus, quas Vasquez & Sanchez locis citatis afferunt. Illæ sic se habent. Ex doctrina S. Thomæ *1. 2. quæst. 14. art. 6.* consultatio non procedit in infinitum versus finem in mediorum inquisitione, alioquin numquam inciperemus operari; nec etiam versus principium, quia numquam inciperemus consultare: sed necesse est venire ad unam primam cogitationem naturalem, quæ non sit ex consultatione, sed sit consultationis initium. Hanc

Sine prima cogitatione malitiæ id datur primum

primam cogitationem Aristoteles 7. *Eth. ad Eudemum*, fortunæ tribuit, eò quòd homini sine ejus industria & solicitudine occurrat. Ut ergò aliquis circa operis bonitatem aut malitiam moralem consultare possit, primò occurrere debet aliqua cogitatio naturalis, in nostra potestate non existens, quæ talis consultationis principium esse possit. Neque enim in nostra potestate est hanc primam cogitationem excitare. At quando nulla cogitatio, dubitatio, aut scrupulus, de malitia operationis, aut de periculo mali in ea contenti menti occurrit, non datur sufficiens principium consultandi ac deliberandi de malitia morali talis operationis. Ergò non est in nostra potestate de illa consultare; ac proinde talis objecti malitia non est voluntaria; siquidem ablata eo modo potestate consultandi, eo modo malitia & peccatum non solùm non est voluntarium, sed ne quidem spontaneum, quod teste Aristotele 2. *Eth. cap.* 1. est à principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actio.

Practicæ consultationi non sufficit cogitatio cõmoditatis objecti.

16. Dices occurrit saltem cogitatio aliqua de commoditate aut utilitate rei illius, alioquin illam amare & eligere non possemus. At hæc cogitatio est sufficiens principium consultandi de malitia ejusdem. Ita objiciunt, qui oppositam sententiam sectantur. Sed Vasquez & Sanchez rectè respondent, talem cogitationem sufficere quidem ad deliberandum de commodo & incommodo, non autem de malitia morali, quia sunt res diversi generis, nec unum ex alio infertur. Sic consultatio de re aliqua ut utili ad studium, non est sufficiens principium consultandi de illa re in ordine ad bellum aut aliud alterius ordinis, nisi circa quodlibet negotium diversum prima aliqua cogitatio naturalis se offerat. Ergò similiter consultatio de re aliqua ut utili ad finem temporalem, non est sufficiens principium ad consultandum de malitia morali; quia est res diversi generis. Ergò ut de illa consultare possimus, naturalis aliqua cogitatio aut dubitatio circa illam occurrere debet.

17. Confirmatur responsio, quia non solùm utilitas rei cognita non est sufficiens principium consultandi de malitia morali, sed neque consideratio malitiæ aut honestatis secundùm jus naturale sæpe est sufficiens principium consultandi de præcepto positivo, eò quòd non sit sufficiens connexio inter illa; immo certa notitia de malo in una specie, ut de homicidio, non est sufficiens principium consultandi de malitia alterius speciei in eodem opere contenta, ut de parricidio, quod est exemplum S. Thomæ paulò antè allatum; quia si nulla de parricidio naturalis cogitatio oriatur, cognitio homicidii non est sufficiens principium consultandi de parricidio. Ergò à fortiori consultatio de utilitate rei, non est ne interpretativa quidem consideratio malitiæ.

Sæpe deest sufficiens connexio inter utilitatem rei ejusque malitiam.

18. Probatur 2. exemplis. Sciat quis præceptum Ecclesiæ de jejunando tali die. Contingat hunc hominem nil prorsùs cogitare aut de præcepto, aut de die illo. Ponamus autem, quod in hac dispositione materialiter faciat contra præceptum edendo quod est vetitum. Hic homo poterit consultare de utilitate ciborum illorum, immo & secundùm regulas temperantiæ naturalis modum & quantitatem eorum præscribere. Nemo tamen eum peccati mortalis aut venialis condemnabit, si nulla prorsùs cogitatio præcepti ipsi occurrat. Ex priori enim illa cogitatione non poterat consultare de præcepto Ecclesiæ. Plurima istiusmodi exempla sunt obvia, maximè in materiis juris tantùm positivo prohibitis, quia cùm ex natura rei nulla sit connexio inter rem & præceptum; cogitatio de re non sufficit ut cogitare possimus de præcepto, nisi naturalis aliqua cogitatio de præcepto aliunde se prodat. At in rebus per se malis, aliter se res habet; quia etiam illi, qui talibus peccatis addicti sunt, statim ac occasio operis illius se prodit, aliquam de illius malitia apprehensionem habent, quamvis eam facilè contemnant, & in peccata ex habitu ruant. Ratio est, quia cùm res sit mala secundùm se, eo ipso, quod cognoscitur, malum ejus se prodit, & sufficit ut de illius malitia consultare possimus. Quod si in aliquo casu rarò contingeret nullam talem cogitationem excitari, nec operantem habere sufficiens principium illam excitandi, idem de illo dicendum esset, ac in casu præcepti positivi; quia opus illud non esset ratione sui imputabile, quia malitia illius non esset voluntaria ratione sui.

Quomodo dignoscendum an opus, inconsideratè factum, sit peccatum?

19. Porrò ut sciamus, an opus, ex dicta inconsideratione factum, sit peccatum imputabile ratione alterius, videndùm est, an præsens inconsideratio fuerit culpabilis nec ne? Si fuerit culpabilis, non excusat; & opus ab illa factum imputatur, sicut causa, à qua oritur. At si non fuerit culpabilis, ut frequentissimè non est, nullum prorsùs erit peccatum in opere, sed censendum est illud ex naturali ac invincibili oblivione, vel inconsideratione esse factum.

Conclusiò firmatur multiplici ratione.

20. Probatur 3. Superat humanam diligentiam expellere ignorantiam vel inadvertentiam malitiæ objecti, cujus nulla prorsùs incidit cogitatio; usus enim libertatis circa rem aliquam nititur cognitione aliqua illius rei, tamquam radice, cùm voluntas ferri nequeat in incognitum. Ergò si nulla prorsùs sit suspicio talis malitiæ, necesse est eam esse hîc & nunc incognitam, & consequenter non voluntariam, adeoque ratione sui omnino inimputabilem.

21. Probatur 4. Suavitas divinæ legis idipsum persuadet, præsertim in peccatis mortalibus; quæ cùm tanti nocumenti sint, non est credibile Deum legem statuisse, ut ille sit tanti criminis reus, qui nullum de malitia rei dubium aut scrupulum concipit, sed circa illam se habet sicut naturaliter operans. Hæ sunt rationes, quas Vasquez & Sanchez afferunt, quibus addo ego sequentes.

22. Probatur 5. Incogitantia prohibitionis de esu carnis in die Veneris in homine bonæ vitæ, qui tale præceptum diligenter observare solet, & libentissimè observaret etiam nunc si vel per umbram de illo cogitaret, non est peccatum, nec vitio verti potest. Non est peccatum in se hîc & nunc, quia cùm nullo modo sit cognita, non est voluntaria in se. Rursus homo ejusmodi non peccat per hoc, quòd talis incogitantia illi obrepat, quia nullam occasionem incurrendi illam dedit, quam vitare tenebatur, quamque ponendo peccavit. Quod adeo manifestum est, ut videatur rationabiliter in dubium venire non posse. Nónne misera foret hominis etiam justificati conditio, si tales incogitantiæ sine peccato mortali non incurrerentur? Omnes enim continuò cruciarentur, ne tali incogitantiæ causam darent. Deinde talis lex ex eo scitur non dari, quia dici nequit, quid expressè præcipiat. Neque enim ullus gradus diligentiæ determinari potest, ad quam obliget, quia tali diligentia non obstante, hæc oblivio & inconsideratio sæpe obrepit. Præterea, qualis demum est illa lex,

quam ne quidem diligentissimi aut observant, aut moraliter observare possunt? Ergò illa inconsideratio non est peccatum saltem in homine tali. Ergò esus carnis ex illa causatus non est peccatum, cùm malitia talis comestionis nec in se nec in sua causa sit voluntaria & imputabilis.

Qua certitudine constat inconsiderationem esse involutariam, eadem cõtat actionem prædictam nõ esse peccatum.

23. Hinc autem sequitur, quod eadem certitudine ac probabilitate concludere possimus, hominem, omni actuali consideratione malitiæ carentem, non peccare ponendo opus prohibitum, qua cognoscimus illum non peccasse illam inconsiderationem incurrendo. At respectu proborum, & eorum qui vitæ novæ seriò incumbunt, aut semper aut plerumque præsumendum est hanc inconsiderationem non esse voluntariam & imputabilem. Ergò per illam omnes ejusmodi præsumuntur excusari. Quod si homo sit valde incurius sui, & ex negligentia culpabili tales inconsiderationes & obliviones incurrat, tunc de illo aliter ratiocinandum est. Ille enim præsumitur peccare in tali esu, quamvis fortasse non peccet; si enim contingat illam oblivionem esse prorsùs naturalem, nullius peccati reus erit, ut patet. At si ex peccatis illius non retractatis, ut ob notoriam illius negligentiam præsumitur, originem sumat, culpæ vertitur, & consequenter esus etiam ipse imputabitur ad culpam; at nullam ratione sui imputabilitatem habebit, sed eam solùm quam culpabilis ignorantia ipsi tribuit. Ratio autem est, quia esus præsens, omnisque præsens dispositio intellectûs & voluntatis circa esum est planè similis in eo qui culpabiliter, & in eo qui inculpabiliter ignorantiam contraxit. Ergò impossibile est, quod unus ex illis sit culpabilis præcisè propter tale opus, & alter sit innocens. Ergò neuter ratione illius turpiter agit. Ergò si unus malè agat, tota malitia aliunde desumenda est, nempe à culpa, per quam tam oblivio, quàm opus ipsum inductum fuit.

24. Probatur 6. In casu omnimodæ incogitantiæ de lege carnium esum vetante, homo illas bona fide edens, hîc & nunc nullam legem transgreditur. Ergò hîc & nunc non peccat. Consequentia tenet. Probatur antecedens. Nulla lex hîc & nunc illi magis applicatur, quàm si nulla ejusmodi lex existeret. Ergò nulla lex hîc & nunc illum obligat, cùm lex non applicata obligare

Ubi nulla legis est applicatio, nulla legis datur transgressio seu peccatum.

nequeat. Legis enim est dirigere operantem, idque per modum imperii à superiore profecti, cui obtemperandum est. At nisi voluntas & imperium superioris applicetur, & aliquo modo apprehendatur, neminem dirigere potest, cùm legis directio non sit physicus influxus huc illuc impellens, sed moralis & rationalis manuductio, quæ sine aliquâ legis cognitione haberi non potest. Hinc constat legem non edendi carnes non applicari huic homini; ideoque hominem illum hîc & nunc illam non violare. Sed neque ulla alia lex illi applicatur, per cujus directionem tenetur diligentiam adhibere, aut abstinere donec diligentiam adhibeat, &c. quia eo ipso essemus extra casum assertionis; operans enim aliquam mali latentis suspicionem ac dubitationem haberet. Ergò stante suppositione assertionis, nulla lex hîc & nunc sufficienter applicatur, per quam homo dirigi possit ac obligari circa carnium esum. Ergò talis homo carnes edens hîc & nunc nullam legem actu eum obligantem ac dirigentem transgreditur. Ergò si de peccato imputabili sit sermo, nullum ejusmodi peccatum inveniri potest in hoc opere secundùm se, si sumatur præcisè prout oritur à præsenti operantis dispositione; cùm illa secundum se sit eadem cum dispositione ejus, qui invincibiliter legem ignorat; de quo certum est apud omnes, quod lex illi non sufficienter applicetur, ut illum hîc & nunc dirigere ac obligare valeat. Ergò taliter operans non aliter peccat, quàm si inadvertentia fuerit vincibilis. At vincibilis non est propter præsentem dispositionem ut patet, quia si alia dispositio numquam informasset animum operantis, haud dubiè invincibiliter ignorasset legem. Ergò quod illam vincibiliter jam ignoret, à præterita negligentia desumendum est, à qua sola omnis denominatio mali ac peccati, quæ ignorantiæ aut esui ipsi tribuitur, desumenda est. At hoc est quod expresè docemus. Itaque integra totius assertionis veritas sufficienter probata est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES Celladei.

25. OBJICIT primò. Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 16.* citat plures Auctores tam pro quàm contra necessitatem cogitationis actualis de malitia operis particularis, quod ponitur, ut peccatum mortale incurratur. Refert vir, alioqui doctus, multos antiquos pro necessitate cognitionis actualis de malitia particularis illius operis: verùm nisi ego prorsùs deliro, nil tale Doctores illi requirunt, sed id solum, quod ex concordi omnium Theologorum sententia præmissimus. Ita Cellad. *quæst 5 §. 1.*

26. Respondeo. Non deliras Celladee, turpiter tamen decipiris, quia certum est, Auctores illos antiquos in terminis docere, quod à Sanchez illis tribuitur, idque tu ipse videre ac legere poteras, si ad loca ab illo citata respexisses; & ne copia Lectori desit, ego eorum verba superiùs ponderavi. Crede mihi, Celladee, aliud est ex opinione præconcepta de mente Auctorum disserere, aliud ex rei veritate, & sincera illorum inspectione quid teneant cognoscere. Quod cùm tibi satis notùm erat, cur loca à Sanchez citata non inspexisti, ut sic debitam de re tanta sententiam proferres? Mirandum etiam est, quod cùm Sanchez Vasquium citet, dicatque illum plurimos pro hac sententia citare, nulli illorum fidem dederis, sed ex violenta oppositi persuasione credideris, Auctores ab illis citatos longè alia tradere, quàm quæ à tantis viris illis tribuuntur.

Unde irrogat Sanchez calumnias Celladei.

27. Sed quid sibi vult tuum illud dictum *Sanchez, vir alioqui doctus, refert multos, &c.* Profectò verba sonant, æstimare te quod Sanchez in hac citatione à munere viri docti deflexerit, eò quòd vel non intellexerit Auctores, quos citat, vel falsò illos citaverit, cùm illi talem materiam non tractarint. At hoc viro tanto ante seriam locorum citatorum inspectionem imponere, debita moderatione caret. Præterea eodem jure idem crimen Vasquio inferre poteras, & ut consequenter procederes, debebas. Sed absit talia de tantis viris suspicari. Legerunt illi, quos citant, eos intellexerunt, ac proinde habendi sunt Auctores, non solùm *alioquin docti*, sed in hoc ipso exacti, eruditi, ac docti: sciasque velim, Celladee, Mundum Literarium semper habiturum eorum citationes pro veracibus contra tuam exceptionem, nisi plus afferas in contrarium, quàm contrariam imaginationem tuam ut hîc attulisti.

28. Quod si Antiquos illos legisses, non solùm vidisses opinionem nostram apud antiquos fuisse

fuisse communem, sed insuper S. Bonaventura & alii te docuissent, plures ad peccatum mortale non solùm advertentiam & quidem plenam de malitia & periculo rei postulasse, sed insuper tradidisse absolutum voluntatis consensum in delectationem ad culpam lethalem esse necessarium. Horum ego sententiam cum Vasquio *1. 2 disp. 108.* prorsùs rejicio; ex illa tamen infero, deceptum te fuisse circa opinionem Antiquorum, qui de peccatis ignorantiæ & inconsiderationis prorsùs aliter opinati sunt, quàm tu arbitraris, tuaque sententiæ sua auctoritate obstant, & semper obstabunt.

29. Objicit secundò. Eò venerunt Auctores, ut dicerent, edentem carnes die prohibito non peccare, si nulla præcepti suspicio in mentem venerit. Et similia multa resolvunt. Unde inferunt, Confessarium, à pœnitente talia audientem, debere judicare illum nullius peccati mortalis reum. Ecce qua de causa *quæst. præced.* tam multi extitimus in probando ex ipsis Dei verbis oblivionem & ignorantiam posse esse peccata, vel causas peccati. Non ostentandæ eruditioni, sed saluti animarum id laboris datum est. Nam si in hoc erraretur periculum esset ingens.

30. Nec desunt, qui asserant cogitationem de malitia debere actu adesse, quando peccatur. Unde utuntur hac doctrina in illis etiam peccatis, quæ inter peccata ignorantiæ numeravit nemo; qualia sunt peccata ex iracundia, ut maledictiones, juramenta, &c. Quæritur enim à pœnitente, an adverterit se peccare? Si non advertit, eum à peccato immunem pronunciant.

31. Hanc doctrinam arripiunt illi, qui in usu probabilium fundant evidentia conscientiæ dictamina de honestate vel malitia operationis; formant enim hunc syllogismum. *Quoties & de quo non habeo cogitationem de peccato, non pecco. Sed hîc & nunc non habeo cogitationem de peccato in hoc. Ergò non pecco.* Ecce quam majorem non opinabilem modo, sed etiam evidentem statuant! Et, ô Deus, ubi sunt peccata ignorantiæ? Ubi iracundiæ & furoris? Certe si hæc ita se haberent, in quo delinquebant Pelagiani, quando apud S. Hieronymum interrogabant? *Quæ est ista justitia, ut in peccato teneat erroris, cujus reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse; & ejus rei, quam nescio, pœnas luo? Et quid plus faciam, si sponte pecavero?* Quorsum Hieronymus interrogationem hanc ut stultam repellit, eam Sacræ Scripturæ sententiis non minùs fulminat, quàm falsitatis convincit, si nemo sine actuali cogitatione malitiæ peccat? Ita Celladeus *loco citato.*

Non minùs mali ex falsitate sententiæ Celladei, quàm nostra?

32. Respondeo, nil aut falsi in doctrina illa, aut mali in illa praxi contineri, si accipiatur, & intelligatur, prout à nobis traditur, & exponitur in assertione. Non ergò necesse erat tantum laborem assumere ad probandum ignorantiam esse posse peccatum & causam peccati, si contra hanc doctrinam collimatum est, quia ex doctrina illa de peccatis ignorantiæ nil contra istam assertionem inferri potest. Laudo quidem Zelum Celladei, & fateor magnum esse periculum si in hoc erretur; sed periculum ex æquo utrimque imminet. Malum quidem esset, si nos erraremus, quia peccati reos à culpa liberaremus: sed non minus malum est, si adversarii errent, quia illi culpæ & sceleris damnarent innocentes. Præterea Celladeus solùm supponit doctrinam illam communem esse falsam, cùm illius falsitatem probare debuisset.

33. Qui dicunt neminem umquam peccare in ullo instanti in quo non habet actualem cognitionem peccati, citandi erant, ut impugnarentur. Ego certè tales nullos novi, nec existimo ullos esse, qui ita crudè sentiant de omnibus, etiam de illis, qui scientes volentesque in scelera consentiunt. Quis enim eos à peccato immunes facit, eò quòd pro aliquo instanti actionis pravæ de malitia illius actu non cogitent? Citentur, ut sciantur, & repudientur. Sed libet Celladeo sub eisdem terminis plura sine distinctione complecti, ut Lector nil illorum rectum putet, eò quòd perspiciat universa sub expressione contenta non posse esse honesta.

Merito inquirit Confessarius an Pœnitens adverterit ad operationis malitiam inter peccãdum.

34. Cæterùm non apparet, cur Celladeus eos reprehendat, qui ea doctrina in peccatis ex iracundia patratis utuntur. Quid enim? Nónne ad judicium de qualitate facti ferendum utile est scire, an operans adverterit nec ne ad malitiam suæ operationis? Si advertit, graviùs peccat, quàm si non advertat. Si non advertat, non solùm ea peccata sunt peccata inconsiderationis, sed nemo meritò potest ea aliter vocare, cùm verè fiant ex inconsideratione, modò operans taliter dispositus sit, ut si advertisset ea non commisisset. Cur ergò doctrina de peccatis inconsiderationis pro peccatis ejusmodi non est adhibenda? Rectè ergò interrogatur pœnitens, an adverterit nec ne? Nec tamen si non adverterit, statim pronunciatur innocens; peccat enim si inadvertentia culpabilis fuerit & voluntaria; sed quia varii gradus sunt in negligentia, à qua talis incogitantia procedit, ideo fieri potest, ut talis inconsideratio grave sit peccatum in uno, veniale in alio. Prudentes autem confessarii ad hæc omnia aliaque similia advertere solent, quidquid Celladeus in contrarium dicat, qui certè contrarium solùm imaginatur, cùm illud scire non possit.

Hallucinatur adversarius.

35. Ad ultimum dico Celladeum errare aut in formando, aut in applicando syllogismo, quem proponit. Errat in illo formando, si dicat illum adhiberi ad dirigendam operationem futuram, quia nemo tam stultus est, aut esse potest, ut eum ad talem finem adhibeat; minor enim majori conjungi nequit, quia minor expressam supponit cogitationem mali & peccati adesse, quàm Major abesse supponit. Unde stante tali cogitatione nemo uti potest majori illa ad conscientiam dirigendam, sed ad alia principia recurrere debet, ut per se patet. Itaque Auctores benignæ sententiæ solùm utuntur illo syllogismo ad indagandum an quis in aliquo opere peccârit, nec ne. Jam si Celladeus syllogismum ad hoc applicet, dupliciter errat in eo applicando. Primò errat, quia syllogismus ille non ponitur ut demonstratio, non tam ob defectum majoris ritè intellectæ, quàm ob defectum minoris, quæ sæpe est incerta; nam etsi hîc & nunc putemus nullam mali latentis suspicionem animum subisse, de eo tamen rarò certi sumus, cùm talium sæpe obliviscamur. Ergò minor sæpe est incerta. Quod si minor sit certa, ut aliquando evenit, tunc syllogismus moralem demonstrationem continet, ut secundo Celladei errore detecto mox constabit.

Dantur peccata incogitantiæ ubi hæc culpabilis fuerit: secus ubi naturalis & inculpabilis.

36. Errat ergò 2. quia majorem proponit in sensu universali, in quo illam non adhibemus. Si enim incogitantia culpabilis fuerit, major est falsa; est autem vera si fuerit inculpabilis; & quidem veritas illius tam patens est, ut neminem, etiam rudem, lateat. Omnes enim talem inadvertentiam ad se excusandos afferunt, & meritò putant secum iniquè agi, si probent talem inadvertentiam fuisse naturalem & inculpabilem. Sed & in

in humanis nemo meritò iraſcitur, vel alieniorem ſe exhibet, eò quòd alter ex incogitantia malum aliquod ipſi intulerit, modò certò conſtiterit inadvertentiam omni culpâ caruiſſe. Unde hac certitudine ſtante, judex juſtus neminem pro tali opere puniendum cenſet. Hæc autem apertè probant veritatem majoris ſic intellectæ eſſe certam & evidentem.

37. Cæterùm quamvis major, ut jacet, ſit falſa ſi ſumatur in ſenſu univerſali, veritatem tamen continet ſi hac ratione efferatur. *Liberè operans, qui nullam de operis malitia ſuſpicionem habet, non peccat peccato per ſe imputabili ponendo illud.* Et quidem rationes allatæ in hac ipſa quæſtione veritatem illius convincunt. Quod ſi dicas eas non eſſe abſolutè demonſtrativas, ſaltem meritò negare non potes, quod ſint longè probabiliſſimæ & quodammodo moraliter certæ. Vide *quæſt. 17. de Conſc. prob. num. 31. & ſeqq.* ubi multa invenies, quibus veritas hujus propoſitionis validè ſtabilitur.

38. Ubi ergò ſunt peccata ignorantiæ? In quo ergò errarunt Pelagiani à SS. PP. reprehenſi? Peccata erroris & ignorantiæ nimis frequentia ſunt, & ab illis committuntur, qui vincibiliter ignorant & errant, ut dictum eſt *quæſt. præcedente.* Pelagiani in eo errabant, quòd docerent, nil ex ignorantia aut errore factum eſſe malum, aut ad culpam imputari debere. Quod falſum eſt, quia error & ignorantia vincibilis non excuſat. Deinde negabant peccatum originale, adeoque volebant ignorantiam omnem & difficultatem quam ex nativitate contraximus, nobis in nullo nocere, nec eſſe mala, aut ulla ratione juſtificationi obſiſtere, aut operum ex ignorantia illa factorum bonitati morali obſiſtere. Quæ omnia ſunt hæretica & errores enormes continent, ideoque à SS. PP. Sacrarum Scripturarum auctoritate efficaciſſimè rejici debuere, ſicut reipſa fuerunt rejecta; eademque ex noſtra etiam ſententia, immo ex doctrina præſenti de peccatis ignorantiæ clarè refelluntur ut patet.

Quo ſenſu Pelagiani negantes peccata ignorantiæ, à SS Patribus damnatiſunt.

39. Objicit tertiò. Si vera eſſet doctrina aſſertionis, aut omnino, aut maxima ex parte peccata iræ & amoris tollerentur. Inprimis homines per iracundiam paſſim jurant, maledicunt, & ſæpe blaſphemant. At vix unus ex quinquaginta, aut veriùs nullus tunc actu advertit ſe peccare; eoque minùs id advertit, quò majori rabie abripitur. Ergò vix ullus eorum peccat. Idem dicendum de homicidiis in calore iracundiæ patratis; plerumque enim deeſt actualis advertentia peccati, maximè in non timentibus Deum. Pleraque autem homicidia hoc modò patrantur. Cur ergò homicidæ ſeveriſſimè, etiam morte ipſa puniuntur? Sciant Judices ſemel hanc Theologiam, & morte non puniant homicidas, qui in rixa alium interficiunt, quia præſumptio innocentiæ ſtat pro homicida, cùm præſumptio formari debeat ex iis quæ plerumque contingunt. Nec dicas eos peccaſſe ob iracundiam, & multo magis ob majorem iracundiam. Nam contra; quia tunc puniri deberent ob iracundiam non ob homicidium. At leges non ob negligentiam, aut iracundiam, ſed ob homicidium mortem decernunt. Ergò homicidium, etiam cum non advertentia legis patratum, eſt peccatum. Ergò quamvis illa non advertentia, ſicut paſſio, minuat, non tamen tollit peccatum, alioquin Judices non culpam pro culpa æſtimantes, ac morte mulctantes, graviſſimè peccarent. Quod ſi quis dixerit, hæc non eſſe peccata, numquam id credent Chriſtiani, ſed ſemper ad forum pœnitentiæ ſua maledicta & juramenta afferent, quia ſua eos conſcientia ſemper remordet. Rurſus omnia iſtiuſmodi ab omnibus vituperantur, & pœnâ digna habentur. Ergò ſunt peccata.

40. Sed quid dicemus de amore, quem Plato brevem amentiam appellat, quemque alii dixerunt extaſim facere, & extra ſe rapere amantem. Qui aliquam deperit, eam ſemper in corde & in conſenſu habet; mira facit, & promittit, ut eam obtineat. At hæc ſunt peccata. An hi etiam ſemper cogitant legem, quando hæc faciunt? Etiam quando amicam amplexantur & fortiſſima voluptate fruuntur? Profectò hoc eſſet dicere, eos, quod Sanctiſſimorum eſt, continuam Dei legisque memoriam habere. At hoc abſurdum eſt. Ergò tunc non cogitant de lege. At peccant. Peccatur ergò, quin tunc advertatur peccari. Alioquin quærant Confeſſarii, ſicut in juramentis faciunt, an actualem peccati advertentiam tunc habuerint.

41. Similiter ex hac doctrina ſequeretur, peccata ex conſuetudine magna ex parte tolli; conſtat enim peccandi conſuetudine legis memoriam aboleri, & excæcationem induci. Rurſus conſtat culpam non diminui nedum tolli ob habitum peccandi. Jobi 15. *Quanto magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem?* Et tamen hi in quandam legis oblivionem abierunt. Ergò non ſemper legem cogitant, nec conſcientiæ remorſus habent, ſed obſtupuerunt.

42. Demum, ſuperbia, quæ tot animas perdit, adeo ignotum malum eſt ipſis ſuperbis, ut proverbium ſit, Deum ſæpe punire occultam ſuperbiam, manifeſta luxuria. Phariſæus in Evangelio eſt egregius typus in ſe confidentium, qui ſuperbiam ſuam, ejuſque malitiam non agnoſcunt; ſi enim eam agnoſcerent, non adeo confiderent, cùm ſua ipſos remorderet conſcientia. Habemus *Apocal. 3.* Epiſcopum Laodiciæ, cæcum ſanè miſerandum: *Quia dicis, quod dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo; & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper & cæcus & nudus, &c. Collyrio inunge oculos tuos.* Adeo ſuperbiam noſtram non videmus, quin bonos nos exiſtimamus. Concludit Joannes. *Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis.* Ita Celladeus §. 2.

43. Reſpondeo, hæc & omnia ejuſmodi abs re objici, quia proculdubio nec ſunt, nec ſpectant ad peccata ignorantiæ, & inconſiderationis perfectæ, de quibus ſolis nunc agitur. Præterea ex *Aſſert. 2.* conſtat, omnia iſta eſſe peccata imputabilia, etſi in proſequutione operis mali homo aliquando actualiter non advertat ad legem prohibentem. Porrò quamvis hæc ad horum ſolutionem abundè ſufficiant, lubet aliquid ad ſingula reponere, ut argumentum, in quo Celladeus magnam vim ponit, undique infirmum eſſe demonſtretur. Aberrat ab veritate; quæſtionis Scopo.

44. Et quidem inprimis ex eo colligitur, Chriſtianos ad omnium iſtorum peccatorum malitiam ſufficienter attendere, quòd rarò aut numquam de iſtis ſe ob ignorantiâ aut incogitantiam excuſent; cùm tamen ſi ex incogitantia carnes comedant die prohibito, id ad ſui excuſationem diſertè afferant. Quid eſt, Celladee, quod per incogitantiam ex æquo ſe non excuſent, ſi ex eo æquo, ut tu arbitraris inconſideratione laborant? Reflecte ad hoc, & incogitantiam excuſationi aptam in iſtis locum non habere perſpicies; quia aut Virtualis & interpretativa admittit ad peccatum.

aut actualiter, aut certè virtualiter & interpretativè ad legem reflectunt, illamque contemnunt, ut dictum est in probatione assertionis secundæ.

45. Sed quid? verúmne est, vix unum ex quinquaginta qui in ira jurant, pejerant, & blasphemant, actu advertere ad malitiam operis, quod patrat? Celladeus hoc audacter dicit, sed nullam probationem affert, aut afferre potest. Nec mirum, quia moraliter certum videtur, pleroſque Christianos tenuem saltem aliquam peccati notitiam habere; malitia enim talium operum adeo obvia est ut in talibus circumstantiis non possit se non prodere, quamvis homo in decursu actionis non semper actu explicitè ad illam reflectat, ad quam tamen virtualiter semper reflectit, legemque contemnit; ideoque non excusatur.

46. Idem à fortiori locum habet in homicidiis, etiam in rixa factis: incredibile enim est injustos aggressores ad malitiam seu peccatum homicidii plerumque non advertere; imò non est credibile eos ad illud initio saltem operis intenti non advertere. Unde etiam ex hoc capite semper præsumuntur culpabiles. Non ergò solùm peccant propter iracundiam, sed etiam propter homicidium: primò quia satis advertunt ad malitiam homicidii: secundò quia saltem satis advertunt ad ejus periculum; hoc autem sufficit, ut ipsius homicidii & sint & censeantur rei; qui proinde méritò ut tales juxta leges puniuntur. Quod si aliquis in rixa, nil cogitans de homicidio, ex ira subitanea ita excandescat, ut nec ad homicidium, nec ad homicidii periculum advertat, difficile erit Celladeo probare, illum homicidii reum esse coram Deo, aut etiam ab hominibus habendum homicidam, si illis demonstraret se tali modo præter intentionem homicidium perpetrasse. Ego dico illum in eo casu homicidii reum non esse, & cum Antiquis Theologis ac S. Thoma id probo, quia ob similem incogitantiam non est reus parricidii casu quo parentem interficeret. Ergò nec homicidii. Utrumque enim involuntarium est, cùm utrumque sit incognitum. Quod si ad homicidium, aut ad parricidium advertat, incredibile est, quod ad malitiam talis actionis sufficienter non advertat, aut ad obligationem ab illa abstinendi, propter malitiam illius, &c. quia hæ notiones ita sunt connexæ, ut cùm venitur ad praxim vix aut ne vix quidem separari possint.

Rarissimè cõmittitur homicidiũ sine aliqua advertentia ad malitiam peccati.

47. Similis responsio locum habet in iis, qui vehementi amoris stimulo agitati, qui sæpe actualiter, & semper aut fere semper virtualiter de malo cogitant, quando liberè operantur. Quando inquam liberè operantur, quia aliquando videntur non frui libertate saltem pro singulis temporibus, quod etiam suo modo, etsi minùs frequenter, in iracundiæ peccatis evenit. Atque hinc est, quod in istiusmodi casibus Confessarii interrogare non solent, an animadverterint se peccare; quia benè norunt eos ad hoc sufficienter advertisse, & pœnitentes ipsi firmam de eadem veritate persuasionem habent. At aliter se res habet, quando homo iracundiâ incitatus jurat; tunc enim nulla adest occasio cogitandi de malo juramenti, antequam illud ipsum jamjam prolaturus est; tunc autem ex subito motu fieri poterit, ut aut nullo modo, aut valde imperfectè & tenuiter de illius malitia cogitet, quia juramentum ex se malum non est. At de perjurio & blasphemia aliter dicendum est, illa enim per se propriam malitiam produnt. Unde rarò aut numquam excusantur à peccato, qui talia in iracundia faciunt, quamvis defectus deliberationis, & imperfectior apprehensio mali, atque etiam passionis vehementia malitiam minuant, & fortasse aliquando veniale reddant quod aliàs fuisset mortale. Cæterùm qui norunt se ad ista rapi in iracundia, eo ipso graviùs peccant, quando irâ excandescunt, quia satis advertunt ad horum omnium periculum, quorum proinde malitia illis tribuitur. Non ergò frustra interrogant Confessarii de advertentia mali quando juratur ex iracundia, quamvis in peccatis luxuriæ talem interrogationem rarò aut numquam adhibeant, quia sciunt ista ex sufficienti notione malitiæ patrari solere, quamvis illa non rarò sine tali advertentia committantur.

Defectus deliberationis uti & apprehensionis imperfectio malitiam actionis imminuunt.

48. Circa peccata ex consuetudine & habitu patrata, dico ea frequentissimè fieri sine remorsu conscientiæ, id est sine timore & dolore quo voluntas timorata ex advertentia peccati concutitur; sed quòd ea fiant sine advertentia mali, quatenus illa se tenet ex parte intellectûs, falsum est; quod ex duobus colligitur, scilicet ex talium testimonio & ex ratione. Ex illorum testimonio, quia illi rarò aut numquam se excusant per inadvertentiam mali, quando ex mero habitu contracto operantur, satis enim advertunt se male agere, saltem dum opus aggrediuntur; quod non impedit quo minus per suam malitiam excæcentur; excæcatio enim non omnem legis memoriam abolet, sed solùm practicam illam advertentiam, qua homo terretur, & retrahitur à malo, illudque ut valde damnosum vivaciter apprehendit. Nec mirum, quia excæcatio potissimè consistit in duritia cordis, ratione cujus homo nec admonitionibus & inspirationibus movetur, non quòd non videat malum, sed quòd illud non æstimet, nec propter illius debilem propositionem moveatur, sed ita se habet ac si nil apprehenderet; adeo ut de illis dicere possimus videntes non vident, & audientes non intelligunt. Non ergò carent omni notitia mali & legis prohibentis, sed sicut ab initio lex proponebatur, & cum aliquo remorsu & tristitia contemnebatur, ita etiam postea proponitur, sed paulatim remorsus minuitur, donec habitualiter & cum quadam voluptate contemnatur, eò quòd conscientiæ morsus, timor mali imminentis, & præsentis peccati dolcn non sentiatur in voluntate.

Peccata ex consuetudine orta, quidé subinde sine remorsu, sed non sine advertentia.

49. Quod si malitia peccati ex habitu commissi non minuatur, nos non urget, sed Celladeum. Non nos, qui dicimus notitiam legis per habitum pravum non tolli, sed legem facilè & cum quadam voluptate contemni. Itaque cum ex una parte cognitio prohibens non desit, & ex alia voluntas majori vi, majoreque quadam voluntarietate sese effundat, fit ut opus, omnibus inspectis, sit tam voluntarium ac turpe, quàm erat ab initio; idque verum est, quamvis clarior cognitio mali haberetur in initio; tunc enim ex parte voluntatis aliquid involuntarii aderat, quia malitia actus aliquo modo displicebat; & quidem multo magis, quàm postea, quando homo ex habituali legis contemptu illam cum voluptate & facilitate negligit. Itaque nos clarè explicamus, quomodo malitia operationis ob habitum non minuatur; sed Celladeus hoc explicare nequit, si omnis legis advertentia absit, quando ex habitu peccatur, quia haud dubiè minus peccat, qui legem sciens prævaricatur, quàm qui nil de illa cogitans in illam impingit.

50. Confirmatur, quod de excæcatione, & habitu pravo dictum est. Contemnat aliquis legem

gem apparentem non semel sed sæpè, ita ut habitum & facilitatem contemnendi legem apparentem acquirat. Profectò is æquè excæcatur, aut magis, quàm ille qui habitum peccandi sine ulla legis advertentia contraxit; habet enim cor durius altero, cùm legis vetantis & offensæ divinæ notitia actualis illum non stimulet, nec possit illum à malo deterrere, quæ tamen alium aut emendaret, aut terreret. Sanè de hujusmodi homine verissimè dicitur, quod videns non videat, & quod audiens non intelligat. Itaque ex titulo excæcationis non infertur, quod excæcatus, dum peccat, actualem legis notitiam non habeat, cùm maximè obcæcati ac indurati contra actualem legis notitiam cum magna voluptate, & sine difficultate peccent, & iniquitatem etiam notam bibant sicut aquam.

Excæcatio non obest malitiæ operationis.

51. Superbia non ita latet superbos, ut Celladeus autumat; si enim lateret, eam sub humilitatis & moderationis pallio studiosè non tegerent. At experimur eos nolle videri superbos, sed sollicitos esse ut habeantur moderati, &c. Ergò superbiam norunt esse vituperabilem, malam, & prohibitam. Ergò quando elatis excellentiæ suæ cogitationibus ac affectionibus, aliorumque contemptu inflantur, satis bene norunt, & advertunt ea esse mala, quia aut actualiter, aut virtualiter timent, ne talem suum animum prodant, & habitualiter saltem dispositi sunt ad eam omni conatu, sub demissi animi specie occultandam. Itaque superbi satis advertunt se male agere, quando amore propriæ excellentiæ abrepti, seipsos magni faciunt, atque in donis suis indebitè gloriantur. Nec in hoc magna apparet diversitas, inter superbum, & gulosum, vel iracundum. Non enim ostendi potest exemplum peccati mortalis in materia superbiæ, in quo ratio mali magis lateat, quàm in aliis materiis.

Superbum non latère turpitudinè superbiæ, suadet ipsa experientia,

52. Deus quidem sæpe punit latentem superbiam manifestâ luxuriâ; verùm superbia illa non ideo dicitur latère, quòd homo non satis adverterit ad malum superbiæ, quando mortaliter peccavit; sed vel quia alios latet, vel quia ipse superbus postea parvi æstimat suum fastum, illumque pro exiguo defectu habeat, quamvis Deum graviter offendat. Hac ratione superbia occulta dicitur, quia illius magnitudo superbum latet. Est & alia ratio, ob quam superbia latet superbum. Superbia est peccatum capitale, atque sæpe in tantum est mortale, in quantum alia peccata inducit. Jam sæpe homo labitur in aliquod peccatum occasione superbiæ, cùm tamen ipse lapsum illum aliis causis tribuat, ideoque sollicitus non sit ad superbiam reprimendam, quia illam sibi parum noxiam arbitratur, ideoque nec ab aliis peccatis emendatur. Deus autem ut oculos ejus aperiat, permittit illum in ea labi, quæ numquam cogitasset se patraturum, ut sic tandem cognoscat latentem superbiam suæ ruinæ causam præbuisse. Præterea sicut ille qui peccata venialia non curat, & quasi modica spernit, facilè labitur ad mortalia, Deo tantam incuriam puniente; ita pariter ob venialia superbiæ peccata, quæ homo superbus parvi facit, Deus aliquando permittit lapsum in mortale, ut homo discat se non efferre, nec in se gloriari, sed omne bonum soli Deo ascribere, & in illo solo omnem spem & fiduciam collocare, &c. Hac ratione superbia latet, & Deus latentem superbiam patentiore lapsu aliquando punit.

Quo sensu superbia dicatur occulta.

53. Porrò sicut luxuriosi ac gulosi plurimum gaudent, sibique blandiuntur in bonis sensibilibus, etsi satis advertant ea esse peccata; ita pariter superbi se efferunt, ac in suis dotibus gloriantur, etsi id esse malum discernant: nec in hoc ulla est diversitas inter superbos & alios, nisi quòd superbi ad propriam excellentiam, alii ad alia bona indebitè & contra legem afficiantur, quodque in materia superbiæ difficilè sit discernere quodnam sit peccatum mortale, cùm illud in aliis materiis certò innotescat. Sed ut omnes videant superbiam maximam, suique æstimationem ac confidentiam maximam, non excludere notitiam legis illam vetantis, consideretur Lucifer superbiæ pater, & dicatur, an ille dum superbè se extulit, legis divinæ nullam notionem habuerit? Nemo certè hoc dixerit, qui conditionem naturæ Angelicæ novit, & ad singularem dispositionem naturæ & gratiæ Angelis antè lapsum collatam aspexerit. Ergò quòd superbi in se confidant, quòd se efferant, &c. non probat eos legis probibentis aliqualem saltem advertentiam non habere, quando actu peccant peccato per se imputabili, quamvis postea illius oblivi-scantur, aut putent se non errasse. Quod si actu de malitia superbiæ nullo modo cogitent, tunc temporis aut non peccant si invincibiliter non cogitent de rei malitia, aut solùm peccant peccato imputabili non ad peculiarem pœnam, sed tantùm propter negligentiam, ex qua talis inconsideratio ortum traxit.

Differentia inter superbum & alios.

54. Episcopus Laodiciæ reprehenditur à Sacra Scriptura ob tepiditatem, magis quàm ob superbiam; videtur autem divitiis abundasse, atque ob illarum copiam & commoditates in spiritualibus exercitiis, atque aliis muniis suo officio debitis valdè intepuisse. Excitatur ergò, & commonetur ut fervore spiritûs teporem excitet, seque bonis operibus divitem faciat, &c. Quod si in superbiam etiam inciderit, nil inde inferri potest contra nostram assertionem, cùm inde non probetur, quòd sine ulla actuali advertentia ad malitiam peccaret peccato per se præcisè imputabili, de quo tamen solo præsens quæstio procedit. Quæ cùm ita sint, mirandum est, quod Celladeus illo S. Scripturæ dicto concludat: *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis*; ita enim loquitur, ac si insinuare vellet, S. Joannem eò allusisse, ut approbaret sententiam illius, nostram verò condemnaret. Verùm quàm debiles & inanes sint istiusmodi conjecturæ satis colligitur ex dictis.

Exemplum Episcopi Laodicæ inefficax.

SOLUTIO ULTIMÆ OBJECTIONIS Celladei.

55. OBJICIT quartò. Peccatur per ignorantiam, & ex ignorantia: sed qui actu advertit se peccare, non peccat per ignorantiam aut ex ignorantia. Ergò peccatur, quin advertatur peccari. Major censetur certa de fide, ut ostensum est quæst. præcedente. Minor patet ex terminis, quia peccare per ignorantiam, & ex ignorantia, est ignorando peccare, sicut peccare cognoscendo est scienter & advertenter peccare. Ergò peccare per ignorantiam & ex ignorantia opponitur peccare cognoscendo & advertendo, sicut scientia & ignorantia opponuntur. Ergò peccatur quin advertatur peccari.

56. Confirmatur. Ignorantia est causa peccati solùm per accidens, quatenus removet cognitionem peccati, quæ si adesset, peccatum non commit-

committeretur. Ergò quando peccatur ex ignorantia, cognitio peccati abest, alioquin non solùm non peccaretur ex ignorantia, sed ipsa ignorantia non esset, cùm per cognitionem peccati excluderetur. Et sanè hoc verum est, sive peccetur ex ignorantia simpliciter dicta, seu ex privatione notitiæ & scientiæ habitualis, sive ex carentia seu absentia actualis considerationis in eo, qui scientiam habitualem obtinet, utroque enim modo peccatur. Ergò peccatur, quin hoc in particulari sciatur esse peccatum. Ergò quin ulla cogitatio de hoc malo in particulari, sive in specie, sive in singulari in mentem venerit.

57. Secundò sic arguo. Quando homo sub gravi, vel levi peccato tenetur attendere, quando orat, aut consecrat, &c. peccat quando non attendit, quia peccatum in non attentione consistit. At non advertens, & non attendens, tunc saltem actu non advertit se non advertere; alioquin adverteret & non adverteret; attenderet simul & non attenderet. Peccatur ergò saltem, quin actu advertatur peccari. Ratio à priori est, quia Deus præcipere potest attentionem actualem: in eo autem casu non attendere potest esse peccatum, sicut potest esse voluntarium, sicut est, quando poterat & debebat attendere, sed vel ex affectatione, vel negligentia non vult attendere.

58. Iterum sic tertiò instatur. Tu dicis, nisi actu advertas te peccare non peccas: At Deus dicit, *num. 15. Si anima nesciens peccaverit, afferet capram anniculam pro peccato suo, & deprecabitur pro ea Sacerdos, quod insciа peccaverit coram Domino, impetrabitq; ei veniam, & demittetur ei.* Tu dicis, si diei oblitus (quomodolibet oblitus fueris) die Veneris carne vescaris, aut oblitus horas non recitas, non peccas. At Deus *Levit. 5.* dicit, *Anima quæ tetigerit aliquid immundum, &c. & oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, & deliquit.* At Deus non fallitur. Ergò tu falleris, & fallis. Tu dicis: non pecco, si non cognosco me peccare. Augustinus in libris Confess. dicit: *Eo insanabilius peccabam, quo me peccare nesciebam.* Cui standum? Cum Augustino. S. Thomas, *in 2. dist. 22. quæst. 2. art. 2.* & S. Bonaventura *art. 2. quæst. 3.* hoc Augustini dictum accipiunt, ut jacet. Tu negas vel alteras. Hi fuerunt amatores legis & Sancti. Ergò quando agitur de lege, ut nunc agitur, stultum est meliores testes quærere.

58. Demum omnes Theologi ponunt conscientiam erroneam, nemo tamen dicit omnem conscientiam excusare. Ergò aliqua non excusat. At illa dictat illud esse bonum quod est malum. Ergò peccatur, quando actu non advertitur peccari. Ita Celladeus § 3.

60. Respondeo Celladeum triumphare non solùm ante victoriam, sed etiam ante prælium, quia neminem contradicentem habet, cùm putet se ex Sacra Scriptura & PP. fatale in nos telum torquere; sed aërem verberat, neminem ferit. Et sanè mirum est, si putet, se communem Theologorum opinionem his argumentis impetere; eo ipso enim judicare debet, eos in rebus ad finem sat clarè pertinentibus turpissimè errasse. Nónne ad hoc argumenta hæc tua collimant, Celladee? Cur ergò hoc clarè non objicis? Si te puderet hæc clarè objicere; pudeat eadem sub tegumento nimis pellucido, ut facis, contra eos proponere. Itaque uno verbo respondeo, sæpe peccatur quando non advertitur peccari, tunc scilicet, quando ignorantia aut inadvertentia est culpabilis, seu quando & poterat & debebat vitari. Hos probavimus nos, hoc omnes admittunt, nec aliud probant quæ tu attulisti. Sed in hoc versatur tua æquivocatio, tu semper vis peccatum puræ ignorantiæ novam distinctamque ab aliis omnibus peccatis malitiam continere. Hoc nos negamus, & dicimus, tam absolutam & integram ignorantiam & incogitantiam mali, etsi vincibilem, quàm opus à tali ignorantia directum ab una eademque negligentia sciendi verè esse & denominari peccatum, nec aliam peculiarem maculam, aut reatum pœnæ afferre, quàm quæ dictæ negligentiæ culpabili debetur. Si quid contra hoc habuisses afferre debueras, quia quæ dixisti hoc non impugnant, ut satis patet. Sicut nec probant, nos tunc peccare, quando præsens inadvertentia est inculpabilis. Ergò nil probant contra Auctores, quos impugnare prætendis, quia illi solùm docent eos actu non peccare, qui inculpabiliter actu non cogitant de peccato. Si verò quis de præsenti non cogitet, sed ex culpa priori non retractata in hanc incogitantiam devenerit, peccat quidem, sed non novâ malitiâ, & imputabilitate; sed eadem malitia & imputabilitas culpæ prioris applicatur huic operi, illudque constituit imputabile. Atque ex his, atque doctrina in assertionibus asserta, patet responsio ad argumentum, quod per positam distinctionem sponte ruit, cùm umbram difficultatis non habeat.

Usitata adversarii Hallucinatio.

61. Cæterùm multis modis homo dicitur peccare per ignorantiam & inadvertentiam, ut dictum est, quorum aliqui verè continent peccatum malitiæ, ideoque non spectant ad præsentem quæstionem, quæ procedit de integra & absoluta inconsideratione peccati. Hanc dicimus impedire omne peccatum si non sit imputabilis; si verò sit imputabilis, & actu imputetur, solùm impedit omnem novam malitiam & culpam, sed non facit quo minus à priori culpa inficiatur, & communi imputabilitate constituatur peccatum. Hoc solo genere peccati peccatur, quando non cogitatur peccari. Et hoc solùm probat argumentum primo loco propositum, nec aliud ex confirmatione inferri potest.

Quando inconsideratio impediat malitiam, quãdo non?

62. Ad secundum lex obligans ad attentionem solùm obligat ad diligentem conatum: si hic adhibeatur lex non violatur, quamvis actus non attendatur. Cæterùm lex ista violari potest, etiam ab eo, qui advertit se non attendere, sed ad alia distrahi. Profectò homines sæpe reflectunt se distractos esse, nec tamen ideo attendunt, ut lex requirit; unde si semper talem reflexionem haberent, nec aliud cogitarent, quàm tunc cogitant, legem violarent, nec attentionem debitam haberent. Unde perperam intulit Celladeus, quod non attendens non possit actu advertere ad suam non attentionem. Verùm si explicasset, quæ sit attentio, quam lex præcipit, clarè vidisset eam nec poni, nec posse poni per hoc, quòd advertam, me illam non ponere. Inanis ergò est illatio secundi argumenti.

Ad quid obliget lex præcipiens attentionẽ, & quomodo violetur?

63. Ad tertium, totum admittimus, quod ex Sacra Scriptura affertur, sed & locum illum Augustini, ut sonat admittimus; quia nil clarius, quàm peccatum quodvis eò esse insanabilius, quò magis est ignotum. Cæterùm nos nil eorum, quæ Celladeus objectat, tam crudè accipimus, ut ille proponit; immo simpliciter loquendo falsa dicimus esse, quæ ille asserit nos pro veris docere. Quod si cum distinctione accipiantur, nil est, in quo vel apparenter nos Deo, aut sanctis contraria tradere appareat. Sed illi lubitum est ex

terminorum indistinctione ac æquivocatione latente imperito lectori fucum facere. Cæterùm mirandum est, quod tam fidenter dixerit, nos affirmare, *quod si oblitus fueris, quomodocumque fueris oblitus diei, non pecces, si die veneris carne vescaris.* At quis quæso hoc dixit? Nec unum inveniet, qui tam absurdè loquatur; quia omnes, ut benè advertit in ultimo argumento, expressè docent conscientiam vincibiliter erroneam non excusare. Ergò per omnes peccant aliqui, qui errant & non cogitant, quando poterant & debebant cogitare & non errare. Ergò non dicunt, *quod quomodolibet non cogitet aut erret, non peccet*, sed talem propositionem sine debita limitatione non admittunt. Quid hoc aliud est quàm absurdas opiniones gravissimis viris imponere? Cave, Celladee, à talibus, quia causæ tuæ non prosunt, sed tibi maximè obsunt.

Adversarius Lectori incauto imponit.

64. Demum quod attinet ad S. Thomam & S. Bonaventuram, ex dictis constat, eos in terminis præsenti nostræ opinioni subscribere, ideoque nos talibus testibus libenter stare, nec meliores eo fine quærere, quasi putaremus illorum suffragium non sufficere. Hæc sunt, quæ Celladeus objecit, quæ certè, & modicam vim habent, & meo judicio difficultatem vix tangunt. Quare videndum est, quid Auctores nostræ sententiæ sibiipsis objiciant, & perpendendum, qui magis ad debitum scopum colliment, qui validiora argumenta objiciant, illi an Celladeus?

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Communes.

65. OBJICIT primò. Quando homo tenetur aliquid scire, & ad illud advertere, scientia & advertentia talis rei est in ejus potestate, quia nemo tenetur ad impossibile. Ergò talis ignorantia est vincibilis, & indirectè saltem voluntaria. Ergò non excusat. Unde *cap. si culpa de, injuriis*, dicitur ignorantiam non excusare, quando quis debuit scire, Et *Instit. de lege Aquilia*, §. *Præterea*, dicitur, imperitiam in re ad proprium officium pertinente non excusare. Quare jura clamant, paria esse scire & debere scire. *L. Quod se mihi, ff. de rebus cred.* Ita Sanchez sibi objicit, & in particulari casu non advertentis ad præceptum jejunii sic urget. Talis homo tenebatur scire & advertere, quia tenebatur ad jejunandum. Ergò poterat illud scire & ad illud advertere. Ergò illi imputatur si non advertat.

66. Respondeo, cùm Suario de censuris *disp. 4. sect. 8. num. 18.* & cum Sanchez loco citato, hunc hominem per se teneri ad hanc scientiam & advertentiam; ad quam sufficit, ut sit per se loquendo in homine potestas sciendi. At per accidens hîc & nunc non teneri, sed suspendi illam obligationem, seu potiùs ab illa excusari ob impotentiam proximam ac moralem, quæ ex naturali ac necessaria ignorantia aut incogitantia oritur. Itaque argumentum solùm procedit de potentia & obligatione proxima ac morali, de qua optimè concludit. At si sermo sit de potentia & obligatione remota, falsum est, quod æquiparentur scire & debere scire. Itaque & jura, & Doctores de hac materia loquentes intelligendi sunt de potentia proxima, & morali, quæ certè non adest, quando datur plena inadvertentia; quia tunc non est proximè in nostra potestate talem ignorantiam aut inconsiderationem expellere Unde sequitur, ad aliud non esse reflectendum quàm ut videamus, an ista incogitantia & ignorantia fuerit culpabilis, & ideo culpæ vertatur, quod ex negligentia culpabili inducta fuerit. Si fuerit non excusat, sed & ipsa & opus ab illa directum imputabitur ad peccatum, eadem imputabilitate cum ipsa negligentia præcedente. Si non fuerit culpabilis, sed aliunde non à negligentia illa ortum habuerit, penitus excusabit. Itaque Argumentum hoc debitè acceptum totam nostram assertionem validissimè confirmat. Porro in viris timoratæ conscientiæ, quique diligentiam probis consuetam adhibent, maximè autem in iis, qui firmum non peccandi propositum habent, omnis ejusmodi inadvertentia præsumitur naturalis & inculpabilis. In reliquis autem res est diligentiùs perscrutanda.

Quomodo æquiparentur scire & debere scire in ordine ad moralitatem.

67. Objicit secundò. Si ad peccatum expressa consideratio malitiæ aut periculi esset necessaria, sequeretur primò quod omnes ferme excusarentur ab innumeris peccatis exterioribus, quæ sine tali consideratione fiunt. Verbi gratia ille excusaretur qui subito motu alium percuteret, non consideratâ rei malitiâ. At hoc videtur absurdum. Ergò circa opera exteriora non requiritur illa expressa consideratio, ut sint peccata mortalia. Ergò neque requiritur circa affectiones internas, sed utrobique sufficit interpretativa consideratio vel deliberatio.

68. Sequeretur 2. neminem peccare mortaliter, nisi actu consideret illud esse mortale, & offensam Dei: nam si hæc conditio actûs, & malitia non consideretur, non potest esse libera, & voluntaria, si expressa cogitatio ad libertatem requiratur. Quod si ratio offensæ mortalis non sit voluntaria, sit, ut nullus peccet mortaliter, nisi actu consideret malitiam offensæ mortalis. Excusarentur ergò Gentiles, qui de differentia peccati mortalis & venialis nil hactenus noverunt. Similiter nemo venialiter peccaret, nisi qui actu consideraret opus quod facit, malitiam habere venialem: quæ videntur absurda.

69. Sequeretur 3. quòd numquam peccaretur sine expressa conscientiæ reprehensione; nam cùm ratio actu considerat aliquid esse malum, semper reprehendit voluntatem, si illud amet. Consequens autem est contra illud Pauli 1. ad Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Quem locum tractans Hieronymus *Dial. 2. contra Pelag.* docet contra eos aliqua esse peccata ex ignorantia: *Sæpe enim* (ait) *aliqua malitia nos latet, ubi bene egisse arbitramur.* Atqui credibile non est, Paulo ignorationem aliquam contigisse, sed solùm inconsiderantiam. Demum SS. PP. monent, ut opera virtutum magna consideratione fiant, ne fortè sit reatus criminis, quod putatur causa virtutis. Sed & Sacra Scriptura testatur, homines aliquos sceleratos ex nimia peccandi consuetudine absque ulla conscientiæ reprehensione in peccata prolabi, & quasi aquam ea bibere. Ita Vasquez *1. 2. disp. 107. cap. 2.*

70. Respondeo cum eodem, & ex eodem Vasquio ibidem *cap. 5.* Ad primum respondet Corduba, eodem modo judicandum esse de actionibus externis, atque de internis, ut si nihil appareat mali, vel periculi, sed simpliciter fiant, excusetur homo. Hac de causa quoties aliquis non servat jejunium, nil cogitans de eo, nec in universum nec in particulari, nullus est, qui eum condemnet, nec Confessarii interrogant (communiter saltem, quia quæ in raris casibus fiunt in regulam non veniunt) an potuerit advertere ad præceptum,

præceptum, sed statim judicant illum contra tale præceptum non peccasse. Idipsum frequenter accidit in iis, quæ solùm sunt mala, quia prohibita. In peccatis verò externis, quæ ex se mala sunt, quis non videt, numquam hanc inconsiderantiam contingere? Nam quantumvis aliquis sit obfirmato animo in malo, & iis peccatis addictus, statim ac occurrit occasio operis, & exteriùs operatur, non potest non cogitare aliquo modo malitiam illius, nisi in iis, quæ subito quodam motu fiunt, ut fatetur Corduba. Quod si ita aliquando fieret, non esset peccatum; ut si quis subitò irâ commotus nulla præmissa consideratione alium percuteret. In morosis autem cogitationibus, & affectibus internis, hoc passim evenit, sicut quotidiè experimur.

Incogitātia facilius excusat operā tem in re mala quia prohibita, quâ in prohibita quia mala.

71. Ad secundum Vasquez juxta sua principia respondet, ut alicui imputetur peccatum mortale non esse necessarium considerare rationem mortalis offensæ Dei: hæc enim ratio non est de essentia peccati in genere moris, sed quid consequens illam. Quare respectu illius voluntarium non est necessarium, sed satis est, voluntarium versari circa malitiam moralem, quâ suppositâ, ex natura rei cætera consequuntur. Quare etsi Gentiles non cognoscerent differentiam inter mortale & veniale, nihilominùs peccant mortaliter & venialiter, si sciant distinguere inter grave & leve peccatum; quia pœna, & id, quod ratione peccati consequitur, non debet esse voluntarium. Atque eodem exemplo adversarios possemus urgere; nam Gentiles non possunt considerare rationem mortalis & venialis, quia nullum habent ad hoc principium. Ergò adversarii coguntur dicere Gentiles non ideo peccare mortaliter, quia potuerunt considerare rationem mortalis. Porro eos non esse reos mortalis, quia potuerunt considerare rationem mortalis, patet, quia sicut illi non sunt rei infidelitatis, sed ob alia peccata damnabuntur (ut docet S. Thom. *2. 2. quæst. 10. art. 1.*) quibus mysteria fidei non sunt ullo modo proposita, nec de illis aliquid audierunt; ita etiam non est dicendum ipsis imputari mortale, quia potuerunt rationem mortalis distinctam à veniali considerare, sed quia malitiam moralem cognoverunt, cui necessariò conjuncta est mors animæ, & pœna.

Quo pacto peccent Gentiles, ignari differentiæ inter mortale & veniale.

72. Ad tertium concedimus numquam fieri peccatum, ratione sui imputabile, sine conscientiæ reprehensione, ex parte cognitionis, quæ consistit in cognitione mali, aut periculi: sæpiùs tamen fieri sine illo timore, & cruciatu ex parte voluntatis, quando videlicet quis ex prava consuetudine peccans non terretur à peccato. Quod autem Paulus dicit: *Nihil mihi conscius sum*: nullus interpretum explicat dictum à Paulo propter peccata ex defectu considerationis commissa. Respondeo ergò juxta communem expositionem, ideo Paulum dixisse, *Nihil mihi consc[illegible] sum, &c. sum, &c.* quia licèt sua eum conscientia non accusaret de aliquo peccato, poterat nihilominus revera reus esse alicujus peccati præteriti, quod ipsum tunc lateret, non quia ex defectu considerationis commissum esset, sed quia factum cum consideratione poterat oblivioni traditum esse; cumque Deus nullius obliviscatur, rectè subjunxit. *Qui autem judicat me Dominus est.* Quamvis ergò nec Paulus, nec nos, dum actu peccamus, (intellige peccato per se imputabili) dicere possimus: *Nihil mihi conscius sum*: quia tunc actu conscientia nos reprehendit ipsa saltem consideratione; post tamen peccata quisque rectè dicere potest, *Nihil mihi conscius sum, &c.* Porro Paulum in illo cap. non loqui de conscientia mortalis, sed venialis in seipso, ostendemus infra (inquit Vasquez) *disp. 200. cap. 5.* Meritò etiam Patres docent, ut opera virtutis magna cum cautela fiant, quia accidere potest, ut ex subreptione, & parva attentione venialis aliquo peccato inficiantur, cumque venialia nos facilè lateant propter legum considerationem, ideo admonent, ut cum cautela, & attentione opera virtutis fiant, non quia sine ulla attentione ad malum possimus contrahere peccatum. Hactenus Vasquez de verbo fermè ad verbum.

Quo sensu Paulus dixit: *nil mihi conscius sum, &c.*

73. Ex his constat, Celladeum nil attulisse contra nostram opinionem, quod ab ejus assertoribus objectum & solutum non fuerit. Immò illi plura & difficiliora objecerunt quàm ipse, tamen, hæc omnia dissimulat, & quod absurdius est absque ulla ad eorum responsiones advertentia aut earum impugnatione, argumenta, à gravissimis viris diu antè soluta, agglomerat, atque in illis tamquam insolubilibus gloriatur. Porro eandem methodum in sequenti etiam quæstione servat, ut mox videbimus.

QUÆSTIO SEXAGESIMA QUARTA.

Vtrùm ille aliquando peccet, qui putat se obsequium præstare Deo?

1. HIC iterum conqueri cogor de Celladeo, quòd, cùm Zelum animarum præ se ferat, adeo confusè materiam hanc *quæst. 6. & 7.* pertractet, ut legentibus periculum afferat, non auxilium. Sub notione enim generali absque ulla distinctione rem proponit, de qua apud omnes constat, quod malum aliquando interveniat. Ex hac autem generali & indistincta locutione Lector facilè accipiet ansam periculosè extendendi doctrinam illam extra terminos debitos, nisi proprius quæstionis sensus dilucidè proponatur & exactè stabiliatur. Quod si hoc præstetur, eo ipso montes, quos Celladeus insuperabiles existimat, solo æquantur, & totius quæstionis veritas legentibus plana & perspicua fiet.

ASSERTIO PRIMA.

Error, etiam ille, quo quis putat se obsequium præstare Deo, potest esse voluntarius & culpabilis.

2. PROBATUR. Notorium est, lectionem librorum hæresim & errores continentium sanctissimè prohiberi, ne lectores in errores incidant, &c. Constat tamen plures, curiositate ductos, tales libros legere, & in errores prolabi. His errores illi sunt voluntarii & culpabiles, ut patet. Rursus error & ignorantia sæpe prohibentur, quia merentur prohiberi, ut dictum est. Jam qui scienter tales leges violant, culpabiliter errant. Ergò error illis est voluntarius, & culpabilis. Ex his erroribus illi potissimi censentur, quibus homines decepti dicunt bonum malum, & malum bonum; propter quod à Sacra Scriptura reprehenduntur. Jam inter errores istos, ille eminet, quo quidam errantes putant se Deo obsequium præstare in eo, quod malum est, & Deo displicet, ut etiam ex Sacra Scriptura constat. Hic enim, non minùs quàm alii, esse potest voluntarius & culpabilis, ut patet.

ASSERTIO II.

Qui vincibiliter putat se Deo obsequium præstare in eo, quod malum est & Deo displicet, multipliciter peccare potest in opere, & magis quàm peccarit incurrendo errorem.

3. PROBATUR. Inprimis talis homo peccat ponendo opus; error enim non excusat operantem, quando ipse error vitio vertitur, & ad peccatum imputatur, ut supponitur imputari in casu præsenti. Ergò tam error, quàm opus ab errore regulatum in casu assertionis peccato vertitur, & ad culpam ac pœnam imputatur. Et hac quidem ratione æquè peccatur in errore ac in opere. Secundò taliter operans peccare potest ex zelo indiscreto, ac passione non benè regulata, eò quòd ex invidia, odio, aut alia perversa intentione opus illud ponat. Et hoc contingere potest etiam in eo, qui invincibiliter, immo in eo qui verè putaret opus à se positum Deo placere, atque etiam à Deo præcipi. Ergò haud dubiè eadem ratione peccare potest, qui vincibiliter errat in tali judicio. Ergò homo multis modis peccare potest in opere, quod credit Deo placere. Nec dubium, quin talis homo gravius peccet, quàm si nullo alio titulo quàm opere ab errore illo regulato deliquisset. Quomodo possit aliquis putare se Deo placere in eo quod malum est, & peccare potest?

ASSERTIO III.

Qui invincibiliter, aut inculpabiliter credit se Deo obsequium præstare in opere per se malo, non peccat, modò ex alio titulo indebitè non operetur. Error invincibiliter aut inculpabiliter creditus excusat putantem se obsequium præstare Deo in opere malo.

4. ASSERTIO est certissima, quia secundùm omnes error invincibilis & inculpabilis excusat operantem ex illo errore. Vide. *quæst. 16. de Consc. prob.* ubi hoc ex professo probatur.

5. Hinc autem sequitur, errorem istum, si ex invincibili evadat vincibilis, eo ipso non amplius excusare, quia titulus excusationis aufertur. Similiter si error ille ex vincibili evadat invincibilis, eo ipso excusabit operantem; quia titulus ob quem opus imputabatur aufertur, & titulus ob quem operans excusatur inducitur.

ASSER-

ASSERTIO IV.

Qui absolutè arbitratur se obsequium Deo præstare in opere malo, & undique bona fide, ac sine alia indebita dispositione operatur simpliciter peccat, si vincibiliter erret. Non tamen peccat peccato per se, ac ratione sui imputabili ad peculiarem pœnam & culpam.

Præcipua assertio cõtra Adversarium.

6. ASSERTIO hæc, quæ, ni fallor, directè opponitur intento Celladei, ex iis efficaciter probatur, quibus *quæst. præced.* idem probatum est de ignorantia vincibili, quæ certè repetenda non sunt, maximè cùm satis pateat præsentem talis hominis dispositionem secundùm se in nullo diversam esse ab ea, quam habet alius, qui eundem errorem invincibiliter incurrisset. Ergò malum ex æquo neutri est voluntarium in se, cùm ex æquo ab utroque ignoretur. Ergò alia ratione imputari non potest, quàm ratione vincibilitatis, per quam solam, & in qua sola est voluntarium. Vide etiam *quæst. 16. de Conscientia prob. à num. 31. usque ad finem*, quia hoc ipsum ibi fusè probatum invenies, quæ hîc sine necessitate repetenda non sunt. Atque hæc sufficiunt, ut quæstio clarè proponatur, habeaturque occasio respondendi ad ea quæ Celladeus plurimi facit, & contra nobiscum sentientes objectat.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

7. OBJICIT primò. Verba Christi Joan. 16. clara sunt. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo; & hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Et sanè ex istis verbis unanimis Patrum & omnium sensus est, occisores Apostolorum arbitratos se Deo obsequium præstasse. At, hac persuasione non obstante, haud dubiè peccarunt, idque S. Thomas diversis in locis expresè supponit, atque ad hoc probandum hæc ipsa Christi verba ponderat. Rursus qui zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam, arbitrantur se rectè agere. Et tamen peccant. Ita Celladeus *quæst. 6. §. 1. & 2.* ubi plures adducit, qui dicta illa Sacræ Scripturæ in eundem sensum exponunt. Ibidem refricat dictum Magistri cujusdam (graviſſimum appellat) qui eum in aliqua re culpæ immunem pronunciaverat, eò quòd omnino crederet ipsum existimasse, se in eo Deo obsequium præstare. Ideo autem eum citare videtur, ut ex hoc ipso dicto ipsius convincat eum prorsùs incongruè loquutum fuisse, & non causam pro causa attulisse. *Quid ergò*, concludit, *tam ultrò, quàm falsò assumitur, eos, qui se bene agere putant, ita existimando, & arbitrando non peccare? Annè, qui arbitratur obsequium se præstare Deo & Sacrificium, putat & arbitratur se in eo peccare?* Ita Celladeus.

8. Respondeo, quid hæc ad rem? Quis negat eos, de quibus Christus loquitur, persequendo & occidendo Apostolos peccasse? Sed quid inde? Sequitúrne eos nullam ob aliam causam quam ob merum illum errorem peccatum incurrisse? Nullo modo, immo non sequitur, errorem illum non fuisse affectatum: quia sicut hæretici pertinaces actu adhærent suis erroribus ut veris, contra obligationem satis patentem, eò quòd contra legem Dei satis illis manifestatam Ecclesiæ propositioni stare detrectant; ita similiter ex malitia & errore credere poterant, se Deo obsequium præstare in tali opere, & quod plus est, opus illud à Deo strictè præceptum esse. Sed quidquid sit de hoc, omnes dicere debent, errorem illum fuisse vincibilem. Jàm vincibilitas illius consistit in peccato aliquo non ex errore, sed ex malitia contracto. Quantum autem scimus, peccatum illud toties repetitum est, quoties taliter opinati sunt: in quo casu omnis ille error, & opus ab errore directum ad peccata malitiæ magis, quàm ad peccata ignorantiæ spectarent. Porrò si nullum peccatum malitiæ aderat, sed error ille solùm in causa præterita imputabilitatem habebat, tunc peccabant quidem, sed non peccato imputabili ratione sui, ut ostensum est. Sed hæc & hisce similia Celladeus non distinguit, & ideo non est mirum, quòd hæc ut valida argumenta objiciat, quæ nullam difficultatem habent.

Peccari potest in eo quod bonũ erroneè creditur si error fuerit vincibilis.

9. Dictum porro Magistri illius in circumstantiis expressis valdè prudens ac rationabile fuit, ut ostensum est suprà, pro quo proinde gratiæ agendæ erant, ut ibidem probavi. Absurdum ergò est, talia viro bene merenti objici, & ut absurda sæpiùs refricari. Errat proinde Celladeus in conclusione argumenti, & ex falsa suppositione procedit, quia nemo ex eo præcisè, quòd quis putet se bene facere, infert illum sic opinando & operando à peccato excusari, sed multa alia requiruntur, & post omnia dicitur eum peccare in tali opere, si error sit vincibilis & opus malum, quamvis non sit necesse, opus illud esse peccatum imputabile ratione sui. Adde ipsum errorem illum esse posse supinum aut affectatum, in quo casu taliter errans, non existimaret se peccare materialiter in eo quod facit, bene tamen perciperet se in errore admittendo, & juxta eum operando formaliter peccare, & Deo displicere, ut dictum est.

Hallucinatio Adversarii.

10. Objicit tertiò. Tyranni qui persequebantur Christianos, putabant eos esse magos, & legem stultam prædicare, ut ex gestis Martyrum constat. Judæi præsentes quid non in Christum & sacras ejus Imagines perpetrant? An in Deum notum ita furunt? Et tamen peccant, & ideo à Deo & hominibus puniuntur. Idem dicendum de Mahumetanis & hæreticis, qui Eccl siam persequendo arbitrantur se obsequium præstare Deo, & tamen Deum offendunt. Tu eos excusas, quia zelum Dei in se habent: At Paulus aliter loquitur; dicit quidem eos zelum habere, *sed non secundùm scientiam*, & expertus loquitur.

11. Deinde omnibus Ecclesiæ Doctoribus, ac Spiritualibus animarum Doctoribus semper persuasum fuit, peccari posse per seductionem & deceptionem, nec homines per hoc excusari quòd decepti fuerint, & bonum existimaverint quod fecerunt. Quoties S. Paulus inculcat fidelibus, ut vigilent, ne doctrinis & verbis inanibus seducantur? Quod si decipi malum non est, si opera, quæ decepti bona putamus, honesta evadant, & tam honesta, quàm si non fuissemus decepti, quorsum seductio, ac malæ doctrinæ tantopere cavendæ sunt? Præterea *Væ* scriptum est dicentibus bonum malum, & malum bonum. Item & cæcis ducibus cæcorum. At cæci suam cæcitatem non vident, nec in quo quis cæcus est, se cæcum esse cognoscit. Sed & omnes persuasum habemus, Dei judicium fore strictissimum, & aliter ab illo, quàm à nobis de rebus judicandum. Viri Sancti qui nullum peccatum grave scienter admittunt, meritò formidant, & dicunt

cum Apostolo. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: Qui autem judicat me Dominus est.* Delicta enim quis intelligit. Ita Celladeus §. 3.

12. Respondeo, his omnibus jam abundè satisfactum esse, quia peccata malitiæ frequentissimè adjuncta fuere peccatis ignorantiæ. Quod si peccatum ex sola ignorantia olim tantùm vincibili, nunc autem invincibili ortum habeat, non habet propriam, sed solùm communem imputabilitatem, contra quod ex omnibus hîc objectis formari nequit syllogismus, qui ullam vim præ se ferat, aut in se habeat. Sed qua quæso specie veritatis audet Celladeus dicere, nos eos excusare, qui zelum Dei habent, quamvis mala operentur? Neminem excusamus, nisi invincibiliter erret, in quo casu ab omnibus excusatur. Alios magis aut minùs reprehendendos dicimus, prout ex sola ignorantia aut etiam ex adjuncta malitia operantur malum, quod bonum credunt.

Nemo malum operãs excusatur nisi invincibiliter erret.

13. Qui deceptionem cavendam docent, æquè prohibent deceptionem qua bonum creditur malum, ac qua malum dicitur bonum; unde tam hoc documentum, quam *væ* illud S. Scripturæ ex æquo locum habet in omnibus errantibus, sive tutiora doceant sive minùs tuta. Cæterùm minæ istæ & documenta obligationem tantùm habent in rebus certis, non autem in rebus utrimque probabilibus, ut sæpe dictum est. Atque ideo magnum prorsùs malum est decipi in illis, quamvis decipi in istis malum sit non adeo magnum, ut contendit Celladeus, qui hîc etiam in antiquo suo errore progreditur, supponendo nos docere errorem nullius esse momenti, sed reddere opus tam bonum quàm certa scientia redderet. Verùm nos nil tale docemus, sed totam rem per varias distinctiones proponimus, juxta quas dicimus, quis, quando, qualiter peccet aut excusetur, magis vel minùs rectè operetur. Facilè autem est in communi exclamare contra tales assertiones, quasi verò nos ita sentiremus de rebus in communi sine ulla earum distinctione, sicut Celladeus eas in communi ad invidiam opinionis nostræ, nec sine periculo noxiæ deceptionis in Lectore proponit. Distinguat singula, & videbit, se nullum argumentum contra ullam ex assertionibus nostris attulisse.

14. Demum ad illud de tremendo Dei judicio, justoque omnium proborum metu satis responsum est ex Vasquio *quæst. præcedente*. Præterea Sancti ipsi, qui nullum peccatum, ne quidem veniale deliberatè committunt, adhuc meritò formidant, ne aliquando ex subreptione, aut tentatione non statim suppressa succumbant, & fortè mortaliter peccent. Nec desunt alii justissimi timoris tituli, ob quos se humilient sub potenti manu Dei, atque sibi diffidentes totam suam spem in mera ejus misericordia collocent.

15. Objicit tertiò. Qui tenent incogitantiam & errorem excusare à peccato, & bonitatem in actum inducere, in eo fundantur potissimè, quod bonum & malum, solùm ut apprehensum, constituant mensuram bonitatis & malitiæ. Unde sic discurrunt. Qui agit contra suam conscientiam actualem peccat, ut certum est ex fide. Ergò qui agit juxta suam conscientiam actualem rectè agit. Verùm hæc illatio non subsistit, quia qui agit contra conscientiam voluntariè violat legem, quam dari existimat: at qui operatur juxta conscientiam erroneam non ideo involuntariè violat legem, quia error & ignorantia esse possunt voluntaria, & in eo casu juxta omnes non excusant. Præterea S. Thomas *1. 2. quæst. 19. art. 6.* proponit hanc ipsam rationem adversariorum contra suam resolutionem, dicentem, quod voluntas concordans rationi erranti non semper sit bona, & eandem solvit, dicens consequens non sequi ex antecedente, cùm bonum sit ex integra causa, malum autem ex quolibet defectu. Quod cùm ita sit, miranda est oscitantia Theologi cujusdam, qui ratione & auctoritate S. Thomæ probat, voluntatem discordantem à ratione errante esse malam, & mox subsumit, eadem auctoritate constare, voluntatem conformem rationi erranti esse bonam, cùm tamen certum sit S. Thomam in illo loco ex professo probare voluntatem rationi erranti conformem esse posse malam.

16. Respondeo, Celladeum non posse assignare ullum Auctorem ullius nominis, qui suam assertionem probet argumento in objectione posito, cùm omnes dicant errorem vincibilem non excusare. Sed hunc Celladei defectum circa hoc ipsum argumentum latè impugnatum habes *quæst. 3.* Verum quidem est quod bonitas & malitia moralis actibus intrinseca non desumatur nisi à bonitate & malitia ut apprehensa; verùm hoc non tollit, quo minus actus aliquis in specie physica virtutis constitutus careat bonitate meritoria; quia actus ille ab alio actu infici potest, ne vim habeat movendi ad præmium, quamvis intrinsecè sit actus virtutis. Sic qui ex motivo malo imperaret sibi actum virtutis, eliceret quidem actum virtutis, sed impediret quo minùs ille movere posset Deum ad præmium conferendum unde actus ille esset potiùs physicè quàm Ethicè actus virtutis. Idem valet in casu conscientiæ erroneæ; elicitur enim actus contentus in specie illius virtutis, quæ menti objicitur, inde tamen non sequitur, quod actus ille sit simpliciter ethicè bonus, ad hoc enim à nullo alio infici debet. At quando conscientia vincibiliter errat, datur peccatum, à quo actus ille inficitur, & constituitur imputabilis & peccatum. At si error sit invincibilis, tunc actus est moraliter bonus, quia nil est quod impediat, quo minùs intrinseca bonitas actûs totam vim suam exerat, &c. Hæc autem omnia fusè explicata sunt *quæst. 3.*

Aliud est actum virtutis physicè, aliud ethicè, & in ordine ad præmia.

17. Quod ad Theologum illum attinet, non habeo quod dicam, quia non novi quid teneat. Suspicor autem eum, aliud noluisse, quàm quod voluntas concordans rationi invincibiliter erranti sit simpliciter bona, quia hoc est quod S. Thomas expresè docet in illo articulo, ut ostensum est *quæst. 3.* Quod si loquatur etiam de errore vincibili, suspicor eum aliud significare non voluisse, quàm quod voluntas à puro errore regulata, nec ullo actuali peccato malitiæ infecta, sit actus veræ virtutis, seu actus intrinsecè & essentialiter bonus, bonitate physica ejus virtutis in cujus motivum fertur. Hoc enim verum est, & efficaciter probatur ex argumento à Celladeo allato. Inde autem intulit quod actus ille non sit peccatum ratione sui imputabile, quia hoc repugnat actui habenti specificationem physicam virtutis, ut patet. Verùm non docuit actum illum esse simpliciter bonum ethicè, cùm si error fuerit vincibilis extrinsecè denominetur malus & sit peccatum imputabilitate non intrinseca & essentiali, sed intrinseca & accidentali. Quæ omnia confirmari possunt ex illo S. Thomæ dicto. Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu. In hoc autem nil est, aut contra S. Thomam, aut cõmunem opinionem, sed omnia veritati consonant.

nant: quod si Theologus ille alia ab istis docuerit, non sum qui ejus patrocinium suscipere velim, quia ego communem tantùm causam defendam suscepi. Cæterùm argumentum Celladei contra quæstionem juxta nostras assertiones propositam nil probat.

18. Objicit quartò. Opponunt mihi, inquit Celladeus §. 5. quod mea opinio incidat in errorem Novatorum, qui tenent ignorantiam nobis in statu lapso invincibilem, & solùm vincibilem in Adamo, non excusare à peccato. Subsumunt mox de suo adversarii: sed quoties non adest actualis cogitatio peccati, est ignorantia invincibilis; multò verò magis, si existimamus nos Deo obsequium præstare. Ergò si nihilominus peccemus, ignorantia invincibilis non excusabit. Sic illi: sed contrà primo, quia hæc nova ignorantiæ invincibilis explicatio omnia ignorantiæ & ex ignorantia peccata convellit, & plura alia tollit, ut in superioribus ostensum fuit. Præterea ideo, actualis advertentia ad ignorantiam vincibilem requiritur, ut cùm ex ignorantia peccamus possimus ignorantiam tollere. At hoc vanum est, nam in illo instanti, in quo urget operatio, ignorantia tolli nequit, sed antea potuit, & postea poterit.

19. Contra secundò, quia adversariorum opinio plurimum favet Novatorum errori, assumunt enim dictam ignorantiæ invincibilis explicationem, & sic arguunt. Quoties actu non advertitur peccari adest ignorantia invincibilis. At non quoties actu non advertitur peccari excusamur. Ergò non quoties adest ignorantia invincibilis excusamur. Et quidem Novator pro sua minori confirmanda habebit Sacram Scripturam, Sanctos Patres, & omnes antiquos Theologos. At Adversarii nihil auctoritatis hactenus attulerunt, nec afferre, credo, possunt, qua probent, non peccari nisi actu advertatur peccari. Ita Celladeus *loco citato.*

Affinitas inter sententiã Adversarii & Novatorum.

20. Respondeo, opinionem Celladei haud dubiè reipsa accedere ad errorem Novatorum, quia sicut illi volunt omnem ignorantiam esse vincibilem in Adamo, atque ideo non excusare quamvis in hoc statu vinci nequeat; ita ille vult incogitantiam præsentem esse vincibilem, quamvis in tota præsenti operatione humana consideratio legis non sit in nostra potestate, & quod plus est videtur hoc dicere, tam universaliter, ut innumeros casus includat, in quibus ostendere non potest, quomodo ea inconsideratio fuerit voluntaria & imputabilis, nisi ad Adamum recurrat. Rursus sicut illi dicunt opera ex ignorantia facta, non solùm tribui culpæ & imputari imputabilitate peccati originalis, quamdiu non est remissum (in quo dicto nil mali est) sed volunt illa habere imputabilitatem & malitiam specialem non solùm ante sed etiam post deletum originale; ita ille Celladeus videtur velle, opera ex plena inconsideratione mali facta habere imputabilitatem propriam, distinctã ab imputabilitate causæ per quam inconsideratio & ignorantia contracta est, idque non solùm ante, sed etiam post negligentiam retractatam. At hæ duæ opiniones reipsa non differunt, nec ovum videtur ovo similius, quàm una ex istis sententiis alteri, fudabitque Celladeus antequam dederit realem diversitatem inter utramque. Nec refert, quod verbis discrepet, dicatque ore aperto ignorantiam invincibilem excusare, quia vix admittit ullam ignorantiam esse absolutè invincibilem; illa autem, quam dicit esse invincibilem, erat vincibilis in causa, & consequenter æquè imputari debet ac illæ, quas vocat vincibiles. Uno verbo quidquid Novatores vocant invincibile, apud illum est vincibile, & quidquid ille vocat invincibile, est apud Novatores simpliciter vincibile in causa, sicut reliqua, quæ ipse vincibilia appellat. Ergò in re nulla videtur diversitas inter sententiam utramque. Meritò ergò objectum contra ipsum est, quod in Novatorum opinionem incideret.

21. Cæterùm Celladeus errat in proponendo argumento contra se; quamvis enim dicamus absolutam & omnimodam incogitantiam mali pro toto tempore operationis humanæ durantem, esse hîc & nunc humano modo insuperabilem, non tamen universaliter negamus, eam esse simpliciter vincibilem, quia scimus, quod à priori negligentia oriri potuerit. Itaque solùm dicimus opus puræ ignorantiæ & incogitantiæ, maximè si etiam credamus illud Deo placere, nullam habere propriam, nec aliam posse habere malitiam, quàm quæ negligentiæ priori convenit; sed nec illam participabit, si culpæ illius remissionem obtinuit. Hæc est substantia nostræ sententiæ, quam Celladeus non solùm non impugnavit, sed ne quidem explicavit. Præterea in eo falsus est, quòd dicat nos definire ignorantiam invincibilem per actualem incogitantiam; nemo enim per eam definit talem ignorantiam, sed omnes communem ejus definitionem afferimus, quamvis verum est, omnimodam incogitantiam de præcepto toties esse invincibilem, quoties non peccamus in talem incogitantiam incidendo, ut dictum est.

Summa sententiæ nostræ quã Adversarius nõ impugnat.

22. Prima replica fundatur in falsa suppositione, quia nostra sententia non tollit peccata ignorantiæ, sed explicat quæ & qualia sint ejusmodi peccata, ut patet ex dictis. Similiter repugnat, ignorationem legis esse hîc & nunc vincibilem in eo, qui toto tempore operationis humanæ nullam de lege apprehensionem, aut suspicionem habuit, quia de tali homine verum est, quod eam ignorationem expellere non possit. Jam hoc vanum non est, quia hoc efficaciter probat, opus illud non esse imputabile ratione sui, cùm malum illius hominis hîc & nunc non sit voluntarium per actum quem elicit; quamvis hoc non obstet, quo minùs sit voluntarium in alio, & sic imputetur ad culpam imputabilitate causæ à qua processit.

Quando ignorantia legis est invincibilis quando vincibilis?

23. Secunda replica retorquet argumentum in nos, sed prorsùs invalidè, quia non sincerè proponit sensum nostræ sententiæ. Nos enim solùm dicimus, quod quoties in toto operationis humanæ decursu nullam habemus apprehensionem mali, toties illam hîc & nunc invincibiliter ignoremus, ac proinde quod non ponamus opus ratione sui imputabile, quidquid sit, an præsens incogitantia sit vel non sit culpabilis ob negligentiam priorem, quia aliquando est aliquando non est culpabilis. Si non sit culpabilis, nullum committitur peccatum; si sit culpabilis committitur quidem peccatum, sed quod aliam non habet imputabilitatem, quàm quæ competit causæ, ob quam est & dicitur culpabilis. Jam hæc doctrina nullo modo favet Novatoribus, sed in omni apice illis diametraliter opponitur. Quando enim subsumunt: Non excusamur, quoties non advertitur peccari; distinguendum est: non excusamur à peccato per se imputabili, negatur, & in hoc ab ipsis dissentimus: non semper sed solùm aliquando excusamur à peccato imputabili solùm in alio, conceditur. Sed illi in hoc etiam dissentiunt, quia volunt semper peccari, & quidem per propriam

Adversarius minùs sincerus.

Sententia nostra minimè favet Novatoribus.

priam imputabilitatem. Jam Auctoritates quas Novator affert pro illa minori nullo modo improbant nostram sententiam, ut patet ex dictis. Ergò verum est, quod coïncidentia cum opinione Novatorum rectè objiciatur Celladeo, & quod in nostra opinione nulla sit umbra talis coïncidentiæ, quodque demum ex nostra sententia nullum argumentum ad suo errori suffragandum formari possit.

Hallucinatur Adversarius asserens nostrã sententiam auctoritate destitutam esse.

24. Sed quid? nullámne afferimus nos, aut afferre possumus auctoritatem pro nostra sententia? sic arbitratur Celladeus, sed in utroque fallitur. Sanè *quæst. præced.* potissimos ex antiquis Auctoribus, nominatim S. Thomam, Sanctum Bonaventuram, & S. Antoninum attulimus, qui expressis terminis actualem considerationem mali ad peccatum mortale requirunt. Et quidem sermo est de peccato præcisè contento in opere malo, quod ex inconsideratione ponitur. Nec dubium, quin auctoritates illæ desertissimè hoc probent & convincant. At aliud non contendimus, in præsenti quæstione, quia alterius investigationis est, an habeat generalem aliquam imputabilitatem in alio. Quid ais, Celladee? Estne hoc omni auctoritate carere? Sed fortasse velles aliquam ex Sacra Scriptura; en dabo tibi disertissimam, quam latè prosequutus sum contra Sinnichium *quæst. 25. de Consc. prob. à num. 41. usque ad num. 45.* Textus Sacræ Scripturæ habetur in Psalmo 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* Unde hoc argumentum formavi. Omnis prævaricator est agnitæ legis temerator, ut constat ex S. Paulo, & propria termini illius significatione. At omnis peccator est prævaricator. Ergò omnis peccator est agnitæ legis temerator. Ergò qui nullo modo advertit ad legem non peccat contra illam legem, quia illam non prævaricatur. Adduxi etiam Augustinum, qui in dictum *Psalm. 118. conc. 25.* ex hoc loco probat omnes peccatores, etiam parvulos, esse prævaricatores. Verùm *lib. 16. de Civit. cap. 27.* idipsum clariùs exponit his verbis. *Cùm dicat Apostolus, ubi non est lex, nec prævaricatio, quo pacto quod est in Psalmo verum est, prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ, nisi quia omnes legis alicujus prævaricatæ sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti? Quamobrem si etiam parvuli, quod veræ fides habet, nascuntur non propriè, sed originaliter peccatores, unde ipsis gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur: profectò eo modo quo sunt peccatores, etiam prævaricatores legis illius, quæ in paradiso data est, agnoscuntur: ut verum sit utrumque quod scriptum est, & prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ, & ubi lex non est, nec prævaricatio.*

Favet Augustinus.

25. Ex his auctoritatibus loco citato efficaciter probavi contra Sinnichium, quod peccatum puræ ignorantiæ, nullam peculiarem imputabilitatem & malitiam habeat, alioquin inveniretur ratio peccati & peccatoris sine ulla ratione prævaricationis & prævaricatoris, quod ex mente Augustini Psalmo repugnat. Præterea alioquin verum non esset, quod dixit August. *Omnes legis alicujus prævaricatæ sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti.* Neque verum esset quod postea subjungit. *Profectò eo modo, quo sunt peccatores, etiam prævaricatores agnoscuntur.* Quod ultimum licèt dicat de parvulis, illud tamen eodem modo intelligit de omnibus, ut patet ex contextu. Desinat ergò Celladeus jactare nos nec afferre, nec posse afferre auctoritatem pro nostra sententia; validissimas enim attulimus, & alias afferre possemus, si opus esset. Qui plura velit adeat dictam *quæst. 25. de Consc. prob.* ubi argumentum hoc fusiùs tractatum reperiet. Jam si Celladeus contendat has auctoritates, ut jacent, contrariari illis, quas ipse attulit, ideoque debere per illas explicari; contrà est primò, quia æquo jure nos possumus contendere oppositum, quia sine dubio auctoritates, quas allegavi, sunt clarissimæ, cùm illæ de peccatis ignorantiæ multis de causis non sint adeo claræ. Contra 2. quia nulla in istis auctoritatibus est contrarietas, omnes verum dicunt & rectè cohærent; immo omnes ad litteram veræ sunt in nostra sententia, quæ distinguit peccatum imputabile ratione sui, à peccato solùm imputabili ratione alterius. Auctoritates à me allatæ probant nullum opus à pura ignorantia aut incogitantia causatum esse posse peccatum ratione sui imputabile, tum quia ratione sui non est prævaricatio, tum quia malum operis ratione talis actûs non est voluntarium, cùm tamen utrumque tum ratione, tum auctoritate irrefragabili sciatur esse necessarium ad peccatum ratione sui imputabile. At opus puræ ignorantiæ & incogitantiæ potest esse peccatum ratione alterius, scilicet ratione illius per quod & voluntarium dici potest, & rectè appellari prævaricatio. Ecce nostra sententia adæquatè sumpta alia non est, quàm duplex veritas ex rationibus & auctoritatibus efficacissimis stabilita, ideoque nil mirum si in illa auctoritates istæ omnes admittantur ut jacent. At Celladeus, nisi mutet opinionem, & fateatur opus puræ ignorantiæ (quando datur) nullam habere propriam imputabilitatem, numquam conciliare poterit has auctoritates, sed alterutras violentis falsisque interpretationibus à proprio sensu detorquere cogetur.

Aliud est peccatum imputabile tantùm ratione alterius, aliud imputabile tam ratione sui, quàm alterius.

SOLVITUR ALIA OBJECTIO,

Et quæritur, an rudes peccent contra fidem quando credunt Parocho errores docenti?

26. OBJICIT quintò. Consideretur syllogismus, quem hìc appono, quia demonstrat homines in eo posse peccare, in quo putant se Deo obsequium præstare. Syllogismus ita se habet. *Peccatur aliquando per interiorem infidelitatem & hæresim. At quando sic peccatur, non actu advertitur, nec cognoscitur peccari, quin existimatur obsequium Deo præstari. Peccatur ergò, quin actu advertatur, & cognoscatur peccari, quin existimando obsequium præstari Deo.* Major ex omnium consensu est certissima. Præterea Sacra Scriptura hæreticos animas decipientes frequenter vocat lupos perdentes & mactantes gregem. Ergò mactant & perdunt animas non ferro, sed errore. In eandem rem ultra varios Sacræ Scripturæ textus affert Celladeus plures Summos Pontifices, qui hæreticos aut lupis gregem discerpentibus comparant, aut expressè dicunt animas per errores ex simplicitate deceptas in diaboli foveam incidere. Uno verbo multis adductis testimoniis rectè probat Ecclesiam, & Summos Ecclesiæ Pastores palam professos esse se ideo ad surgentium hæresum errores comprimendos omni nisu incumbere debuisse, ac incubuisse, ne grex fidelium in ruinam ac damnationem incideret. *Erubesco*, inquit, *de rebus tam manifestis, &c. tractare. Sed quid faciam, si tenetur, si propagatur, peccari non posse, animam mactari non posse, nisi cognoscat ipsa actu se peccare?*

si

si lupum non lupum putas sed ovem, &c. nil inde mali, non peccas non raperis neque mactaris. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 7. §. 1. & 2.* Et paulò antè in præfatione ad quæstionem hæc habet. *Adeo in moribus invaluit existimatio ista de necessitate actualis cogitationis, & tot, nisi totus ineptio, inferri præjudicia, ut modis omnibus eam convellere necessarium arbitratus sum; atque totius literarii laboris mei pretium futurum amplissimum, si hoc unum consequerer.*

27. Mox §. 3. totus est in probanda minori, quam evidentem esse jactat, quia intellectus semper existimat veram esse partem cui assensum præbet. At hæreticus assensum præbet errori, quem docet. Ergò hæreticus veram credit hæresim, cui assensum præbet. Sed nemo actu putat se peccare præstando assensum rei, quam actu credit esse veram. Ergò nullus hæreticus actu putat se peccare præstando assensum hæresi, quam tenet. Et sanè hæreticus non se credit esse hæreticum, sed verum dogma tenere, atque in eo tenendo se obsequium Deo præstare. Et sanè si opposita via adhuc teneatur, in id absurdi prolabimur, quod argumento hæresis diminuatur peccatum, & tunc demum tollatur prorsùs, cùm ad summam obstinationem & cæcitatem excreverit; tunc enim omnis umbra scrupuli arcetur, & Lutherus redditus fuisset in sua hæresi jam impeccabilis, ex quo, ut dixisse fertur, vermem conscientiæ omnino extinxit. Quid verò absurdius, quàm augmento vitii, ut est hæresis, culpam diminui, ac tolli demum eo ad summum excrescente?

28. Demum §. 4. totus incumbit ad probandum, quod rusticus credens suo Parocho hæresim docenti non excusetur. Sic enim arguit. Creditur, & fidenter dicitur nil esse mali, nil culpæ, si fidelis sed simplex rusticus Parocho suo credat, personas Trinitatis esse duas, aut unam earum esse Virginem Sanctissimam. Ratio redditur, quòd is ignorans sit, nec plus sciat, nec aliud facere valet, quàm Pastori suo credere: nec in quo peccet, ipse cognoscit. Verùm hæc ratio ex eo falsitatis arguitur, quòd hac ratione omnia peccata ignorantiæ & ex ignorantia tollantur. Præterea Nestorius Constantinopoli celebris Episcopus plus erat quàm Parochus, & tamen oves ipsi credentes duas personas esse in Christo peccabant, & peribant, ut expresè dicit Cælestinus Pontifex in Epistola ad ipsum dicens. *Quid hîc tu Pastor acturus es, qui dominicum gregem [illegible] lupis ipse discerpis? ille promittit alias adducere, [illegible] pereunt quas habebas.* Nec alia de causa congregata fuit Synodus Ephesina, nisi ut lupus rapax, & mactans arceretur, ejiceretur, & oves illæsæ servarentur. Idem dicendum de Eutychianis, aliisque hæreticis, à quibus plebs decepta in perniciem animarum, fuit; alioquin frustra hæreticis tantum negotium facesserent Pastores Ecclesiæ, & non fuisset cur Christus ipse tam seriò juberet attendere à falsis Prophetis, &c. quia maxima pars fidelium, nempe rustici, rudes, ac Fœminæ sine periculo ab illis seducerentur. At Ecclesia maximè sedulò invigilat contra Hæreticos errores seminantes, ne populi etiam rudes inficiantur & pereant. Censet ergò illos non sine peccato ab illis seduci.

29. Jam eadem ratio valet in moribus; si enim error in fide non excusat, nec error in moribus excusare poterit. Quis dixerit eos excusari, qui fornicationem crederent licitam pro tuenda vita, eò quòd hoc à Parocho audierunt? Sanè Gentiles ipsi in similibus fuere inexcusabiles, ut S. Paulus *1. ad Rom.* docet, & S. Thomas optimè commentatur. Ergò multò minùs excusabuntur Fideles, quia veritas talium faciliùs sciri potest in Ecclesia, quàm in infidelium cæcitate. Et sanè quando talia in Ecclesia acciderunt, nihil dubitatum est de culpa, sed punita sunt scelera. Epicurei credebant beatitudinem sitam esse in voluptate. Anne ideo qui benè Epicurei erant, & firmiter sine scrupulo suæ sectæ adhærebant, minimè peccabant? Aut Christiani similia credentes & facientes non peccant?

30. Nec sufficit, quòd Pastor aut Doctor hoc dixerit, nam Hæresiarchæ erant Pastores, Episcopi ac literati, & tamen erroribus suis mactabant, quos fallebant. Similiter non sufficit probabile, aut certum purè existimatum, quia nemo hæresim credidit, quam veram non existimavit. Ergò quoad ipsos probabilis erat; sin minùs assentire non potuissent. Plurimi tamen hæresim credendo peccarunt. Ergò non excusat probabile, aut certum existimatum. Sic nec Arriani excusabantur à peccato hæresis, quamvis haberent fortissimas, ut putabant, rationes & auctoritates; nec Nicolaitæ à peccato luxuriæ, quamvis sectarentur dictum Nicolai, qui ab Apostolis ipsis Diaconus fuerat constitutus. Et sanè Deus *Apocal. 2.* graviter reprehendit Episcopum Pergami, quod toleraret tenentes doctrinam Nicolaitarum. Ergò & isti errantes peccabant. Ita Celladeus §. 4.

31. Respondeo me multas in prioribus, sed nullibi tot terminorum æquivocationes, & confusiones simul observasse quot in hac septima Celladei quæstione reperi. Eas paulatim evolvam, prout singulis in objectione contentis responsionem dedero.

Inanis ostenditur adversarii jactantia.

32. Inprimis quod ad syllogismum attinet, ille frustra urgetur contra nos, qui consequens illius numquam negavimus; Celladeus tamen in eo urgendo plurimum gloriatur, atque illum pro irrefragabili demonstratione proponit. Sed ut omnes videant quàm inane telum torserit, concesso consequente, quod nil à nobis expresè non assertum continet, consequentia negatur, quia minor propositio est apertè falsa. Et sanè peto à Celladeo, an nemo ex omnibus temerè judicantibus contra conscientiam peccet? Estne credibile, neminem illorum hac in re contra conscientiam, aut certè contra aliquem saltem conscientiæ scrupulum operari? Nil certius, quàm plurima ejusmodi judicia esse peccata ex malitia, non ex mera ignorantia patrata. Nos autem hîc loquimur de peccatis puræ ignorantiæ & incogitantiæ, quando nulla cognitio, nullum dubium, nullus scrupulus de malo intervenit. Idem valet de plurimis hæreticis, saltem de illis qui ab initio definitioni Ecclesiæ, quam antea pro regula infallibili habuerunt, stare noluerunt; fieri enim nequit quin aliquo modo adverterint se male facere, proprium judicium illius auctoritati præferendo. Nec obstat, eos putare, se verum credere, ac existimare illud ipsum à Deo revelatum esse, quia hoc non excludit scrupulum antecedentem, quo à tali judicio eliciendo terreantur, quoque satis ostenditur, eos judicio Ecclesiæ, proprio contempto, stare debuisse. Cæterùm ad hæresim non requiritur, ut homo existimet errorem suum esse à Deo revelatum, sed sufficit si pervicaciter neget illud esse verum, quod scit ab Ecclesia proponi tamquam à Deo revelatum. Hoc autem stante, argumentum nostrum fortiùs urget,

get, quia quod opponitur vim non habet. Immo argumentum nostrum locum habet in eo, qui putat se obsequium præstare Deo, quia hoc judicium consequens non tollit scrupulum antecedentem, quo homo sufficienter advertit, imo cognoscit se Deo displicere eliciendo illud judicium, quamvis objectum talis judicii, prout repræsentatur intellectui, Deo placere videatur. Sic subditus, cui superior prohibuit ne quidquam in itinere emeret, judicare potest gratum fore superiori talem rem, si ematur, quamvis dubitet an ipsum emere sit ipsi gratum. Ideoque peccare potest etiam contra conscientiam in faciendo eo, quod gratum superiori futurum arbitratur. Itaque certum est, peccatum hæresis ita esse peccatum erroris & ignorantiæ, ut non ex pura ignorantia & errore, sed hîc & nunc ex malitia & contra antecedentem conscientiæ stimulum sæpissimè incurratur, quamvis aliter dicendum sit de illo, qui omnia circumspiciendo hîc & nunc nullam mali suspicionem sive in opere; sive in operatione cerneret, sed in omnibus se Deo placiturum crederet. Ille enim aut nullo modo, aut certè ex mera ignorantia, & non ex malitia peccaret.

Peccatum hæresis ita est peccatũ erroris & ignorantiæ, ut non ex pura ignorantia, sed hîc & nunc ex malitia, incurratur.

33. Sed & Celladeus ipse hoc ipsum satis clarè advertit dum opponit, sequi ex nostra sententia Lutherum impeccabilem futurum fuisse, postquam omnem scrupulum, & conscientiæ vermem extinxerat. Ergò credit eum, saltem ab initio suæ hæresis, non omni scrupulo caruisse. Nec dubium est, quin ab initio Lutherus frequentes habuerit, sicut ipsemet abundè testatur de seipso. Hoc ergò scit & admittit Celladeus. Ergò simul concedit, hæresim Lutheri, saltem ab initio, fuisse peccatum malitiæ, ad quod mens operantis satis advertebat, sicut in aliis peccatis ex malitia patratis advertere solet. Ergò inconsequenter loquitur, sibique ac apertæ veritati contradicit, quando contendit, minorem illam: *Quando peccatur per hæresim, non advertitur & cognoscitur peccari:* esse evidentem.

Celladei inconsequentia & contradictio.

34. Cæterùm quamvis Lutherus, si tamen verum dixerit, omnem conscientiæ vermem extinxisset, non ideo simpliciter loquendo minùs graviter peccasset, quia non ideo intellectus illius, non sufficienter advertebat ad malum, quatenus clarè sciebat se contra Ecclesiæ definitionem suis erroribus inhærere, quamvis voluntas ipsius non cruciaretur. Verùm hoc pertinaciam ipsius magis voluntariam reddebat, ideoque ex hoc capite peccatum augebatur; nec defectus advertentiæ pristinæ eum excusabat, quia non erat causa erroris, cùm mansisset in errore, quamvis eam advertentiam habuisset. Non ergò sequitur, ut arbitratur Celladeus, accessione vitii culpam minui, & multo minùs tolli, cùm ad summum excreverit; sed oppositum ex nostra sententia legitimè deducitur.

Quomodo peccare potuerit Lutherus contra fidem, post omnẽ conscientiæ vermem extinctum, uti ipsemet jactitabat.

35. Cæterùm, quamvis prætensam Celladei demonstrationem exploserim, ejus tamen zelum laudo; sed vereor, ut sit secundùm scientiam. Laudabile est temerarias, nimis laxas, & erroneas tam in materia fidei quàm morum opiniones convellere; sed hoc scitè non præstatur, nisi opiniones ritè proponantur, atque objecta opinata in suas classes distribuantur. Hæc si præstitisset Celladeus, atque peccatum puræ ignorantiæ à peccato malitiæ; opusque ratione sui imputabile ab opere tantùm imputabili in causa distinxisset, non habuisset causam dicendi, communem gravissimorum Auctorum opinionem de actualis cogitationis ad peccatum ratione sui imputabile necessitate tot secum præjudicia ferre, ut aliud suorum studiorum præmium non desideret, quàm eam labefactare. Erras Celladee, non illa secum ulla fert præjudicia; sed totum præjudicium in eo vertitur, quòd in confuso rem proponas, quòd in confuso eam intelligas, quòd in confusa ac generali terminorum acceptione eam impugnes, dum omnibus tribuis, quod uni tantùm parti tribuendum esse vides. Negare peccata ignorantiæ & erroris absurdum est, quia certò constat quod dantur peccata ejusmodi. At contendere in particulari quod omne id quod fit ex plena mali inadvertentia sit peccatum, & quidem ratione sui imputabile, est absurdissimum. Distingue res, media viâ incedes, & eos tecum sentientes habebis, quos tamquam adversarios insectaris.

36. Sed quid? Nónne docemus nos, *peccari non posse, animam mactari non posse, nisi cognoscat ipsa actu se peccare?* Nónne eò tendit doctrina nostra ut statuatur hæc propositio, *si lupum non lupum putas sed ovem, nil inde mali, non peccas, non raperis, neque mactaris?* At hæc sunt intoleranda.

Doctrina nostra à sermone.

37. Respondemus, nil tale à nobis doceri. Dicimus enim peccari per ignorantiam, etiam quando non advertitur peccari; sed tunc dicimus peccatum illud, si sit peccatum puræ ignorantiæ, & nullum malitiæ peccatum interveniat (quod tamen aut semper, aut fere semper in omnibus generalibus Celladei exemplis intervenit) non habere imputabilitatem ratione sui, sed solùm imputari propter causam, à qua provenit, & à qua sola est & denominatur peccatum. Rursus dicimus, incogitantiam sæpe esse inculpabilem, & à natura non culpa provenire, ideoque asserimus nullum in tali casu peccatum intervenire. Cur hæc in propriis terminis non impugnas, Celladee? Cur semper in generali loqueris? Si adversarium quæras, ad manum habes; sed vide an illum in eo, in quo à te discrepat, impugnes. Hactenus certè hoc non præstitisti. Unde in zelum adhibuisti, non adeo scitè eo usus es, sicut Theologum oportebat.

Laudandus foret Celladei zelus in cõvellendis laxitatibus, si cum scientia esset cõjunctus.

38. Quod autem ad secundam propositionem attinet, illa undique falsa est, nec apud ullum gravem Auctorem Catholicum invenitur. Nónne stultè, temerè, ac contra scrupulum conscientiæ, & consequenter ex peccato malitiæ credere possum lupum non esse lupum sed pastorem? Annè nil inde mali? Non rapitur, non mactatur, qui sic sponte & temerè in errorem ruit? Sic in errorem ruunt omnes, qui ab initio hæresiarchis ab Ecclesia damnatis credunt, ut mox dicetur uberiùs. Præterea quamvis verum esset, quod homines sine peccato illis fidem præberent, sequitúrne inde, nil mali ipsis evenire? Sic arbitratur Celladeus, sed duabus de causis apertè fallitur. Primò si errent circa necessaria necessitate medii, damnatio æquè sequetur, sive peccent, sive non peccent qui illis fidem præbent. Mactabuntur ergò, & peribunt, etiamsi errando non peccent. Secundò error ille impedit exercitium fidei, saltem circa talia objecta. Ergò impedit opus maximè meritorium, tum in se, tum propter effectus ab illa dependentes. At hoc magnum damnum est, ut patet. Nec dicas opinionem erroneam, & actus ab ea regulatos esse bonos, & tam bonos, quàm sint ipsa fides, & actus à fide regulati. Ita sæpe objectat Celladeus, sed in utroque fallitur. Nec error, nec actus ab

Error multiplex Celadei.

error

errore regulatus est bonus, nisi error sit invincibilis. Quamvis autem sit invincibilis, nec error est tam bonus quàm fides, nec actus ab errore regulatus tantam bonitatem habet, quantam actus, quem certissima ac supernaturalis fides dirigit. Itaque semper cavendi sunt lupi, quia semper gregi nocent, semper mactant & perdunt.

39. Atque hinc non minùs perspicuum, quàm efficax argumentum ducitur, ad ea infirmanda, quæ Celladeus §. 4. congerit, ad ostendendum, quod etiam rudes verè peccent quando Parocho, vel cuivis alteri, etiam doctissimo ac nominatissimo Episcopo errorem contra fidem docenti fidem præbeant. Inprimis constat, omnem planè errorem contra fidem, sive vincibilis ille fuerit sive invincibilis, multum obesse, cùm fidem supernaturalem, atque opera in tali fide fundata impediat, illorumque loco, aut mala, aut non bona, aut certè longè minùs bona substituat. Constat 2. omnem errorem, etiam invincibilem circa ea, quæ simpliciter necessaria sunt ad salutem, seu quæ communiter appellantur necessaria necessitate medii, mortem æternam indubitanter afferre, atque idcirco omnino cavendum esse, cùm certò certiùs damnationem inducat. Constat 3. omnem errorem, qui à fidelibus, de fide & Ecclesia modicè instructis, contra expressam Ecclesiæ definitionem cum pertinacia incurritur, esse verissimam hæresim, gravissimumque peccatum ratione sui imputabile. Ratio est, quia fides vera adeo nos Deo per Ecclesiam loquenti subjicit, ut sciamus nos à fide, semel acceptata, nulla de causa, ne quidem quamvis Angelus de cœlo contrarium annunciaret, recedere debere, aut citra peccatum posse. Ratio est perspicua, quia qui auctoritati vel rationi contra Ecclesiam Dei nomine loquentem aures & fidem præbet, Deum mendacem facit; cùm summam auctoritatem, satis manifestè se prodentem, fallacissimæ rationi ac auctoritati creatæ contradicenti postponat. Hæc tria in se verissima sunt, ab optimis Theologis approbata, atque ex dictis satis dilucidè inferuntur: in iis autem totum intentum efficaciter stabilitur.

Error, licèt invincibilis, sæpe multùm obest.

40. Inprimis omnes hæreses, nullâ demptâ, summo nisu à Pastoribus Ecclesiæ insectandæ, ac si fieri potest, exterminandæ essent ab Ecclesia, quamvis aliud malum secum non ferrent, quàm defectum boni, & meriti in ordine ad vitam æternam: Christus enim, qui Ecclesiæ suæ & gloriam, & gloriæ cumulum desiderat, apud Pastores Ecclesiæ depositum, (nempe rectam de credendis fidem ac doctrinam) reliquit, quo omnes sine impedimento, ad magnam gloriæ coronam pervenire possent. Injunxit porrò Pastoribus Ecclesiæ, ut hoc depositum illibatum servarent, ne per illorum negligentiam medium tanti momenti ab ipso relictum frustretur. Itaque vel ex hoc solo capite contra fures & lupos clamare tenentur, & eos à grege arcere, ne illi suis erroribus hujusmodi nocumentum creent. Porrò quamvis talis error ex se præcisè gloriæ tantùm diminutionem, non autem jacturam inferret, haud dubiè tamen multis ruinæ causa existeret, quia multis tepidis plurium bonorum & meliorum operum omittendorum ansam præberet, illaque de causâ Deus juxta providentiæ suæ leges abundantiora gratiæ auxilia illis negaret; ex quo tandem, indirectè saltem, lapsus in peccatum, & peccantium damnatio sequeretur. Unde de talium errorum fatoribus verum est, non solùm quod suis doctrinis bona impediant, sed etiam quod oves perdant & mactent. Hæc est generalissima ratio, ob quam Pastores Ecclesiæ contra hæreticos, tamquam contra lupos gregem invadentes, clamare, atque insurgere obligantur, ne alioquin oves illorum doctrinis seductæ, & gloriæ diminutionem, atque multæ etiam ejusdem jacturam patiantur.

Multis nominibus invigilandum Pastoribus Ecclesiæ cõtra hæreses.

41. Huic primò adde secundum caput nocumenti ab hæreticis imminentis, statimque videbis obligationem eis resistendi in Pastoribus crescere. Potissimæ enim hæreses expresse in illis errarunt, quorum explicita fides necessaria est ad salutem necessitate medii. Quòd cùm certum sit, mirandum planè est Celladeum in tota isto tractatu nullam de hujusmodi differentia mentionem feciisse, sed de omnibus fidei articulis, ac de erroribus illis oppositis, eodem modo fuisse loquutuum, ac si idem de singulis dicendum esset, quod ulli eorum convenit. At Theologi, quando tractant an & qualiter error in materia fidei noceat, aut ad peccatum imputetur, nil antiquius habent, quàm ut ista distinguant. Sciendum ergò est, potissima Sanctissimæ Trinitatis ac Incarnationis Mysteria, aliaque nonnulla ex necessitate medii ab omnibus esse credenda, adeoque homines sine illorum fide necessariò perire, sive qui illa ignorant, aut circa illa errent peccent, vel non peccent. Jam nulla est hæresis primaria, quæ circa aliquem saltem ex istis articulis non errarit. Unde Christus rectè admonuit, cavendum esse ab illis, quia doctrinis suis mactant oves & animas perdunt. Sed & Pastores Ecclesiæ contra eos tamquam contra lupos gregem invadentes insurgere debent, ut oves ab eorum faucibus seu falsis doctrinis tueantur: nec refert quod Pastor, aut Episcopus, aut Doctor nominatissimus talem errorem proferat, quia in ordine ad impediendum salutem perinde est à quo error inducatur, quamvis in ordine ad peccatum arcendum multum refert, quis, quomodo, & à quo errorem audivit, cui fidem dedit,

Vix ulla hæresis primaria quin impegerit in articulũ necessitate medii omnibus credendum.

42. Demum nemo Catholicorum errori ab Ecclesia damnato fidem præstat, nisi eo ipso fidem abjiciat, & graviter peccet, non ex ignorantia, sed ex malitia, saltem ab initio. Itaque omnes Hæresiarchæ gravissimè peccarunt contra fidem: nec à peccato populus ab iis seductus immunis fuit; nemo enim fidelis sine manifesto peccato, eoque non ex ignorantia sed ex malitia profecto, ab illis articulis resilire potest, quos ab Ecclesia ut fidei dogmata teneri novit. Itaque Pontifices ex hoc etiam capite contra lupos seducentes, & oves seductas insurgere debent, ut illis clariùs ob oculos ponant errores ac peccata, eo fine, ut & ipsi resipiscant, & ne alii in eorum laqueos jam clariùs detectos peccaminosè incidant.

43. His præmissis, quæ videntur esse satis certa, argumentum Celladei sponte ruit. Si enim rusticus adeo rudis sit, & incapax, ut post debitam diligentiam sufficienter capere aut scire nequeat, quid in Ecclesia & ab Ecclesia certò teneatur, aut si cupidus sciendi quæ non novit, adeat eos, qui ipsi præpositi sunt, quique publicam sufficientiæ famam adepti sunt; talis homo si ab uno vel altero ejusmodi audiat aliquid credendum esse de fide, nec quemquam reclamantem audiat, non videtur peccaturus si illis fidem adhibeat, quia pertinax non est, sed paratus omnes illos errores respuere, cùm sciverit illos ut tales ab Ecclesia respui. Nihilominus peribit miser, & verè mactabitur, si error sit circa ea, quæ necessitate medii cre-

Non omnis in fide error rudioribus imputabitur.

dii credenda sunt. Itaque in exemplis à Celladeo adductis aut numquam aut rarò valde contingit errantes, non peccare, quia nimis notorium & obvium est, illa ab Ecclesia ut falsa ac hæretica rejici. Nec refert quis sit, qui hæc doceat, an Pastor, an Episcopus, an Patriarcha, quia vel ipsis rudibus nimis apertè constat, Ecclesiam omnibus esse præferendam.

44. At si loquamur de rebus magis reconditis, quarum explicita fides non est omnibus necessaria, ne quidem necessitate præcepti, absque ratione dicitur, quod error circa illas sit peccatum in eis, qui orto de illis dubio Pastores sibi præpositos consulunt, quamvis ab illis decepti errori fidem præbeant. Idipsum multò magis verum est in illis, qui ab infantia inter hæreticos educati sunt; in illis enim errores etiam circa credenda ex necessitate medii, longè faciliùs quàm in fidelibus sunt invincibiles, & inculpabiles; quia cum illi numquam habuerint, æstimationem debitam de auctoritate Ecclesiæ Catholicæ, sed potiùs semper contra eam exclamantes audierint, ab initio illis vitio verti non potest, si viris apud eos graviſſimis de illis, quæ contra lumen naturæ non sunt, fidem dederint. Idque longè frequentiùs ac diutiùs, & sæpe per totam vitam locum habet in rudibus, qui numquam cum Catholicis conversati sunt, sed semper de illis peſſima audierunt. Nihilominus miseri illi peribunt, nisi Deus eos tandem illuminaverit, & ad fidem necessariam reduxerit. At si solùm errent, circa ea quæ citra animæ periculum à fidelibus ignorari possunt, non ideo peribunt, si fidem de necessariis habeant, quia non est cui aut illi, aut rudes Christiani, qui talia à suis Præpositis constanter audierunt, criminis accusentur; illi enim fecerunt quantum humano modo potuerunt, ideoque si errent, invincibiliter errare censendi sunt.

Præsertim si versetur circa articulũ, ne quidẽ necessitate præcepti credendum explicitè.

45. Sed & Celladeus ipse in hoc inconsequentiæ arguendus est, nisi omnes fermè Catholicos totâ vitâ contra fidem peccare dicat. Ratio est, quia in materia fidei malum ignorantiæ & erroris per illum maxima ex parte æquiparantur, quamvis error sit deterior ignorantiâ. Omni enim nisu ostendere conatur malum utriusque esse magnum, & consequenter debuisse prohiberi. Et sanè ignorantia circa credenda, sive necessitate medii sive necessitate præcepti, non minùs infert peccatum & damnationem quàm error, ut patet. Hoc tamen non obstante ignorantia plurimorum de fide dogmatùm non est tantùm malum quod universaliter prohiberi debuit, alioquin nemo absque peccato ignorare posset, quidquam quod à Deo revelatum est. At hoc est falsum, quia maxima fidelium pars plurima eorum, quæ Ecclesia tamquam dogmata revelavit, ignorat, & pauci valde sunt, qui singula norint; nec ideo peccant, modò ea credant quæ necessaria sunt tam necessitate medii, quàm necessitate præcepti. Jam quamvis omnes teneantur singula credere, quando sufficienter proponuntur ut asserta ab Ecclesia, licitè tamen ignorantur, quando ignorantia nec affectata est nec supina, nec hæc ignorantia tantùm malum est, ut prohiberi debuerit. Ergò idem dicendum est de errore, quando error ille non est culpabilis, sed incurritur etiam ab iis, qui in rebus ad animam spectantibus diligentes sunt, maximè si ita dispositi sint, ut in omnibus Ecclesiæ obedire parati sint, ubi constiterit illam oppositum tenere. Ergò error in rebus istiusmodi absque peccato incurri potest, non solùm ab iis qui in hæresi educantur, sed etiam ab ipsis fidelibus, quando à Pastoribus sic ita docentur, nec ulla illis apparet ratio cur illorum dictis non credant.

Celladei inconsequentia.

46. Hæc de errore citra peccatum in materia fidei, & de Celladei æquivocationibus hactenus dicta sufficient: superest ut ejusdem æquivocationem magis adhuc palpabilem in materia morum convellamus. Inprimis quantum spectat ad ea quæ prohibita sunt quia mala, pauca tantùm non possunt non satis percipere ea esse mala, quamvis non tam clarè videant eorum malitiam, quàm qui de illis meliùs instructi sunt. Porrò hoc ipsum à fortiori locum habet apud fideles, qui expressam Decalogi aliorumque prohibitorum notitiam habent. Itaque exemplum fornicationis & similium non est ad rem, quia fideles citra peccatum malitiæ ignorare nequeunt id non esse malum & vetitum. Nec refert, quod Pastor aliquis aut Episcopus vel Doctor doceat oppositum, quia cùm Ecclesia doceat fornicationem esse illicitam, omnis privatorum auctoritas contemnenda est; ut Deus audiatur, qui nos per Ecclesiam docet; cùm qui Ecclesiæ in talibus contradicit, Deum mendacem faciat. Quare in his ultrò concedimus non sufficere, quod Pastor aut Episcopus, vel etiam Angelus dixerit id esse licitum, quia nemo nisi temerè & cum hæresi illis fidem dare potest contra Ecclesiam contrarium docentem, ut patet.

47. Sed quod inde transeat Celladeus ad probabile, quasi verò id ad excusandum à peccato non sufficeret, atque id ex paritate fidei comprobet, undique à veritate propter multiplicem æquivocationem deficit. Inprimis supponit hæreses fuisse verè probabiles, saltem ipsis hæreticis, qui illas approbarunt ut veras; hoc autem apertæ veritati repugnat, quia de essentia probabilitatis est, ut nil certi in oppositum afferatur. At Auctoritas Ecclesiæ damnantis hæreses definitionem suam certam reddit. Nulla proinde hæresis probabilis esse potest nec quoad se, nec quoad illos, qui aut Ecclesiæ auctoritatem norunt, aut nosse possunt ac debent. Unde omnes qui ab initio contra Ecclesiæ definitionem hæresim sectantur, eo ipso sunt inexcusabiles, cùm vincibiliter & ex malitia errare convincantur. At si sermo sit de seductis, ac ab infantia in hæresi educatis, qui debitam de Ecclesiæ auctoritate æstimationem nec habent nec habere potuerunt, eò quòd siniſtram de illa informationem semper acceperint, illi invincibiliter errare possunt in materia fidei, in quo casu error illis hîc & nunc evadit extrinsecè probabilis, quia magnam habent auctoritatem pro eo, quòd credunt, & invincibiliter ignorant omne prævalens, quod in oppositum afferri potest.

48. Nec obstat, Hæreticos, etiam formales, existimare sua dogmata esse vera ac etiam certa, quia inde solùm sequitur, quòd consequenter ad indebitum animi affectum, apparentem apud illos probabilitatem habeant, quod nemo negat. Verùm talis probabilitas, affectum indebitum consequens, neminem excusat, nec à nobis pro regula conscientiæ ponitur. Mirum proinde est talia objici potuisse.

49. Deinde paritas inter errores de fide & moribus craſſam æquivocationem continet, quia multipliciter institui potest. Error enim circa mores potest simul esse error circa fidem; sic qui adulterium licitum esse crederet, & contra fidem & contra mores erraret. Et quidem in hujusmodi

casu

casu paritas rectè procedit, sed Celladeo non favet, quia in istis non dubitatur de culpa, cum fideles Ecclesiæ auctoritatem scientes circa talia sine peccato ratione sui imputabili haud errent. Immò quòd plus est, infideles circa talia vincibiliter errant, quia ipsum naturæ lumen nisi malitiosè tegatur, talia turpia esse convincit. Ergò in talibus satis constat de peccato. Quod si nulla sit certitudo fidei de aliquo puncto, sed post omnem diligentiam res maneat dubia, ut tam in fidei, quàm in morum materia sæpe evenit, tunc etiam paritas rectè se habet. Verùm in hoc casu error si probabili fundamento nitatur, in utraque materia à peccato excusat. Verùm excusatio paulò immediatiùs apparet in materia fidei, ut constat ex dictis *quæst. 11.* ubi ex paritate probabilitatis excusantis in materia fidei, probabilitatem etiam in materia morum excusare intulimus.

Aliter instituti potest paritas.

50. Verùm si paritas instituatur inter errorem de moribus verè insuperabilem, eò quòd post omnem diligentiam adhibitam res maneat incerta, & ob grave motivum vera credatur, & errorem circa fidem in rebus jam clarè decisis, argumentum in tali paritate fundatum sponte ruit, quia evidens disparitas se prodit, eò quòd ejusmodi error circa fidem sit vincibilis, omniq ue probabilitate careat, cùm error circa mores sit invincibilis, ac motivo verè probabili nitatur. Jam si Celladeus, ut oportebat, hæc distinxisset, & plura dissimillima sub generali eorundem terminorum notione contenta æquivocè non confudisset, nullum ex hoc capite pro se, sed validissimum contra suam opinationem argumentum invenisset.

Sed Celladeo non favet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Quæstione 8. contentæ, & quæritur, an absolutio Ecclesiæ probet, quod homines errore circà fidem laborantes in ipso peccent & excommunicationem incurrant.

Objectio ab auctoritate S. Thomæ.

51. OBJICIT sextò. S. Thomas *2. 2. quæstion. 10. art. 12.* ut probet filios Judæorum & infidelium invitis parentibus non esse baptizandos, sic arguit. *Maximam auctoritatem habet consuetudo Ecclesiæ, quæ semper est in omnibus amulanda; quia & ipsa Doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quàm auctoritati Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris. Hoc autem Ecclesiæ usus numquam habuit, quod Iudæorum filii, invitis parentibus baptizarentur.* Ecce quantæ auctoritatis apud omnes esse debet praxis Ecclesiæ, cùm illi omnes rationes & auctoritates S. Thomas postponat. Hinc autem ad præsens intentum sic arguitur. Consuetudo Ecclesiæ est, ut populos integros, etiam rudes ipsos, ac fœminas, propter errores & hæresim à se abscindat, ut redeuntes hæreticos ab excommunicatione absolvat, nec omnibus eos absolvendi potestatem committit, sed personis certis reservat. Ergò Ecclesia censet, tales propter suos errores, esse peccati ac hæresis reos, quia excommunicatio in hæreticos lata non nisi per peccatum incurritur, ut pater. Hæretici ergò, quos Ecclesia absolvit, peccatum hæresis & pœnas hæreticorum incurrunt. At non solùm privatæ personæ, sed integræ nationes absolvuntur. Ergò integræ nationes sunt veri hæretici. Et tamen in integris illis nationibus aut omnes aut plerique putant se rectam viam tenere, nec de hoc vel minimum formidant, immo, propter educationem in hæresi, pessimam de Catholicis opinionem cum lacte sugunt. Ergò sæpe peccant etiam illi, qui putant se non peccare, sed rectè agere. Ita fermè Celladeus *quæst. 8.* ubi vehementer invehitur in aliquos, quos tamen haud nominat, qui per doctrinam de actuali advertentia mali ad peccatum requisitam innumeros ab hæresi, & excommunicatione hæreticis inflicta liberant, quia dicunt eos non peccare, quoties actu non advertunt peccatum latêre in opere. Hac ratione eos ab excommunicatione liberos esse decernunt, qui se excommunicationem incurrisse ignorant, eosque privata sua auctoritate Ecclesiæ reconciliant, seu à peccatis citra reconciliationem absolvunt. Mox addit, nonnullos à proprio hæresis peccato, & consequenter ab omni hæreticorum pœna liberare omnes ignorantes, nisi affectata sit eorum ignorantia; qui in eo se fundant, quòd excommunicatio sine contumacia & contemptu non incurratur. Ad contumaciam autem & contemptum cognitio necessaria est, qui enim excommunicationem ignorat contumax esse nequit. Ergò excommunicationem ignorans, eam non incurrit. Ergò ignorantia nisi affectata sit, excusat.

Contendit ignorantiam invincibilē non excusare ab excommunicatione.

52. Tandem in eos invehitur, qui simplicem hæreticorum populum propter invincibilem eorum ignorantiam à culpa & pœna hæresis liberant. Opponit autem praxim Ecclesiæ, quæ eos in suum gremium non admittit, nisi ab excommunicatione primùm absolvat.

Imo neque ab hæresi.

Replica.

53. Nec dicas, inquit, absolutionem illam impertiri quidem in foro externo justis de causis, cùm in foro interno non sit necessaria: contra enim est, quia forum externum non differt ab interno, nisi quando ignorantia, error, vel falsa præsumptio reperitur in foro externo, quod in interno locum non habet. At in casu præsenti simplicitas, ignorantia, & ineptitudo rudium hominum, sicut & eorundem educatio, id est omnes tituli in quibus invincibilitas ignorantiæ fundari potest, æquè innotescunt in utroque foro. Ergò judicium utriusque fori debet esse idem. Præterea si capita illa fundarent ignorantiam invincibilem, utique facerent præsumptionem de ignorantia invincibili rudium, qui ab hæreticis seducuntur, quia præsumptio fundatur in eo quod plerumque contingit; nec umquam id præsumitur, quod rarò & in gravioribus evenit, quia rarò contingentia præsumenda non sunt, sed probanda. Ergò Ecclesia neminem præsumere deberet esse hæreticum, sed positiva ratione opus esset. At hæc omnia falsa sunt & absurda, cùm praxis Ecclesiæ ostendat hujusmodi homines esse reos, quia illos non sine reconciliatione & absolutione ab excommunicatione in suum gremium recipit. Ergò rei sunt. Ergò peccant, & hæreseos rei sunt, quia suis dogmatibus putant se non peccare, sed bene agere, dum eis fidem præbent, atque fidem Catholicam aversantur. Ita Celladeus dicta *quæst. 8.*

Responsio.

54. Respondeo inprimis me nullatenus iis favere, qui de incursu pœnarum nimis laxè sentiunt. Scio ignorantiam non solùm affectatam, sed etiam crassam seu supinam ad peccatū, & consequenter ad pœnas peccato debitas ex se ac suo conceptu abundè sufficere: laudo proinde Celladeum, qui §. 2. hac in parte communi sententiæ adhæret, eamque ex Azorio aliisque rectè probat. Cæterùm modus discurrendi, quo utitur,

non placet, quia doctrinam hanc veram ita proponit, ac si ignorantia culpabilis ad quamvis excommunicationem incurrendam sufficeret; cùm tamen hoc non minùs absurdum sit, quàm negare quod excommunicatio per ignorantiam non affectatam umquam incurri possit. Sciendum ergò est, jura excommunicationem interminantia diversimodè loqui. Aliqua simpliciter prohibent opus, idque sub pœna excommunicationis: alia eos tantùm excommunicant, qui aliquid scienter agunt. Quædam censuram iis inurunt, qui præsumptuosè, aut temeritate præsumptuosa aliquid patrare audent, &c. Jam sicut certum est, leges istas non frustrà, & sine effectu, diversis phrasibus uti; ita pariter certum est plus requiri ad posteriorum, quàm priorum pœnas incurrendas. Juvat autem credere, Auctores, quos nomine suppresso Celladeus citat, juxta hanc legum & verborum diversitatem suas assertiones stabiliviſſe; quia graves Auctores sensi sua in confuso exponere non solent, sed cuncta rectè distinguere, atque in classes revocare. Verùm si quis à recto aberrârit, citetur nominatim, & non tacito, sed expresso nomine impugnetur; hoc enim legentium utilitati conducibilius est, quàm in confuso Doctores arguere, qui fortè non adeo crudè res proponunt, sicut illis objiciuntur.

Diversimodò ferri solent excommunicationes.

55. Deinde respondeo, praxim Ecclesiæ sine hæsitatione in omnibus æmulandam esse, & ab omnibus plurimi faciendam; necessitatem tamen operis non semper tam efficaciter ab illius praxi probari, quà n probetur inhonestas operis, quod universali praxi omittit vel prohibet. In casu S. Thomæ aliisque similibus praxis Ecclesiæ efficaciter probat opera ejusmodi esse illicita; quia si licerent, eo ipso evaderet necessaria, ideoque Ecclesia in necessariis deficeret, si talia toleraret, quia permitteret suos subditos in talibus peccare, absque eo, quod eos, ut potest, aut corrigeret aut instrueret. At Praxis Ecclesiæ non semper ex æquo probat illud esse necessarium, quod ipsa exercet; quia sæpe facit ad cautelam, quod scit non semper esse necessarium. Sic sæpe ad cautelam dispensat, aut à censuris absolvit, quamvis sciat non omnes quibuscum sic operatur, esse reos. Verùm in ejusmodi casibus dispensatio & absolutio non sunt omnino absolutæ, sed ex mente concedentis, conditionatæ.

Quo sensu praxis Ecclesiæ sit argumentum infallibile moralitatis.

56. Quantum autem attinet ad consuetudinem Ecclesiæ in absolvendis hæreticis ad suum gremium redeuntibus; alia est praxis fori externi, alia interni. Externum forum ad hoc præcipuè respicit, an homo rediens, errore deceptus fuerit? & an se jam Ecclesiæ subjicere velit? Si errorem fateatur, & emendationem spondeat, reconciliatur, illique absolutio à censuris datur, saltem ad cautelam. Nec mirum; quia quamvis homo rediens, dicat, se hactenus non solum bona fide processisse, sed in nullo umquam dubitasse aut scrupulum habuisse, an suis dogmatibus fidem dando peccârit, non tamen plenam probationem facit, nec ei sine dubitatione creditur, ideoque justum est, ut Ecclesia in foro externo ad cautelam saltem eum absolvat. At in foro interno sola pœnitentis assertio plenam fidem facit; ideo praxis fori interni diversa est à praxi fori externi. Cùm enim ea plenè probentur in foro interno (quæ si plenè probarentur, & certò constarent in foro externo, Ecclesia absolutionem non adhiberet, nisi ad summum conditionatè) utique sequitur, peritos Confessarios aliquando videre hominem reconciliandum invincibiliter erraſſe, & absque pertinacia ad hæresim & hæreticorum pœnam contrahendam requisita errasse, & in errore permansisse, ideoque nil mirum est, si aliquando hujusmodi à peccatis absolvant, etsi eum ab excommunicatione, si eam propter hæresim contraxisset, absolvere nequeant. Quæ cùm ita sint, mirum est, Celladeum adeo æquivocâsse circa forum externum & internum, ut putaverit eadem prorsùs quoad præsentem materiam in utroque constare; cùm in foro externo solùm constet multos ex educatis ab infantia inter hæreticos à peccato hæresis excusari, quod tamen numquam sufficienter constat de hoc particulari, qui absolvitur; in foro verò interno generaliter constat plures esse peccati reos, plures innocentes, de pluribus etiam dubitatur. At de hoc peculiari homine, qui reconciliatur, satis constat eum innocenter erraſſe. Eadem quidem argumenta, quibus generaliter scimus aliquos esse, aliquos non esse reos, æqualiter patent in utroque foro. Verùm illa ad neutrum forum regulandum sufficiunt. Pro foro enim interno opus est alia certiore regula, quæ plenam innocentiæ probationem contineat. Similiter nemo in foro externo absolutè damnari potest, aut hæreticus haberi, nisi crimen sufficienter probetur, quod certè ex generalibus illis titulis non sufficienter probatur. Itaque in tali casu falsum est quod absolutio in foro externo absolutè detur ut necessaria, cùm aliter justè dari non possit, quàm conditionatè & ad cautelam.

Ingens differentia inter fori externum & internum in ordine ad absolutionem.

57. Debuisset Celladeus probare forum externum dare absolutionem ut absolutè necessariam omnibus, qui ad Ecclesiæ gremium redeunt, etiam iis qui aliquando reconciliantur in foro interno absque absolutione à censura hæreticis inflicta, quando eadem constant in foro externo; tunc enim ex praxi fori externi rectè intulisset privatos homines errare, qui in foro interno aliter procedunt. Verùm evidens est, eum nec hoc probasse, nec quemquam probare posse; quia eo ipso probaret, externum Ecclesiæ judicium esse exorbitans ac injustum, utpote quòd multos immo plurimos innocentes damnaret ut nocentes, etiamsi nulla sufficiens probatio criminis contra eos afferretur. Undique ergò argumentum labitur.

Absolutio fori externi non semper est absolutè necessaria.

58. Alia etiam æquivocatio latet in argumento, quia arguens non distinguit inter illas nationes, quæ ab initio contra expressam Ecclesiæ definitionem hæresim sectantur, Ecclesiæque auctoritatem priùs satis notam contemnunt; & illas, quæ ab infantia in hæresi educatæ fuerunt, nec ullam umquam sufficientem de Ecclesiæ auctoritate notitiam habuerunt, sed è contra mira contra eam semper declamitari audierunt. Omnes in prima classe contenti peccant peccato hæresis, à quo proinde, sicut & à pœnis tali peccato inflictis, meritò absolvuntur in foro externo, nec absque tali absolutione reconciliari debent in foro interno; Et in hoc sensu admitti potest, integras nationes peccati hæresis reas esse, & ab Ecclesia absolutè absolvi posse. Dubito tamen an talis absolutio umquam integræ nationi impertita fuerit, quia intercurrente tempore plures inter hæreticos ad usum rationis pervenerunt, qui debitam de Ecclesiæ auctoritate opinionem habere non potuerunt. Itaque respectu talium absolutio non erat absoluta, sed solùm conditionata & ad cautelam, cùm illorum contumacia & peccatum sufficienter non probetur.

Disparitas de educatis in hæresi, & de Catholicis tantùm, quoad absolutionem ab hæresi.

59. Ex iis verò, qui in secunda classe continentur,

Refellitur experientia Missionis nostræ.

nentur, magna sanè pars adolescit in erroribus, eosque invincibiliter veros habet, nec Celladeus, ni fallor, id diffiteretur, si apud nos in Anglia educatus fuisset, atque manum hominibus ad fidem reducendis adhibuisset. Invenisset enim plures, qui nullam in vita sua de veritate suæ religionis, aut de nostræ religionis falsitate dubitandi causam habuerunt, quique post conversionem post diligens examen ullum de sua in hac re negligentia scrupulum invenire possunt. Ex his multi, statim ut dubitandi causa apparuit, seriò se ad veritatem indagandam contulerunt. Nec desunt plurimi in sua secta valde religiosi, qui juxta institutionem quam habent, Deo servire satagunt. Hi certè hæretici non sunt, nec umquam fidem in baptismo acceptam perdiderunt, & tamen isti ipsi ad cautelam ab excommunicatione absolvuntur in foro interno ab iis, qui ab hæresi absolvendi facultatem habent; non est autem cur, si justa causa id exigeret, absolvi non possent in foro interno ab eo, qui talem potestatem non haberet, cùm satis constet, eos nec contumaciæ, nec peccati contra fidem reos extitisse. Verùm in regionibus Catholicis pro uniformitate Ecclesiæ, & ad majorem populi fidelis satisfactionem & ædificationem admissio ad gremium Ecclesiæ, & absolutio saltem ad cautelam in foro etiam externo danda est.

Experientiæ suffragatur ratio.

60. Cæterùm non solùm praxis continua cum iis qui reducuntur ad fidem, sed etiam rationes efficacissimæ planè convincunt, plurimos ex rudioribus inter solos hæreticos ab infantia educatos ab hæreseos peccato esse immunes. Hi enim, sine prædicante & annunciante, audire veritatem, illique fidem dare nequeunt. At nemo illis nuntiat veritatem, sed omnes sua dogmata proponunt tamquam à Deo, & Sanctâ ejus Ecclesiâ tradita. Ergò invincibiliter ignorant & errant. Sed ponamus aliquem illis scrupulum ingerere; an ideo statim tenentur suis erroribus renuntiare, & fidem Catholicam amplecti? nullo modo. *Qui citò credit, levis est corde.* Fieri potest, ut qui scrupulum injicit exiguæ auctoritatis sit; fieri potest, ut deteriora proponat, &c. At in re tanti momenti, quanta est fides & salus æterna, prudentis non est auditis statim fidem dare; immo temerarium esset & stultum illi credere, de quo non constaret, quod esset fide dignus. At non statim constat, quod novam proponens fidem sit fide dignus; immo ut sit fide dignus doctrinam suam reddere debet credibilem, quod non statim, nec ab omnibus facilè fieri potest. Rursus si unus unam, & alius ei contradicens aliam fidem proponat, (quod in tali casu ferè semper evenit) infidelis ille, maximè rudis, ignorat, quis aut qualis sit, qui fidem veram proponit, & an sit dignior fide iis, quos ab infantia contrarium docuisse novit.

61. Rursus, infidelis vel hæretici ejusmodi non tenentur credere aliam falsam sectam sic propositam. Ergò neque veram, quia ex modo proponendi scire nequit, quænam sit vera. Unde Dominus ipse *Ioan. 15.* tradit peccatum non habituros, *si signa non fecisset, quæ nemo alius fecit.* Similiter Catholicus etiam indoctus non tenetur credere hæretico dicenti se verum prædicare, idque non solùm quando constat, quod contra Ecclesiæ sensum loquatur, sed etiam in rebus, de quibus rudis ille nil antea audivit in alterutram partem. Ergò vice versa hæreticus rudis non statim tenetur credere veritatem, eo ipso quòd ipsi proponatur.

Imò & rationis Auctoritas.

62. Tertiò, ratio à priori sumitur à S. Thoma *2. 2. quæst. 1. art. 4. ad 2.* ubi tradit, credentem debere videre mysteria fidei, non in se, sed prout sunt credibilia; *Non enim crederet*, inquit, *nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Hinc sic arguo. Mysteria fidei non statim ita proponuntur à quovis, ut evadant credibilia, sed ad hoc confirmari debent vel evidentiâ signorum, vel aliquo æquivalenti: sed ad hoc multum requiritur. Ergò hæreticus ille rudis non statim tenetur credere, immo non potest credere, donec videat rem propositam esse credibilem. Ergò debet videre illam esse credibiliorem suâ sectâ. At ad hoc non quævis propositio sufficit, sed valida propositione ac confirmatione opus est. Verùm hoc universaliter verum est, minora motiva sufficere, ut talis hæreticus possit ac debeat de sua fide vacillare ac dubitare, quàm ut fixam ac firmam & immutabilem fidem concipiat. Hæc & alia ejusmodi convincunt, plurimos ex rudibus, apud solos hæreticos educatis, in sua secta invincibiliter errare, & pœnas hæreticorum non incurrere.

Replicat.

63. Sed contra instat Celladeus, & §. ultimo sic objicit. Ex hac doctrina sequitur nullum fuisse in mundo hæreticum, nullum infidelitatis peccatum; nemo enim credit, quod sibi credibile, & oppositò credibilius non videtur. Ergò nulli hæretico in sua secta manenti umquam sufficienter proposita fuit fides. Ergò nullum fuit aut est peccatum hæresis propriæ, & interioris. Hinc constat rationes allatas in eo solo vim facere, quòd omnia regulent per actualem cujusque existimationem de bono & malo. At constat hoc esse falsum. Teneatur vera doctrina, quod peccari potest operando juxta conscientiam, si vincibiliter erret, & omnia sponte corruunt. Peccat enim hæreticus si fidem præbeat illi, qui nondum sibi fide dignus habetur, quia temerè agit contra conscientiam. Et tamen peccat etiam operando juxta conscientiam non credendo, quia tenetur eam conscientiam, utpote erroneam, deponere, quod locum non habet in casu Catholici, non credentis falsa sibi proposita, quia hic operatur juxta conscientiam rectam, non erroneam. Quod si Christus dixit Judæos peccatum non habituros, nisi ipse signa fecisset quæ nemo alius fecit, non tamen adjunxit, eos non peccaturos, nisi ipsi id ita esse cognoverint, quia multi odio obcæcati id non cognoverunt, qui tamen id negando ac nesciendo peccarunt. Similiter verum est quod S. Thomas dicit, credentem debere videre *mysteria fidei esse credenda vel propter signorum evidentiam, vel propter aliquid hujusmodi.* Sed ubi dixit S. Doctor, quod quicumque hanc evidentiam non assequitur, hoc ipso excusetur, & hæreseos peccatum non incurrat? Ita Celladeus.

Responsio.

64. Respondeo, Adversarium in eadem æquivocatione, ac rerum indistinctione persistere, atque ex illa ad illationes omni veritatis specie carentes progredi. Ex hæreticis alii scientes & volentes contra Ecclesiæ auctoritatem, quam satis perspectam habent aut habere possunt & debent, pertinaciter suis erroribus inhærent, & hi à formalis hæresis peccato non excusantur, quia testimonium Dei loquentis sufficienter propositum posthabent & contemnunt, quantumque in ipsis est Deum mendacem faciunt. Nec obstat, quod sectas suas mysteriis fidei credibiliores habeant, quia hæc apparentia credibilitatis consequitur ad affectum indebitum, & ad judicium temerè conceptum, uni parti peccaminosè alligatum,

tum, ideoque error ille est ipsis imputabilis, quia fundatur in ignorantia voluntaria, supina scilicet, vel fortè etiam affectata. Alii aut nullam umquam de Ecclesia Catholica mentionem fieri audierunt, aut non nisi pessima de illa perceperunt; ideoque nec habent, nec debitam de illius auctoritate opinionem habere debuerunt, aut etiam potuerunt. Jam de his tantùm rationes nostræ procedunt, quia error istorum est prorsùs invincibilis, cùm apparentia de illius veritate antecedat omnem indebitum affectum voluntatis, sitque talis, ut hîc & nunc, aut non possit, aut non debeat deponi. Peto jam, an ex eo quod isti non peccent peccato hæresis, sequatur nullum in mundo hæreticum formalem extitisse? Ita infert Celladeus, sed qua veritatis specie judicet Lector, imò contentus sum, ut ipse hæc legens judicet.

Hallucinatio Celladei.

65. Falsum similiter est, quod dicit, argumenti nostri vim in eo sitam esse, quòd supponat propriam cujusque existimationem de bono & malo esse sufficientem conscientiæ regulam; non enim hoc supponit, sed directè probat ignorantiam & errorem ejusmodi idiotarum esse invincibilem, ac ipsis inimputabilem; talis autem existimatio boni est regula sufficiens, ut ostensum est *quæst. 3.* quamvis constet errorem vincibilem ad conscientiam regulandam non sufficere. Itaque communis illa ac verissima doctrina, quod necessariò peccet, qui sequitur conscientiam vincibiliter erroneam, argumento non officit, quia solùm probat hæreticos primæ classis stante sua persuasione in eo peccare quòd Ecclesiam contemnant, &c. quia illi & possunt & debent conscientiam suam erroneam deponere, cùm sit vincibilis; pro priori enim adsunt motiva sufficientia ad eam deponendam, utpote quæ obligant ad eam non formandam. At rudes, in secunda classe contenti, aut non possunt aut non debent conscientiam suam deponere, cùm antecedenter ad omnem affectum uni parti alligatum, motiva ad talem obligationem inducendam sufficientia non habeant, sed, nisi temerè agere velint, suis erroribus fidem dare debent.

Explicantur verba Christi, à Celladeo objecta.

66. Quod addit de Christo non solvit argumentum, quia quamvis Christus non dixerit, neminem ex Judæis, qui non agnoverit eum talia fecisse signa, peccasse non credendo, tamen satis luculenter asserit neminem eorum peccaturum fuisse non credendo, nisi potuissent idipsum scire, atque per ipsos, eorumque culpâ stetisset, quò minùs id scirent. At hoc abundè sufficit ad intentum nostrum, cùm argumentum procedat de iis, qui talem de mysteriis fidei informationem habere nequeant. Idem proculdubio est sensus S. Thomæ: nulla proinde est hæc Celladei replica.

SOLVITUR ULTIMA OBJECTIO,

Quæstione nona contenta.

Objectio 7.

67. OBJICIT septimò. Absurdissima ac pernicioſissima hæresis non ita pridem pervulgata docet, unumquemque salvari in sua religione, modò credat in Christum, atque juxta suæ religionis præscriptum vitam instituat, nec quidquam contra lumen naturæ operetur. Error hujus hæresis in eo consistit, quòd dicat, Deum alligasse salutem æternam omni credenti in Christum, modò juxta religionem suam vivat, & contra lumen rationis non operetur; quasi verò tota substantia Religionis, quam Deus exigit ad salutem, in eo solo puncto vertatur, quòd in Christum credamus, reliquæ verò de religione dissensiones sint res parvi momenti, & velut diversarum Scholarum opiniones, in quibus unicuique impunè permittitur in suo sensu abundare. At idem absurdum reipsa sequeretur si verum esset, quod omnis, qui sine scrupulo operatur, juxta conscientiam suam non peccaret. Inprimis sequi videtur, hæreticos omnes juxta errores suos atque formatam ex iis conscientiam non peccare, quia sine scrupulo fidem suam veram habent, & de veritate conscientiæ juxta illam formatæ securi sunt. Quod si deinde dicatur, bonum esse juxta conscientiam sic formatam operari, sicut turpe est contra agere, eo ipso hæreticorum & infidelium operationes, erroribus suis consentientes, evadent honestæ. Inde autem sequitur ulteriùs, easdem operationes esse ordinis supernaturalis, quia ex verâ Theologiâ gratia supernaturalis & auxilium sufficiens nulli deest ad suas honestas operationes, ut ordinis supernaturalis fieri possint. Erunt ergo operationes illæ meritoriæ vitæ æternæ, saltem de congruo, quin etiam & de condigno in hæreticis baptizatis, qui grave aliquid contra lumen naturæ, & suam sectam committendo gratiam baptismalem non amiserunt. Habebitur ergò, unumquemque salvari in sua secta, modò juxta eam, ac naturæ lumen accuratè vixerit.

Confirmatio.

68. Idem sequitur ex eo præcisè, quòd homo dicatur non peccare, si illud faciat, quod conscientia ipsius sine scrupulo & remorsu bonum esse dictat. Hinc enim sequitur, unumquemque salvari in sua secta, saltem Christiana, si juxta eam, ac lumen naturæ vivat. Inprimis hi baptizati sunt, & gratiam baptismi non perdunt nisi peccando. At non peccant, ut ponimus, si juxta suam sectam & naturæ lumen operentur. Ergò salvantur. Cæteri verò, quibus eo dilectionis Dei remedio provisum non fuerit, salvari nequibunt, sed non damnabuntur, sed ad lymbum puerorum sine baptismo decedentium mittentur, vel ad alium locum ubi leviorum pœnarum culpas luant. At sequela absurda est. Ergò falsissimum est, quod conscientia scrupuli & ambiguitatis expers, sive ex veritate, sive ex errore formetur, à peccato liberet, & operationem honestam inducat. Ita Celladeus *quæst. 9.* ubi asserit se non capere, in quo hæc opinio quoad praxim, & effectum salvandi omnes in suis sectis, discrepet ab errore hæreticorum dicentium, unumquemque salvari in sua secta, & lege saltem Christiana, si juxta eam, ac naturæ lumen accuratè vixerit.

Responsio.

69. Respondeo hæc omnia abs re objici, cùm præsentem quæstionem non tangant, nemo enim Catholicorum asserit, omnem operationem juxta conscientiam factam esse bonam, aut certè non malam; sed omnes rem distinguunt, ut ex A quæstionis assertionibus positis constat, & expresè dicunt non loqui plurimos sectando conscientiam peccare, operaque ejusmodi, vel ratione sui, vel ratione alterius, ad peccatum & pœnam frequenter imputari. Itaque doctrina objectionis procedit de subjecto non supponente, si sumatur ut medium ad improbandam doctrinam communem, quam initio quæstionis proposuimus. Nec hoc differetur Celladeus, qui dicit se hanc quæstionem instituisse de opinionibus, quæ sunt, aut esse possunt, nec litigare an sint. Quæstionem tamen instituere voluit, eamque instituit, ac si indicare vellet, opinionem

de Celladeo loquens.

opinionem communem, quæ actualem mali advertentiam ad peccandum requirit, quoad absurdum salvandi omnes in sua secta, non discrepare ab errore hæreticorum dicentium, omnes in Christum credentes salvari in sua religione, si juxta illam vivant, & nil contra naturæ lumen agant. Sed si hoc intendat, injurius est gravissimis Auctoribus Vasquio & Sanchez, aliisque innumeris, cum eorum opinionem absurdissimæ hæresi comparet, pariaque absurda ex utraque inferri dicat. Hanc notam ut abstergam, opus erit doctrinam objectionis evolvere, demonstrareque communem opinionem nil commune cum dicta hæresi habere, ne quidem in absurdo illo prætenso salvandi omnes, qui juxta sectam ac conscientiam suam vivunt.

Ulterior objectionis solutio.

70. Inprimis ergò dico, materiales hæreticos salvandos esse, etsi moriantur in suis erroribus, modò ab infantia baptizati fuerint, & postea nil unquam egerint contra lumen rationis, aut dictamen suæ conscientiæ. Ratio est perspicua, quia tales justificati sunt, & numquam graviter peccarunt. Inprimis non peccant credendo, quia hæresis illorum supponitur invincibilis; non etiam peccant in operando, quia nullum malum illis voluntarium fuit, cùm supponamus eos nil umquam fecisse, in quo ulla ratio mali ipsis fuit repræsentata. Verùm hi salvantur non titulo errorum etsi invincibilium, & quia non peccarunt, sed potissimè, quia sanctitatem veram in baptismo receperunt, & illam non perdiderunt. Hi ergò non extra Ecclesiam, sed in Ecclesia moriuntur, à qua per contumaciam numquam coram Deo separati fuerunt. At si adultus converteretur ab hæreticis, atque erraret in iis, quæ sunt necessariò credenda necessitate medii, ille utique, stante tali errore, justificari non posset, & consequenter nec salvari, quamvis invincibiliter erraret, & post conversionem juxta sectam suam viveret, & nil contra lumen naturæ ageret. Ratio est, quia careret dispositione, quam Deus ad gratiæ infusionem absolutè requirit. Ergò justificari & salvari non posset. Et hoc quidem verum est, si stemus in præcisis terminis suppositionis factæ, nam qui sic ageret, salvaretur haud dubiè, quia facienti quod in se est Deus gratiam non denegat: at iste homo qui invincibiliter erraret, legemque totam naturalem, atque etiam positivam, quam invincibiliter credit à Deo latam, servat, facit quod in se est. Ergò Deus tandem illum illuminabit, ita ut crediturus sit, & mediante fide tandem justificandus, aut certè restiturus est vocationi Divinæ, & sic tandem peccaturus, & damnandus. Idem proportionaliter dicendum de hæretico materiali ab infantia baptizato, si erret circa ea, quæ ab adultis credenda sunt necessitate medii; Deus enim ex sua providentia illum tandem illuminabit, &c. Si illuminationi correspondeat salvabitur, secus peccabit & damnabitur. Cæterùm necesse est, stante nostra hypothesi, ut ista tandem illuminatio & vocatio ad fidem talium illi detur, alioquin admitti deberent duæ in Deo voluntates absolutæ sibi contrariæ; altera qua non vult perire justificatum per baptismum, qui à justitia per peccatum non recedit. Ille autem non recederet, ut supponimus, & Celladeus ipse non negat, si supponamus eum in omnibus invincibiliter errare, quia tunc non peccaret sectando dictamen suæ conscientiæ. Altera, qua non vult adultos salvari, nisi per actualem talium mysteriorum fidem ad ipsum accedant. Jam alterutra harum voluntatum frustaretur, si hæreticus materialis ab infantia baptizatus, in casu præsentis quæstionis ad fidem talium articulorum non vocaretur. Quia ex vi prioris decreti deberet salvari, cùm tamen ex vi secundi salvari non posset.

Lata disparitas inter nostram sententiam & hæresim à Celladeo objectam.

71. Hinc apparet, ingentem esse diversitatem inter hæresim dicentem, unumquemque, quin Christum credit, salvari in sua religione, si juxta eam vivat, & opinionem jam relatam, quæ dicit hæreticum materialem invincibiliter errantem, & juxta dictamen suæ conscientiæ operantem, si in nullo umquam habuerit ullam apparentiam aut scrupulum mali sibi repræsentati, sic operando esse salvandum, maximè si non erret in articulis necessitate medii credendis. Diversitas in eo consistit, quòd error ille sit propositio universalis complectens aliquam particularem veram, & alias multas particulares falsas. Complectitur enim omnes juxta suam sectam operantes, ex quibus multi in amplectenda sua secta vincibiliter errant, quos proinde haud dubiè damnandos scimus, nisi tandem resipiscant. Quod si dicas, Hæreticos dictos non loqui de illis, qui vincibiliter errant, profectò eo ipso non loquuntur universaliter, sed restrictè, & sic illorum propositio non ampliùs esset falsa & hæretica: Verùm haud dubiè loquuntur universaliter, & dicunt nullum errorem in fide esse culpabilem, modò credant in Christum, quia reliqua omnia dogmata ut res minoris momenti respiciunt, in quibus error non magis damnabilis est, quàm sit opinio quævis Scholastica inter Catholicos diversa sentientes. Itaque sicut propositio hæc hæretica, *omnis homo salvari potest in sua religione, si juxta eam vivat*, immensum differt ab ista propositione Catholica & certissima, *Aliquis homo salvari potest in sua religione*, nempè Catholicus, *si juxta eam vivat*: ita pariter & illa propositio hæretica, quam Celladeus urget in argumento, immensùm discrepat ab ea quam nos veram esse asserimus, utraque scilicet ab hæreticis proposita est universalis affirmativa, utraque verò à Catholicis usurpata est particularis affirmativa. Uno verbo tantùm discrepant illæ hæreticæ à veris, quantum hæc propositio universalis falsa, *omnis fidelis est Deo gratus*, differt ab hac particulari vera; *Aliquis fidelis est Deo gratus*.

72. Est & alius error, quem universalis illa hæretica affirmat, nempè omnes salvandos esse in sua religione, quamvis in multis peccaverint, si juxta suæ sectæ præscriptum pœnitentiam agant. At hoc est falsissimum, quia aliquæ sectæ vanam & præsumptuosam confidentiam, aliæ exiguam aut nullam pœnitentiam, aliæ alia pro remedio assignant, & pleræque errant in medio citra quod, Deo sic statuente, nemo justificari potest. Hi ergò etsi vivant juxta præscriptum suæ sectæ, atque ita vivendo non peccent damnabuntur, quia sic faciendo non adhibent medium absolutè necessarium ad justificationem. Peribunt ergò in peccatis suis, & damnabuntur.

73. Atque hinc constat dictam propositionem hæreticam plurimum discrepare ab hac alia universali etiam falsa, *Nemo peccat in eo, quod facit juxta suam conscientiam*, quia quamvis hæc esset vera, non ideo sequeretur, hominem operantem juxta suam conscientiam aut salvandum esse, aut à prioribus peccatis liberandum; quia si talis homo erret circa absolutè necessariò credenda, atque circa media ad justificationem absolutè necessaria, circa quæ errare potest, nunquam salvabitur, quamvis operetur juxta sectam suam, &

in eo non peccet, nec ulla nova peccata prioribus superaddat. Quod cùm perspicuum sit, miror Celladeum in hoc adeo deceptum fuisse, ut dixerit se non videre diversitatem ullam inter illas propositiones quantum attinet ad hoc, ut taliter operantes absolutè salvandi essent, si juxta illas vitam suam regularent. Prima enim, si vera esset, suos sequaces salvaret; non item secunda, utpote cujus veritas non involvit usum medii sufficientis ad salutem, quem certè prioris veritas aut includit aut supponit. Verùm secunda illa propositio est absolutè falsa, & à nemine ferenda, ut constat ex dictis.

Mira Celladei hallucinatio.

74. Falsò ergò supponit Celladeus, hæreticos universaliter non peccare operando juxta suos errores; hoc enim duntaxat verum est de iis, qui invincibiliter errant, reliqui à peccato non excusantur. Nec dicat se in argumento supponere, neminem peccare faciendo id quod bonum judicat, & ex illa tantùm suppositione arguere; nam adhuc falsum supponit, quia si ipsa conscientia dictans rem esse licitam à prava voluntate imperetur (quòd certè evenit in hæreticis, qui à fide deficiunt, quos satis constat non ex ignorantia, sed ex malitia peccare, quamvis eorum peccatum elicitum in ipso errore, seu ignorantia pravæ dispositionis consistat, & illi cõsequenter ad suum hoc peccatũ se minimè peccasse existiment) adhuc iterum ex hoc capite errat in supposito.

Errat denuo Celladeus in argumẽti sui suppositio.

75. Sed admittamus jam, ut locus detur argumento, eos nec in ipso errore contrahendo peccasse, sed excusari, quia juxta suam conscientiam operati sunt. Non ideo salvabuntur si circa necessaria necessitate medii errent, ut dictum est. Nec obstaret, quamvis contra veritatem admitteremus talia opera esse bona, quia adhuc non essent supernaturalia, quia per fidem, utpote qua hæretici illi carerent, non regularentur. Quod autem dicitur, gratiam non deesse, qua bona opera evadant supernaturalia, admitti non debet nisi cum limitatione, scilicet quando opera illa per veram fidem supernaturalem regulantur, quia ordo gratiæ hoc postulat, ut bona opera supernaturalia per fidem supernaturalem regulentur. Deinde quamvis illa opera essent supernaturalia, non ideo taliter operans salvaretur, si stemus in terminis præcisis suppositionis præsentis, quia hoc non obstante errare potest circa media, quæ Deus statuit ut absolutè necessaria. Ergò si ea omitteret non salvaretur, nec ullatenus à peccatis contractis liberari posset. Non ergò ex hoc sequitur unumquemque salvari in sua secta, si juxta eam ac naturæ lumen vixerit.

Non omnis invincibiliter in fide errans continuò salvabitur.

76. Absurdum porro est, quod dicit Celladeus, eos, qui peccato per baptismum liberati non fuissent, non salvandos quidem, sed nec damnandos, verùm ad lymbum parvulorum, aut ad alium locum, ubi leviores culpas luant, detrudendos. Quid sibi vult hoc dictum? Nónne pueri sine peccati originalis remedio decedentes verè damnantur? Damnantur utique, cùm Deo odibiles existant, atque ideo vitam miseram in æterno ac horrendo carcere traducent, quamvis pœna sensûs torquendi non sint. Quod si huic malo æternam sensûs pœnam pro delictis venialibus inflictam adjungas, quid ad damnationem desit nemo dixerit. Libuit tamen Celladeo aliter loqui, & ex suo capite tertium locum æternum fabricare, de quo nec sacra eloquia nos instruunt, nec Ecclesia quidquam docet, sed ex opposito satis apertè indicant nullum ejusmodi locum à Deo institutum fuisse.

77. Demum omittere non possum patentem, Celladei in ista quæstione inconsequentiam, seu contradictionem. Prope finem quæstionis invehitur in eos, qui dicunt, Hæresiarchas & Idolatras omni vitiorum genere abominabiles, non cò cæcitatis deveniisse, quin mente sua satis adverterent, se in multis male facere, quamvis nullo doloris remorsu conscientia eorum torqueretur, & consequenter quamvis ad judicium uni parti affixum, in aliquo sensu putarent se benè facere. Qui ita sentiunt, hanc rationem afferunt, *quod in rebus adeo perspicuis nemo errare possit, quin satis advertat ea esse mala*, quidquid dicat aut protestetur in oppositum. *Probatio* (inquit) *in hanc absurdam propositionem tota resolvitur, quod homo errare nequeat in rebus perspicuis. Sciatur, quid est homo, & hoc non dicetur, &c. simulacra gentium Deos non esse haud minùs existit conspicuum, & tamen fallebatur non una natio, sed mundus universus, &c.* Ita de hac re, ubi alios sibi contradicentes arguit, censuit Celladeus; qui tamen paulò antè prope initium secundi §. ut sensum hæreticorum, dicentium unumquemque salvari in sua secta, in proprium favorem proponeret, hæc habet. *Hæresis proposita non hoc dicit, servari quemque in sua secta, vel lege, vel religione, quam aut falsam putat, aut quam veram esse subdubitat. Nihil hujus additionis aut hæresis ipsa meminit, aut illius oppugnatores Orthodoxi de additione disputant, sed de hæresi ipsa in se. Est scilicet contra lumen ipsum conspicuum naturæ, servari quem in sua secta, vel lege, quam aut falsam habet, aut veram esse dubitat.* Est ita fateor, Celladee, & quidem adeo perspicuum, ut hæretici, quamvis inter omnes maximè obcæcati, hoc nec dixerint, nec credere, etiam te fatente, potuerint. Inconsequenter ergò loqueris, tibique contradicis, cùm paulò pòst tam contentiosè probare conaris, nil adeo conspicuum esse, circa quod homo errare non possit. Si hoc verum, ergò & Hæretici, qui certè homines cæci, superbi, sibique præfidentes sunt, in illo, etsi maximè perspicuo, errare potuerunt. Si autem hæretici cæci in hoc tam conspicuo errare nequiverint, ideoque id non ignoraverint, profectò similes hæretici, aliique Idolatræ circa multa alia æquè conspicua errare non potuerunt, ideoque verè non ignorârunt ea, quæ faciebant, esse mala, quia eorum malitia non minùs conspicua est, quàm quod nemo salvari possit in secta, quam aut falsam putat, aut veram esse, dubitat. Dicendum itaque scintillam rationis semper manere in homine, per quam semper satis discernat talia esse mala, quamvis aut per consuetudinem, aut pravam institutionem ea parvi faciat, nec remorsum conscientiæ sentiat, sed ea in aliquo sensu, & in ordine ad aliquem finem aut verum aut fictum dicat esse bona.

Cælibatus contemptus.

QUÆ-

QUÆSTIO SEXAGESIMA-QUINTA.

Quid requiratur & sufficiat ut ignorantia, & opus ab ignorantia causatum sit & dicatur voluntarium, ac liberum?

Status quæstionis præsentis.

1. QUÆSTIO hæc ab omnibus fermè fusè tractatur ad 1. 2. S. Thomæ, nec in ea quidquam speciale occurrit, quod peculiarem discussionem mereatur, quia omnes quoad hanc materiam in omnibus fermè consentiunt. Quæstio tamen proponi debuit, quia Celladeus *parte 2. lib. 1. quæst. 10. & 11.* vehementer contendit, suam doctrinam ex communi de voluntario Theologia quodammodò demonstrari, communemque sententiam hactenus explicatam falsitatis redargui. Verùm quantum fallatur, ex dicendis constabit. Interim quia duo ad peccatum requiruntur, nempè voluntarietas & libertas, quarum neutra absque repræsentatione & cognitione rei, quæ imputatur, haberi potest, ideo difficile videtur explicare, quomodò illa, quorum malitia ignoratur, imputari possint, cùm malitia illa videatur non esse voluntaria, nec sæpe liberè omitti potuisse. Ut hoc explicaret Celladeus, duas has quæstiones proposuit, etsi nil singularis difficultatis in illis eluceat. Ego quæstiones has, utpote ab omnibus fermè fusè explicatas, ad examen iterum revocandas non judico: abundè enim sufficiet doctrinam Celladei proponere; sic enim Lector faciliùs videbit in quo verum dicat, & in quo à veritate discedat, & an rectè impugnetur rectiùs judicabit. Post propositam autem & correctam doctrinam illius, facillimum erit quæstioni satisfacere, atque quid ad voluntarietatem ac libertatem eorum, quæ ex ignorantia fiunt, requiratur determinare.

ASSERTIO PRIMA.

Propositum sit breviter exponere doctrinam de voluntarietate peccatorum ignorantiæ, quam Celladeus quæst. 10. lib. 1. Partis 2. *complectitur, atque errores in ea contentos redarguere.*

EJUS DOCTRINA PROPONITUR.

Sensus Celladei.

2. IN PRIMIS rectè contendit omnes omnino debere ostendere quomodo peccata ignorantia sint voluntaria, quamvis verum sit, quod nil sit voluntarium nisi prægnitum. Ratio id convincens est, quia omnes tenentur admittere peccata ignorantiæ, quæ certè scienter & advertenter non committuntur. Sunt tamen voluntaria, quia omne peccatum est voluntarium, & si ratio voluntarii auferatur, eo ipso omnis ratio peccati tollitur. Ergò omnes ostendere debent, quomodo peccata ignoranter commissa sint voluntaria. Hoc videre est in hæreticis. Nemo salvâ fide negare potest quod detur peccatum hæresis, etiam internæ. Et tamen qui sic peccat, veram putat hæresim quam credit; ac proinde in ea credenda non agnoscit peccatum. Ergò peccatum ignoratum est voluntarium. Sed quomodo hoc?

3. Rem sic declarat. S. Thomas *1. 2. quæst. 6.* & cum eo Theologi omnes expresè docent, ignorantiam non semper causare involuntarium, quamvis præsens ignorantia auferat non solùm considerationem, sed etiam ipsam scientiam mali. Idem docent de concupiscentia, quamvis illa rationem perturbet & considerationem peccati sæpe adimat. Idem valet de iracundia. Si enim tales passiones & inconsideratio mali ab illis inducta voluntarium tollerent, omnia fermè peccata tollerentur.

Urgetur difficultas quæstionis præsentis.

4. Rursus omnes diligentiam aliquam pro veritate addiscenda postulant. Hanc diligentiam qui omittit, non excusatur, sed peccat, quando ex ignorantia munus suum indebitè implet; ut videre est in Medicis, Judicibus, Confessariis, aliisque qui debitam diligentiam omittunt, per quam apti ad suum munus implendum evasissent. Haud dubiè enim mala talium munerum administratio est illis voluntaria, quamvis versa in naturam consuetudine, nullis scrupulis vexentur. Tantum ergò abest, ut actualis consideratio mali requiratur ad peccatum, ut sapientiores Theologi actualem cogitationem peccati in ipsis etiam scienter admissis peccatis planè denegent. Sed difficultas est, quomodo talia opera mala sint illis voluntaria, cùm quando ea ponunt, bona illa esse, non mala, arbitrentur?

Celladei resolutio.

5. Respondetur ergò cùm S. Thoma, omnem ignorantiam, quæ est peccatum vel causa peccati, esse voluntariam, sicut etiam malitia peccati scienter admissi est voluntaria, eo scilicet modo, quo voluntaria esse potest. Unde sicut ut malitia sit voluntaria, non sufficit quod actus malus sub ratione actûs repræsentetur, nisi etiam ratio mali aliquo modo appareat, alioquin ipsa malitia non posset esse voluntaria, quia nullo modo esset prægnita; ita pariter nisi ignorantia ipsa, & mala per ipsam facienda, aliqua ratione prægnoscantur, non possunt esse voluntaria; repugnat enim primum peccatum ex ignorantia procedere, quia ignorantia antecedens, & ab actibus voluntatis independens est prorsùs invincibilis. ideoque omne illud à toto excusat, quod à tali ignorantia procedit. Atque hinc apparet, quomodo ignorantia, & mala per illam facienda evadere possint voluntaria; primò directè, quando igno-

rantia affectatur, ut homo sine remorsu liberiùs peccet; & hæc ignorantia non minuit sed auget voluntarium. Secundò indirectè, quando per negligentiam quærendi veritatem, quam quisque ex suo officio scire poterat & debebat, ignorantia incurritur. Homo enim præsciens se debere ignorantiam expellere, ut illâ expulsâ quæ mala vitanda, & quæ bona sibi facienda essent sciret, voluntariè & imputabiliter ignorantiam incurrit, quando negligit veritatem quærere; ideoque tam ignorantia quàm mala per illam causanda sunt indirectè voluntaria, ad quod certè in dicto casu sufficiens cognitio prævia non defuit, ut patet. Porrò ignorantiam hujusmodi indirectè tantùm volitam, quatenus potuit ac debuit impediri, non tollere sed solùm minuere malitiam eorum, quæ ab ipsa causantur, est constans omnium Theologorum opinio.

6. Neque tamen opus est, ignorantias istas, aut mala per ignorantiam causanda, præcognosci in individuo aut in specie, sed sufficit si cognoscantur in genere, Sic Judex, aut Medicus prævidens solùm in genere multa à se ignorari, sine quorum notitia muneri suo satisfacere nequit, peccat haud dubiè negligendo ea scire, adeo ut ignorantiæ illæ, & mala ab illis proventura sint illis voluntaria, atque imputabilia, quamvis nesciant in individuo aut in specie, quæ quot & qualia ipsi desint. Ergò non requiritur ut malitia actûs, aut ignorantia in individuo aut in specie præcognoscantur, sed sufficit, si præcognoscantur in genere. Hoc etiam ex eo convincitur, quòd ignorantia & malitia in genere, non minùs quàm in specie ac individuo cognita, affectari potest, & ex negligentia incurri. Ergò utroque modo tam ignorantia, quàm mala ignorata, solùm genericè proposita esse possunt voluntaria, & consequenter ad culpam imputari.

7. Itaque tota res ad hoc devolvitur, an quis scire potuerit ac debuerit nec ne? Si non potuerit, aut non debuerit, ignorantia est illi aut simpliciter invincibilis, aut certè inimputabilis; si potuerit ac debuerit, & tamen noluerit, aut omiserit, ignorantia & mala ab illa provenientia illi imputantur, sive in genere, sive in specie illi repræsentata fuerint, quia fuerunt illi voluntaria saltem indirectè, & sic imputantur, quia verè sunt voluntaria moraliter & interpretativè. Porrò hoc voluntarium interpretativum manet, quamdiu quod peccatum est per pœnitentiam non retractatur.

Modernos perstringit Theologos.

8. Ex his concluditur falsam esse doctrinam, quæ ad actuale peccatum actualem mali advertentiam requirit, quia ignorantia, & mala ex ignorantia, sive affectata sive crassa ac supina, provenientia, sunt peccata. Illa autem sæpe fiunt sine ulla actuali advertentia ad malum. Quinimmo id quod ex errore fit, bonum esse, Deoque placere creditur, ut constat in iis qui Apostolos persecuti sunt, & videre est in hæreticis, maximè iis, qui suis erroribus innutriti fuerunt, illi enim plerique peccant, ut ostensum est, quamvis satis constet, eos numquam sectæ suæ pravitatem ac malitiam nosse. Et sanè Hæretici qui ab initio fortè dubitabant, postea meliùs, ut ipsis apparet, instructi, non dubitant, & tamen iidem, quò immobiliùs & pertinaciùs hærent sectis, quas ut verissimas & ut sanctissimas religiones putant, eò sceleftiores evadunt & graviùs peccant. Idem dicendum de Ethnicis, qui falsos Deos venerabantur, & ipsas turpitudines tamquam res verè religiosas habebant. An isti actu advertebant se male facere? Idem dico de Ethnicis Christianorum persecutoribus, qui religionem Christianam habebant pro stultitia, eorum asseclas oderant tamquam Magos qui ex commercio cum dæmonibus mira patrabant ad plebem decipiendam. Et tamen isti peccabant. Peccatur ergò quando malitia actu non repræsentatur. Immo peccatur sæpe, quando opus quod fit creditur esse bonum, Deoque gratum. Hactenus Celladeus, qui in fine quæstionis ex S. Thoma respondet iis, quæ in initio quæstionis contra voluntarietatem eorum quæ fiunt ex ignorantia ex S. Thoma proposuerat. Verùm de his, utpote quæ omnibus notoria sunt, quæque ut principia in tota hac materia ab omnibus admittuntur, non est quod quidquam dicatur. Solùm ergò superest, ut hæc Celladei doctrina discutiatur, ut sic aurum à scoria separetur.

DOCTRINA ALLATA EXCUTITUR.

Difficilis doctrina.

9. In primis universaliter dicendum est, totam hanc doctrinam nil prorsùs conducere præsentem ad intentum principale de licito probabilium usu, aut de ignorantia & errore circa res tam incertas, ut diligentissimi quique ac optimi de illis directè sumptis discrepent, atque omnes (præter paucules) de eisdem reflexè consideratis uno ore enuncient, eorum usum esse licitum. Ratio est perspicua, quia talium ignorantia non potest non esse invincibilis, cùm ea ab optimis & diligentissimis superari nequeat. Præterea error & ignorantia eorum, quæ aut non possunt aut non debent sciri, non est imputabilis, ut Celladeus ipse ex S. Thoma fatetur. At ignorantia talium objectorum, & error circa illa aut non potuit, aut non debuit vetari; omne enim ejusmodi præceptum absurdum esset & noxium, cùm nemo illud servare, aut post conatum scire posset, an illud expleviset, nec ne. Ergò nullum datur tale præceptum. Ergò qui post diligentiam debitam talia ignorat, ea ignorat, quæ aut non possunt aut non debent sciri. Ergò talis ignorantia aut est simpliciter invincibilis & involuntaria; aut certè est prorsùs inimputabilis, quod solùm contendimus. At totus hic discursus nil facit contra hoc ut patet. Ergò ad præsentis controversiæ scopum nil conducit. Nihilominus ad pleniorem legentium satisfactionem singula inspicienda sunt.

Quæstio approbata aut improbanda pendet ex indole doctrinæ.

10. Inprimis ergò absolutissimè amplectimur, duas illas doctrinas, quas ex S. Thoma approbat Celladeus; quarum prima dicit, ignorantiam & mala per ignorantiam causata, evadere voluntaria, modò directè, modò indirectè, prout ignorantia affectata fuerit, vel per crassam aut supinam negligentiam incursa. Totum ergò negotium de imputabilitate ignorantiæ ad hoc solùm devolvitur, utrùm quis potuerit, ac debuerit ea scire quæ ignorat: si enim ex peccaminosa negligentia ignoret quæ scire poterat ac debebat, ignorantia evadit imputabilis; secus non est imputabilis, nec in ordine ad peccatum contrahendum censetur voluntaria. Altera dicit, ignorantiam ac mala per illam causata aliquo modo præcognosci ac prævideri debere, ut evadant voluntaria; quia si nullo modo prævideantur, non possunt esse voluntaria, quia nil volitum nisi præcognitum; scitur enim illud solùm esse voluntarium quod fit à cognoscente singula in quibus est actio. Neque tamen semper necesse est, ut cognoscantur in individuo aut in specie, sed satis est, ut in genere cognoscantur, quia haud dubiè turpiter agerer, quia

quia ignorantiam taliter propositam aut affectaret, aut ejus remotionem, tunc negligeret, quando posset ac deberet ignorantiam deponere.

Ignorantia quandoque peccatum minuit licèt non tollat.

Cæterùm fieri potest, ut minùs peccet, qui solùm in genere videt malum aliquod ex ignorantia imminere, quàm qui illud videt in specie; quia notio generica præscindit à gravitate specierum subjectarum, ideoque non ita afficit animum sicut malitia gravior in sua specie repræsentata; unde fieri potest, ut generica ratio mali solùm apprehendatur tamquam levem secum obligationem afferens, eò quòd homo reflectens supra rem hîc & nunc, rationabiliter concludat, nil grave timeri saltem hîc & nunc ob ignorantiam, si negligat veritatem quærere, &c. In quo casu ignorans ex negligentia aut solùm venialiter peccabit, aut certè peccati minoris reus erit, quàm si mala imminentia in specie ipsi repræsentata fuissent.

Quædoque tamè tollit.

11. Præterea non quævis repræsentatio mali ex ignorantia sequuturi, sive in genere sive in specie inducit obligationem ad scientiam acquirendam, quia sæpe tales repræsentationes sunt male fundatæ; vel quia ex scrupulositate procedunt, vel quia mala repræsentata rarissimè, casualiter, ac præter ordinarium cursum proveniunt, ideoque non nisi imprudenter timentur futura. In talibus autem casibus sæpe tales timores meritò contemnuntur, ideoque nec ignorantia ipsa, nec mala ab ignorantia causanda, censentur voluntaria, quia aut non poterant, aut non debebant ex peculiari industria præcaveri.

12. Hæc ergò in genere vera sunt, eademque Celladeo cõcedo. Nec tamen ex toto illi subscribo, loquitur enim absque sufficienti rerum distinctione, quo nil periculosius fieri potest in moralibus; quia loquens in genere ita magnificat pericula & obligationes, ac si istæ ex æquo nos arctarent, quomodocumque tandem præcognoscantur. Ve-

Theologo accurratè distinguenda singula in re morali: quo nomine peccat Celladeus.

rùm Theologi cautiùs procedunt, singula exactè distinguunt, atque ita demum de qualitate obligationum ac peccatorum ex ignorantia procedentium pro rerum ac circumstantiarum diversitate aliter atque aliter pronunciant. Meum non est hæc singillatim explicare, sed solùm insinuare talia non absque delectu in sua universalitate accipienda, ne Lector imprudens in re tanti momenti à generali ac magnifica Celladei loquutione decipiatur. Interim tamen omnibus istis, quæ cupit, datis, superest ostendere, argumenta illius, quæ eò collimant, ut actualem mali apparentiam ad peccatum non requiri probent, nil prorsùs ad intentum conducere.

Quomodo ignorantia possit esse voluntaria?

13. Fatemur ergò cum S. Thoma, ignorantiam sæpe esse voluntariam, ideoque etiam imputabilem; sed eam non aliter voluntariam esse admittimus, quàm si antecedenter aliqua de illius vitatione obligatio menti occurrerit, per cujus obligationis contemptum vel neglectum ignorantia culpabiliter incurritur. Jam fieri potest ut homo diu versetur in actuali hac negligentia, quia semper videt se obligari ad aliqua scienda, quæ tamen continuò negligit scire, quæque scire posset si diligentiam adhiberet. Fieri etiam potest, ut olim potuerit, nunc autem non possit ignorantiam vitare. In hoc autem casu, sicut etiam in priori, si aliquid eorum fiat, quæ fieri non debebant, quæque facta non fuissent si operans debitam scientiam acquisivisset, illud erit peccatum ex ignorantia, modò operans nullam mali latentis suspicionem habeat, & absque hæsitatione absolutè credat se benè operari. Opus nihilominus juxta communem opinionem propriè est & dicitur peccatum, sed non habet ullam propriam ac particularem malitiam & imputabilitatem, sed dicitur & verè constituitur malum per negligentiam, à qua processit, & à qua informatur. Informatur autem à priori negligentia, quandiu illa retractata non fuerit. Si enim culpa illa per pœnitentiam retractata & abolita fuerit, effectus sequens non ampliùs imputatur, quia operatio illa ex se nullam mali voluntarietatem aut imputabilitatem habet, ut patet. Ergò malum ignoratum non est voluntarium & imputabile nisi in causa. Ergò eo ipso quòd voluntarietas causæ ablata fuerit, malum postea ignoranter patratum ampliùs imputari non potest. Et sanè Auctores gravissimi admodum asseveranter dicunt hujusmodi peccata nullum novum addere malitiæ gradum supra actum voluntatis in quo directè vel indirectè volita sunt. Videatur Sanchez *lib. 1. in decal. cap. 16. num. 45.* ubi pro hac opinione citat S. Thomam, Suarium, & Vasquium dicentem hoc absque controversia esse verum.

Quò collimare debuisset Celladeus?

14. Jam Celladeus probare debebat, hujusmodi operationes esse peccata ratione sui imputabilia, eáq; novam malitiam moralem continere, atque novam & peculiarem pœnam imputari, sed probare non potest; exempla enim quæ profert id non probant; quia procedunt de peccatis, quæ fiunt vel ex continuata, ac replicata negligentia culpabili, vel certè quæ non omnem mali suspicionem, aut etiam notitiam excludunt, ideoque ex actuali malitia & pravitate eliciuntur, idque vel actualiter vel virtualiter, ut supra dictum est. Et talia sunt peccata eorum qui hæresibus pertinaciter adhærent, saltem in illis qui sufficientem de Auctoritate Ecclesiæ notitiam habent; illi enim ex actuali malitia peccant, quia antecedenter satis advertunt se non debere, Ecclesiæ auctoritate contemptâ, proprio judicio inhærere. Itaque exemplum ab hæresi desumptum Celladeo non favet, sicut nec exempla idololatrarum, ac eorum qui obvia naturæ præcepta transgrediuntur; isti enim non carent sufficienti mali advertentia, quamvis remorsum conscientiæ vexantis non sentiant; idque verum est, quamvis illi jactarent se hæc pro honestis ac sanctis habere; quia nec externa illa protestatio, nec judicium protestationi conforme excludit omnem mali latentis advertentiam, quamvis opus illud in ordine ad peculiarem aliquem finem bonum judicent.

15. Quòd si supponat Celladeus, opera talia fieri hîc & nunc ex plena deliberatione humana, eoque non obstante nil penitus mali apparere nullamque mali suspicionem aut dubium intervenire, sed nec ullam præsentem negligentiam culpabilem adesse; si, inquam, hæc supponat, & adhuc contendat omnia ejusmodi esse peccata, fatemur id verum esse, etiam propriè loquendo, quia sunt mala, & ad pœnam imputantur, quatenus moraliter informantur à peccato malitiæ per quod ignorantia turpiter contracta fuit, & dependenter à qua ista mala fuere patrata. Sed negamus illa, in tali suppositione, (quæ proculdubio in praxi aut numquam, aut rarissimè locum habet) habere malitiam ac imputabilitatem peculiarem. Idemque dicendum de iis, quæ fiunt ex iracundia, ac passione omnem prorsùs mali suspicionem auferente, quia talis passio sufficientem ad peccandum libertatem & deliberationem impedit. Verùm hoc rarò contigit, saltem extra impetum iræ, quia in aliis materiis

passio

passio non tam citò accenditur, nec omnem latentis mali suspicionem, aut etiam notitiam excludit. Nulla ergò est illa Celladei conclusio, quòd non semper requiratur actualis advertentia mali, aut scrupulus vel dubium peccati latentis, ut opus evadat actu peccaminosum, quia persecutores Christianorum putabant obsequium se Deo præstare & tamen peccabant. Similiter hæretici ab infantia suis erroribus innutriti, saltem plerique, peccant peccato hæresis, qui tamen suæ sectæ pravitatem numquam nôrunt. Sed & hæretici qui ab initio fortè dubitabant, postea meliùs ut ipsis videtur instructi, non dubitant, & tamen eò sceleſtiores evadunt, & graviùs peccant, &c. Nulla, inquam, est illatio, quia nos solùm dicimus advertentiam aliquam, aut dubium requiri ut actus sit peculiariter ratione sui imputabilis, non autem ut ratione alterius imputetur. Jam argumenta contra hoc nil probant. Jam Ethnici, & alii Christianorum persecutores, sicut & hæretici ab initio non potuerunt carere notitiâ mali, ideoque haud dubiè in actibus illis peccabant. Similiter dubitandum non est, quin hæretici & alii Ecclesiæ persecutores sæpissimè advertant se meliorem rei informationem adhibere debere; dum autem rectum hunc mentis motum, aut contemnunt aut negligunt, magis rei evadunt, quia novo contemptu, aut certè novâ negligentiâ culpabiliores evadunt, & fiunt obstinatiores, ideoque nullam excusationem habent. Quòd si fingamus, eos nullam prorsùs suspicionem mali, aut obligationis veritatem quærendi, &c. habere, sed undique bona fide procedere, atque revera existimare opus suum esse bonum ac Deo placens, nec esse unde hîc & nunc possint aut debeant errorem illum deponere, probandum erit Celladeo, talia opera esse in se peccaminosa, ac novam malitiam moralem continere, distinctam ab ea, per quam homo tales errores incurrit. Scio suppositionem aut numquam aut rarò esse admittendam, ideoque quæstionem procedere de subjecto non supponente; sed eâ in casu raro admissâ, dicimus nullum in ea peccatum intervenire quod ratione sui sit imputabile propter peculiarem malitiam moralem, nec quidquam, quo id improbetur, hactenus allatum est.

Celladei illatio ostenditur illegitima.

Ubi fide undequaque bona proceditur, nullũ peccandi periculum.

16. Laudo quidem, & valdè laudo zelum Celladei contra hæreticos, quia meritò putat eos eò esse sceleratiores, quò pertinaciùs suis erroribus adhærent; sed meo judicio dupliciter errat verissimam suam persuasionem illis applicando. Inprimis nimis favet Hæresiarchis, omnibusque hæreticis, qui pertinaciter & peccaminosè ab Ecclesia recedunt, illiusque auctoritatem contemnunt, quasi verò illi tandem in sua secta tenenda omni actuali remorsu, omnique peccato malitiæ carerent. Verùm non est ita, Celladee; sunt illi homines superbi, ac sceleſti, qui conscientiam parum curant, quique contra sufficientia & sæpe ac fermè semper occurrentia motiva oculos claudunt, & nolunt intelligere, ut bene agant. Nec dubitandum, quin ex putidissima hypocrisi, plerique saltem operentur. Non ergò laborandum est, ut ostendatur in quo malitia eorum ob actualem mali advertentiam fundetur, aut ut illa per peccata ex pura inadvertentia & ignorantia explicetur, cùm error illorum sit peccatum malitiæ, quòd per alia multa ac repetita peccata malitiæ radicatur, atque ad immobilem quodammodo pertinaciam pertingat.

Laudandus Celladei zelus; sed erroris ipse arguendus.

17. Secundò, hæreticos qui in media hæresi ab infantia educati sunt, nimis rigidè & sine sufficienti fundamento peccati damnat; plerosque enimverò peccato hæresis infici existimat: verum argumenta, quæ ad hoc probandum attulit, quæstione superiori expensa & soluta sunt, ubi oppositum satis superque probatum est. Et sanè, quamvis in aliquibus errores essent peccata, non tamen essent per se imputabilia, si hîc & nunc ex sola ignorantia, atque errore hîc & nunc insuperabili, absque ulla mali umbra, sed ex plena de eorum rectitudine persuasione provenirent, ut ostensum est. Hoc autem ad intentum nostrum sufficit.

Simile.

18. Ex his constat, quid ad voluntarietatem, atque ad imputabilitatem ignorantiæ, & malorum ab illa causatorum requiratur & sufficiat. Requiritur sufficiens talium malorum imminentium, saltem in genere propositorum, advertentia, per quam scilicet, homo potest ac debet ea vitare. Jam si, stante hac advertentia, ista non vitet, peccat per malitiam, vel affectando ignorantiam, vel negligendo scientiæ adeptionem. In primo casu omnia illa sunt directè, in secundo solùm indirectè voluntaria. Utrumque autem sufficit ad peccatum. Quòd si postea ignorantia aut error evadat invincibilis, & homo sine omni malitiæ advertententia, &c. operetur, opus illud erit malum & peccatum, si informetur à voluntario, per quod ignorantia inducta est, non tamen habebit novam malitiam, ut ostensum est. At si ab illo moraliter non informetur non erit peccatum, nec culpæ aut pœnæ imputabitur. Porrò ut sciamus quamdiu informetur ab illo voluntario, nihil peculiare dicendum occurrit circa peccata ignorantiæ, quod non ab omnibus admittitur in peccatis ac malis scienter admissis. Sicut enim omissio horarum tamdiu solùm imputatur Sacerdoti, qui in navigatione longa eo fine Breviarium in mare projicit, ut non possit horas recitare, quamdiu non retractat priorem voluntatem; postquam enim illam sufficienter retractavit, non-recitatio non ampliùs ei imputatur, nec censetur voluntaria: ita pariter dicendum est de ignorantia, malisque ab ea causatis; tamdiu enim sunt voluntaria, & imputantur, quamdiu prava voluntas, per quam fuerunt inducta, sufficienter retractata non fuerit, & abolita. At si illa retractetur & aboleatur, non est unde ampliùs denominentur mala, & evadant voluntaria & imputabilia.

ASSERTIO II.

Propositum sit breviter exponere aliam de voluntarietate peccatorum ignorantiæ doctrinam, quam Celladeus Parte 2. lib. 1. quæstion. 11. *complectitur, atque errores in ea contentos redarguere.*

DOCTRINA EJUS PROPONITUR.

19. Non hîc quæritur, inquit Celladeus, utrùm sint voluntaria illi, cui pro vitæ suæ instituto in genere saltem occurrerat, multa ad se pertinere, quæ scire aut noluit, aut neglexit. De hoc enim satis constat ex proximè dictis; sed id potissimùm quæritur, an ad voluntarietatem ignorantiæ & actuum ab illa causatorum sufficiat, illam à peccato fuisse inductam, quamvis de ignorantia per peccatum inducenda nulla, cùm peccaretur cogitatio præcessit? Huic quæstioni respondet, se audacter affirmare, plurimas esse igno-

ignorantias, à peccato & propter peccatum inductas, quæ à culpâ non excusant, quamvis nulla de talibus ignorantiis incurrendis cogitatio præcesserit. Præscindere tamen vult, an hoc locum habeat in omni casu, quando ignorantia per culpam inducitur, quia propendet ad existimandum, quod ignorantia censenda sit invincibilis, & à peccato excuset, quando merè per accidens connectitur cum peccato, à quo inducta fuit. Sic qui culpabiliter non audiret Missam in die Festo, videretur invincibiliter ignorare legem, quæ tempore Missæ illius promulgabatur, quia talis promulgatio merè accidentaliter exhibetur tempore Missæ; secus autem existimat de iis, quæ sub Missam indici solent, ut sunt festa & jejunia intercurrentia. Itaque ponit assertionem solùm ad aliquas ignorantias limitatam, & quidem expressè præscindit, ab ea etiam quæstione, an nulla prorsus ignorantia etiam per se à peccato inducta excusaret, quia solus Deus delicta, eorumque mensuram & meritum, intelligit.

Probatio Celladei.

20. Doctrinam hanc probat primò *ex 1. ad Rom.* ubi Apostolus expressè ait Gentes in suis peccatis ac sceleribus, quæ ibi numerantur, fuisse inexcusabiles; constat autem ea non solùm ex ignorantia & errore processisse, sed habita fuisse bona, ac in religionem evasisse. Ratio horum omnium ad hoc à S. Paulo reducitur, quòd cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, neque gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis; & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Mox in pœnam traditi sunt in reprobum sensum ac in immunditias, &c. *Et non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte.* Porro S. Thomas, dum locum hunc *lect. 7.* exponit, totus est in ostendendo, quod primum peccatum Gentium non fuerit ex ignorantia, sed in eo positum, quòd scientes Deum, non sicut Deum glorificaverunt neque gratias egerunt, sed evanuerunt in suis cogitationibus. Et hoc satis fuit, ut ne in reliquis illis forent excusabiles. *Ignorantia aliquem excusat*, inquit S. Thomas loco citato, *quando sic præcedit & causat culpam, quod non causatur à culpa, &c. si verò ignorantia causetur à culpa, non potest subsequentem culpam ignorantia excusare.* Hinc docet, Gentes ob peccatum malitiæ, quo gratias Deo, ut debebant, non dederunt, incidisse in ignorantiam & errorem, ac lumine sapientiæ privatos fuisse, atque ita demum in malis subsequentibus excusationem non habuisse.

Ejusdem illationes.

21. Hæc doctrina, inquit Celladeus, est clavis regia, qua aperiente intelliguntur, & qua non aperiente non intelliguntur, sed clausa manent omnia fermè, quæ hactenus ab ipso fuere tradita. Nempè, quomodò Infidelitas, Judaïsmus, & hæresis sint peccatum, etsi scienter, & intelligendo, dubitandove committi nequeant, saltem positivè. Item quomodò populi in erroribus ac hæresibus innutriti peccent, & sint infideles ac hæretici, atque in sectis suis pereant, etsi nulla dubitandi ratio eos subierit aliquando. Item quomodò persecutores Ecclesiæ peccaverint, quamvis se Magos, stultos, ac turbatores reipublicæ persequi, atque illos mactando obsequium Deo præstare crederent.

Prosecutio superioris discursus.

22. Demum ex eadem doctrina cernitur, quomodo orthodoxi peccent ea ignorando, quæ de necessitate sunt credenda, aut circa fidem, aut mores errando saltem in expressis in decalogo. Unde tutus non esset, qui à dæmone se transformante in Angelum lucis deciperetur, quamvis nullum scrupulum aut dubium mali ac deceptionis experiretur. Imo si quis, sive à dæmone per illusionem, sive à discursu per sophisma, quæ videtur demonstratio, fortissimè deceptus credat fornicationem aut usuram non esse peccatum, non ideo non peccaret talia credendo & agendo; quin hæreticus fieret, ac vivus etiam comburereretur, si magnitudine sui erroris pertinax redderetur. Constat ergò tales peccare, atque preces & praxis Ecclesiæ idipsum confirmant. Sanè si non peccarent, non opus esset, ut præcones Evangelici pericula & mortem ipsam adirent, ut taliter deceptos ad Ecclesiam & fidem reducerent. Nec Sancta Ecclesia tanta contentione oraret, & ingemiscret, ut eos tandem Christo instar parturientis dolore oppressæ generaret, ac in lucem Evangelii ederet. Stat ergò ad voluntarietatem ac imputabilitatem ignorantiæ sufficere, quod illa aut in genere prævisa fuerit, potueritque ac debuerit impediri, aut certè quod per aliquod peccatum contrahatur aut conservetur. Unde quamvis error non sit peccatum in illis qui erroribus innutriti sunt, modò de veritate suorum errorum nullam dubitandi rationem habeant, idem tamen error postea evadit peccatum & fit voluntarius, quando per aliquod aliud peccatum aut inducitur aut conservatur, quatenus non posito illo peccato error ille impeditus fuisset. Hac ratione peccata ignorantibus, & nil tale suspicantibus, irrepunt.

Confirmat autoritate S. Thomæ.

23. Secundò idipsum probat ex Sancto Thoma, qui *2. 2. quæst. 15.* ex professo probat, cæcitatem mentis, ejusque hebetudinem esse peccatum. Cæcitas autem in hoc ab hebetudine discriminatur, quòd hebetudo rerum spiritualium intelligentiam impediat, vigoremque mentis obtundat, ut non discernat nisi res magnas & propinquas; cæcitas autem ipso visionis intellectualis principio privat, ita ut nec magna nec propinqua discernat. Porro principium visionis intellectualis est triplex. Primum est lumen naturalis rationis; & hoc anima numquam privatur, quamvis ejus usus aliquando impediatur, ut in dormientibus, ebriis, ac furiosis. Secundum principium visionis intellectualis est lumen habituale naturali rationis lumini superadditum. Et hoc lumine aliquando privatur anima. Hæc privatio est cæcitas, in pœnam peccati inflicta. Unde dicitur de quibusdam *Sap. 2. Excæcavit eos malitia eorum.* Tertium principium visionis intellectualis est aliquod intelligibile principium, per quod homo intelligit alia; cui principio homo potest intendere. Quod autem ei non intendat contingit dupliciter. Primò quia non vult illi intendere, juxta illud Psalmi. Noluit intelligere, ut bene ageret. Secundò quia occupat mentem circa alia quæ magis amat, quibus ab hujus principii inspectione mens avertitur. Unde sic concludit S. Thomas, inquit Celladeus. *Et utroque modo cæcitas mentis est peccatum, nec excusat à peccato.* Similia habet de hebetudine, quam dicit esse peccatum, sicut est cæcitas mentis, prout scilicet *est voluntaria, ut patet in eo, qui affectus circa carnalia, de spiritualibus subtiliter discurrere fastidit, vel negligit.*

Item autoritate S. Scripturæ.

24. Istam mentis cæcitatem (idem de hebetudine dicendum est) propter peccata incurri, nec à peccatis consequentibus excusare, ex Sacra Scriptura compertissimum est. Matth. 23. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis; quicumque juraverit per templum nihil est; qui autem juraverit in auro templi, debet*

debet. Stulti & cæci. Alibi etiam Christus dixit. *Sinite illos: cæci sunt & duces cæcorum: cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Rectè Augustinus. *non dixit unus, sed ambo.* Ambo dixit & credendum est. Et sermo est de opinionibus moralibus. Ubi ergò illud. Magister aliquis dixit. Ergò tutus sum. Certè falsæ opiniones Pharisæorum de juramentis, de parentum defraudatione, & de usuris nummalariorum communes erant, nec noviter inventæ, sed per traditionem à senioribus acceptæ: in quibus proinde Doctores illi cæci non dubitabant, & tamen peccabant, eorumque peccatum Evangelium non dubitationi aut scientiæ, sed cæcitati attribuit. Porro radicem hujus cæcitatis Sacra Scriptura attribuit peccatis Doctorum & populi, sicut Christus ipse expressit dicens. *Benè prophetavit de vobis Isaias, dicens: populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longè est à me.* At, inquies, durum hoc videtur. Sed esto, sit durum, est tamen verum, quia Magistrum habemus infallibilem. Jam quot Christiani Deum ore colunt, quorum cor longè est à Deo? Nónne ergò illis etiam videndum est, an cæcitatem, hebetudinem aut ignorantiam per hæc sua peccata contraxerint? Hoc dico, si contraxerint, (sæpe autem contrahunt) nec error, nec mala ab errore & cæcitate provenientia excusantur, sed in eis peccant & in foveam cadunt. Deus bone! Quid dicunt homines? Nihil mali tunc operanti occurrit. Ergò non peccat. Immò dictamina etiam infallibilia ac evidentia formari volunt de non peccato. At Sacra Scriptura contrarium dicit, si peccatis suis homo cæcitatem incurrat.

25. Nec hæc est tota miseria cæcitatis intellectualis: Deus enim propter peccata populi, & Magistrorum, sæpe & hunc & illos excæcat. *Isaiæ 56.* hæc habentur. *Speculatores ejus cæci omnes: nescierunt universi, canes muti non valentes latrare; videntes vana, dormientes, & amantes somnia.* Sic & in Psalmo, *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Caput 14. Ezechielis tremendum est. Inter cætera hæc habentur. *Qui posuerit immunditias suas in corde suo, &c. & venerit ad Prophetam interrogans per eum me:* Ego Dominus respondebo ei in multitudine *immunditiarum suarum.* Et inferiùs: *Et Propheta cùm erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Plurima præscribit S. Petrus *Epist 2. cap. 1.* quæ si nobis præsto non sint, cæci sumus. *Ministrate in fide vestra virtutem; in virtute autem scientiam; in scientia autem abstinentiam,* & sic deinceps pietatem, dilectionem fraternam, charitatem, &c. *Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.* Cæcus erat Episcopus Laodiciæ *Apocal. 3.* qui sibi dives, & rectà in cœlum ire videbatur; sed cæcus erat, & collyrio oculos ungere jubetur, ut videat, sin minus perieturus. Cæcitas hæc & tenebræ Synagogam, & universum mundum reliquum idololatriæ ac immunditiis deditum, impleverant, quando Christus Sol Justitiæ in hunc mundum venit, & ortus est eis qui in tenebris & umbra mortis sedebant, & ideo venit ut has tenebras dispelleret; sed multi noluerunt lucem hanc videre, & dilexerunt magis tenebras quàm lucem, dixeruntque Christi doctrinam esse stultitiam, &c. Nihilominùs isti omnes, qui in suis tenebris manserunt, perierunt & damnati sunt. Atqui nil tale, nil de peccato cogitabant. Infer tu. Ergò non peccabant. Sed textui Sacræ Scripturæ contradicis. Infer iterum. Magister aut Doctor ita dixit. Ergò tutus sum. Sed recordare quod ex Sacra Scriptura habeamus, gravissima quædam peccata solere à Deo puniri, permittendo ut homo in mentis cæcitatem incidat, ex qua in omne genus vitii præcipitetur. Immo Magister ipse, etiam sine sua culpa, permitti potest male respondere propter peccatum & immunditiam interrogantis; qui propterea semper cæcus manet, & in tenebris ambulat, & gravissimè peccat. Neque enim, ut quidam videntur Philosophari, qui nimis oculatos constituunt omnes, quò quis est cæcior, eò minùs, aut nullum est ejus peccatum, quasi verò cæcitas mentis nos redderet impeccabiles in iis quæ per cæcitatem latent. Quod certè sub his terminis dici nequit.

26. S. Gregorius & S. Thomas, & plerique alii causam cæcitatis ex parte nostra assignant luxuriam, sicut & gulam aiunt esse causam hebetudinis. Sed non excludunt superbiam, avaritiam, & alia peccata. Credi vix potest, quantum peccata, habitus mali, & pravæ affectiones luminis adimunt etiam quoad naturalia. Philosophi ipsi pro axiomatè tradunt, *Qualis unusquisque est, talis ei finis videtur*; & talia etiam media. Verbum obscænum homini pudico monstrum videtur: jocus impudico. Ratio est, quia consuetudo est altera natura. Porrò quòd bona vita & remotio peccati necessaria sit ad illuminationem, satis constat ex Sacris Litteris; nam absoluta sententia est Sap. 1. *In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et Christus ipse, qui novam doctrinam mundo attulit, aliud non videtur requirere ex parte nostrâ ad eam intelligendam, atque ad sciendum an ex Deo sit, quàm vitam bonam. Ait enim Joan. 7. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrùm ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* Possunt verò omnes Dei voluntatem facere, corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non ficta. Et qui hoc non faciunt, voluntariè nolunt. Ex hoc autem hebetudo & cæcitas mentis, immo errores & hæreses incurruntur. Sicut ergò, qui clausis oculis inter præcipitia incedit, voluntaria est ei præcipitatio, & nolenti facere voluntatem Dei, voluntarii sunt errores inde obvenientes, qui proinde imputantur ad peccatum, & manent voluntarii, donec quis ex vero corde resipiscat. Ulterius proficiens.

27. Peccantes, ais, de his non cogitant. Quid inde? Potuerunt, ac debuerunt de illo cogitare: nemo enim est, qui Deo servire non potuerit ac non debuerit. Ipsa peccantis præcipitatio excusationi esse nequit. Stat ergò ad voluntarietatem peccatorum ignorantiæ sufficere, quod per alia peccata scienter, ac directè voluntariò admissa incurrantur, quamdiu ista per pœnitentiam, ac veram conversionem non retractantur, nec delentur.

28. Hinc sequitur homines ad conscientiæ emendationem obligari, ut tradunt aliqui, quos Corduba *lib. 2. de ignorant. quæst. 3.* refert, quibus ille subscribit, pro ea saltem circumstantia, quando quis probabiliter timet, quod Deus propter peccata illum excæcari, aut depravari permissurus sit. Probatur. Omnis lex, sicut obligat ad sui adimpletionem, ita etiam obligat ad sui cognitionem. Ergò & ad removenda impedimenta cognitionis. At cæcitas & hebetudo mentis sunt impedimenta sciendi legem; sicut etiam est transmutatio intellectûs per habitus pravos & affectiones malas. Ergò tenemur ista removere.

movere. At removentur per emundationem animæ. Ergò tenemur ad eam.

29. Confirmatur. Lex obligat ad removendam impotentiam, & impedimentum potentiæ, quorum eorum remotio est in potestate nostra, sic omnes proximam peccandi occasionem vitare tenentur, & in sacris constituti Breviarium procurare, ut in illo horas recitent, &c. Ergò lex etiam obligat ad removendum impedimentum cognitionis, quia legis observatio utriusque impedimenti remotionem postulat.

30. Confirmatur 2. Ignorantia & error sæpe constituunt errantem in necessitate consequente peccandi, quoties scilicet conscientia erronea dicit aliquid faciendum esse, quod est contra legem, & talis conscientia vincibiliter errat. At juxta omnes tenetur quis tollere occasionem proximam peccandi, quamvis habeat potentiam physicam resistendi. Ergò à fortiori tenetur removere necessitatem consequentem peccandi, qua scilicet stante, est impossibile non peccare. At hæc necessitas tolli nequit, nisi causis ejus sublatis, quæ sunt cæcitas, hebetudo & depravatio mentis ac rationis. Nec hæ causæ tolli possunt, nisi sublatis etiam ipsarum causis, quæ fuerunt peccata alia. Ergò tenemur ad emundandam conscientiam, sine cujus emundatione dicta peccata non tolluntur, &c.

31. Quod si quæras, quis teneatur emundare conscientiam? Facilè respondetur, omnes ad hoc teneri, qui non habent aut certam scientiam, aut positivam probabilitatem, quod nullo ignorantiæ peccato laborent, nullaque ignorantia aut errore teneantur, qui in posterum futurus sit peccatum, vel causa peccati. Talem scientiam se habere quis præsumere audebit? cùm Propheta dicat, *Ab occultis meis munda me?* Et Paulus clamet, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum?* Probabilitatem positivam, ferè semper veram & rarò deficientem habent de lege communi Sancti Dei, & servi ejus diligentes; alii majorem, alii minorem. Sed quia regula aliquando deficit, Sancti ipsi peccata sua occulta timent, & sæpe clamant, *Ab occultis meis munda me*: Item, *ignorantias meas ne memineris Domine.* Ita Celladeus, qui tota *quæst. 11.* hæc & hisce similia more magis concionatorio, quàm argumento strictè Theologico, multis exaggerat, quæ eò collimant, ut probet ignorantiam & errorem, ac mala ex iis patrata esse voluntaria ac imputabilia, & ad peccatum propriè imputari, quamvis nulla suspicio talium incurrendorum præcesserit, si tamen ignorantia & error à peccato ortum traxerint.

Conclusio discursûs.

ALLATA CELLADEI DOCTRINA

Excutitur, & ubi errat refutatur.

Examen doctrinæ præcedentis.

32. IN PRIMIS respondeo, ut in superiori assertione, omnia hæc nil aut valdè parum conducere ad præsens intentum, quia præsens controversia procedit de rebus verè incertis, quæ post omnem diligentiam certò sciri non possunt, certò tamen sciuntur esse probabiliter licita. Talium autem ignorantia est necessaria & invincibilis, non libera & voluntaria, ut patet. Præterea rationes & auctoritates à Celladeo allatæ procedunt de ignorantia veritatum certarum, quas omnes possunt & debent scire, eò quòd nulli desit principium aliquod, per quod talis potentia & obligatio satis manifestetur. Meritò ergò ignorantia ignorantibus imputatur, quia est illis aut directè volita, aut certè indirectè voluntaria, sicut omnes ignorantiæ culpabiles esse solent.

33. Respondeo 2. Doctrinam hanc, penitùs evertere regulam morum, à Celladeo assignatam. Nemo enim tutò sequitur regulam, quam assignat; statim enim multa occurrunt, quæ periculum peccati per se imputabilis secum ferunt. Primum est, ipsa rationum defectibilitas; contingit enim aliquando hominem taliter opinantem errare. At si erret, peccat; nec excusatur, nisi invincibiliter erret. At nescit operans, an error, si interveniat, sit invincibilis, quia fieri potest, ut sit effectus peccati olim commissi, & nondum retractati ac confessionati. Hoc autem sufficit, ut error sit imputabilis & actio peccaminosa. Præterea fieri potest, ut Doctores, à quibus consilium petitur, etiam citra suam culpam errare permittantur in pœnam peccati anterioris à consulente commissi. Ergò qui non certus est se Deum non offendisse, scire nequit se invincibiliter erraturum, si erret. Immo scit errorem, ejusdemque voluntarietatem ac imputabilitatem ex multis capitibus imminere, etiam quando ipse de sufficientia suæ diligentiæ, ac de veritate causæ minimè dubitat; quia omnia hæc frequenter connectuntur cum voluntarietate ac imputabilitate ignorantiæ. Quid ergò fiet in rebus apud Auctores controversis, de quibus formido erroris directi superari non potest? Sanè in his, juxta Celladeum, nulla esse potest regula sufficiens; quia numquam evenit, ut qui talia sequitur, aut reipsa, aut etiam in opinione sua prudenter concepta ferè numquam erret. Quia quæ docti post diligens rei examen dicunt esse peccata, sæpe sunt ut dicunt. Ergò pro talibus regula Celladei locum non habet, maximè pro iis, qui de rationibus rectè judicare non possunt; illi enim eo ipso quod sciant, aut dubitent, quod graves Theologi doceant aliquid esse illicitum, non possunt habere regulam ferè numquam fallentem, quam in minùs tuto operando sequantur. Ergò directè loquendo regula Celladei illis applicari nequit. Quod si ea etiam, quæ hîc ponder adjiciantur, nemo tuta conscientia, & sine evidenti periculo peccati formalis sequi potest partem minùs tutam. Ergò qui talem regulam sequitur periculum amat, & in illo perit, ac peccat. Itaque doctrina Celladei omnes tandem ad partem tutiorem in omnibus tenendam adigit. Et sanè nemo, principiis illius imbutus, tutâ conscientiâ umquam sequi potest partem minùs tutam; quia doctrina illius ita undique constientias arctat, ut homines ad partem tutiorem in omnibus tenendam, nisi ex persuasione propriæ mentis periculo peccandi se committant, & consequenter peccent. At Celladeus esse absurdum putat, quod in omnibus teneamur ad tutiora, regulamque tradit, qua tutò dirigamur quando sectamur minùs tuta. Verùm regula illa in rebus controversis (omnia autem fermè, quæ occurrunt, sunt & sciuntur esse controversa) locum non habet. Præterea, pericula ita undique imminent ex ejus doctrina, ut nemo in ullo casu tutò sequi possit illam regulam. Ergò non regulam pro regula tradit, & omnes ad tutiora compellit. Quæ adeo vera sunt, ut qui illa maturè consideraverit, videbit Celladeum una manu destruere quod altera struxerat, totumque operis discursum ingenti ac palpabili inconsequentia, fartum esse, ac in ipso primario intento contradictoria

Celladeus sibi contrarius.

Celladei inconsequentia & contradictio in potissimo totius operis intento.

dictoria doceri. Si enim quæ potissimum in hac secunda parte addensat, locum habeant, nemo sectando partem minùs tutam tutus esse potest, sed inevitabiliter casui se committit, an peccaturus sit, & Deum peccato per se imputabili offendat, etiam quando de hoc nullatenus formidat; quamvis qui juxta illius principia regulatur, non possit, etiam ex propriæ conscientiæ dictamine, non formidare, ac tali casui sciens & volens se committere. His indirectè dictis, antequam directè solvam rationes allatas ponam assertionem contradictoriè oppositam assertioni Celladei, & post eam stabilitam omnibus objectis directè respondebo. Sit ergò

ASSERTIO III.

Ignorantia à peccato inducta non est voluntaria, ne quidem indirectè, nisi aliqua cogitatio de ignorantia incurrenda præcesserit.

Assertio Celladeo cõtradictoria.

34. PROBATUR primò ratione, quia essentia voluntarii est, ut procedat à cognitione, & sit aliquo modo præcognitum. Ergò ubi nulla præcessit cognitio ignorantiæ ac malitiæ, ignorantia & malitia nequit esse voluntaria, ne quidem indirectè; nam in hoc solùm voluntarium directum ab indirecto discrepat, quòd illud sit & dicatur voluntarium directum, in quod cognitum voluntas fertur directè, expresse volendo illud; illud verò sit & dicatur voluntarium indirectum, in quod cognitum voluntas fertur solùm indirectè, quatenus aut vult aut negligit aliud, ex quo volito aut neglecto prius illud consequitur, absque eò quòd voluntas actu explicito aut directè feratur in illud, volendo, aut desiderando illud. Hæc traduntur à Theologis *ad 1. 2.* Nec de alio voluntario, aut modo voluntarii mentionem faciunt, quia nulli alteri modo definitio voluntarii applicari potest, ut patet. At in casu nostro ignorantia nullo modo repræsentatur menti, ne quidem sub ratione generica aut universalissima, quia hoc supponitur. Ergò repugnat, quod sit voluntaria etiam indirectè.

Quid requiratur ut ignorantia dicatur volũtaria?

35. Probatur secundò. In hoc casu non est excogitabilis alia ratio, ob quam ignorantia dicatur voluntaria, quàm quia consequitur ad volitionem liberam, quamvis nullatenus cognita fuerit. Sed hoc non sufficit ad voluntarium, alioquin mors illi esset voluntaria, qui errore deceptus absque ulla suspicione veneni latentis venenum pro cibo sumeret. At dicere mortem esse vel indirectè voluntariam tali homini, adeo rationi repugnat, ut in mentem venire nequeat; mors enim non aliter est indirectè volita, quàm si aliquid cum periculo apparenti mortis connexum eligatur, ut patet. Ergò ad voluntarium, etiam indirectum, non sufficit quod res aliqua à volitione libera dependeat. Ergò in casu nostro ignorantia non est voluntaria, cùm nil sit, quòd ad talem denominationem tribuendam sufficiat.

Replica.

36. Dices, disparitatem esse, quòd peccans verè debeat causam ignorantiæ omittere; qui verò ignoranter sumit venenum, non debeat illud non sumere.

Impugnatur.

37. Sed contra est, quia actio liberè posita perinde se habet ad voluntarietatem effectus nullo modo præcogniti, sive potuerit, sive etiam debuerit non poni; nisi prohibitio in genere saltem repræsentata fuerit ut fortè illativa aliquorum malorum. Tunc enim mala illa aliquo modo essent voluntaria, & imputabilia; quia homo intuitu illorum & poterat & debebat omittere causam, ex qua ortum traxerunt. Præscindendo enim ab hac repræsentatione, non est unde effectus magis censeatur voluntarius, quando oritur à volitione liberâ malâ, quàm quando causatur à bona. Præterea qui mentitur, ut amicum celet id, à quo magnam tristitiam hauriret, male facit, nec tamen ideo vult propriam mortem indirectè, quamvis amicus ille propter illud mendacium mentientem interficiat. Ergò ad voluntarietatem etiam indirectam alicujus, non sufficit, quòd illud ab actione libera mala, quæ debuit non poni, dependeat. Similiter nil refert, quòd effectus ille per se, vel per accidens sequatur, quia in ordine ad operantem nullatenus apprehendentem ullam connexionem aut sequelam, perinde est quod res sequatur per se vel per accidens. Ergò in ordine ad voluntarietatem, quæ est merâ operantis affectio, perinde se habet necessaria ac accidentalis connexio. Ergò neutra sufficit ad voluntarium.

38. Probatur tertiò ex S. Thoma *1. 2. quæst. 76. art. 3. in corp.* ubi expresse tradit, hominem scienter percutientem alium, & ideo peccantem, excusari tamen à parricidio, si penitus ignoret eum esse suum patrem, quòd si sciviſſet eum non percussisset. Hanc parricidii excusationem dicit sumi ex parte objecti, quod omnino ignoratur; *quia ignorantia in tantum excusat à peccato, in quantum ignoratur aliquid esse peccatum.* Deinde dicit ignorantiam aliquando excusare aliquo modo à peccato ex parte ipsius ignorantiæ, *quia scilicet ignorantia est voluntaria. Vel directè, sicut cùm aliquis studiosè vult nescire ut liberiùs peccet. Vel indirectè, sicut cùm aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiscere id, per quod à peccato retraheretur: talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam, & peccatum, dummodo sit eorum, quæ quis scire tenetur, & potest. Et ideo talis ignorantia non totaliter excusat à peccato. Si verò sit talis ignorantia, quæ omnino sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur: talis ignorantia omnino excusat à peccato.* Hinc patet, S. Thomam per omnia nobiscum sentire. Inprimis dicit peculiarem malitiam ignoratam esse involuntariam & ad peccatum non imputari, quamvis identificetur cum opere malo, quod quis scienter patrat, & à quo tenebatur abstinere, à quo si hanc sciviſſet, abstinuisset, ut debebat, neque posuisset malum, quod ignorans ponebat. Eadem autem ratio æquè valet de ignorantia mali, consequente ad opus ex malitia positum; quia si malum identificatum cum peccato non sit voluntarium, nec imputetur si ignoretur, utique nec malum consequens (quod aliquando saltem per accidens impediri potest etiam non obstante peccato) imputari potest, nec fieri voluntarium, si ignoretur. Deinde non aliam ponit aut agnoscit rationem voluntarii indirecti, quàm quæ oritur à negligentia culpabili. Ergò per omnia nobiscum sentit contra Celladeum.

Ulterior confirmatio & explicatio assumpti.

39. Probatur quartò ex ipso Celladeo, qui *Celladeus quæst. 10. immediatè præcedente §. 3. prope finem* ex traditis concordi Theologorum sententia hoc modo concludit. *Necessaria est ergò* (ad peccatum) *aliqua præcognitio tum ignorantiæ, tum culpæ propter ignorantiam sequentis. Hæc omnia, quæ Catholici omnes libenter admittunt, haud prosequor, &c.* Hæc ille, qui tamen §. 4. contendit præcognitionem hanc non

non debere explicare ignorantiam aut mala ex ignorantia imminentia in individuo vel in specie, sed satis esse si in genere illa repræsentet, in quo me contradicentem non habet, ut constat ex *Assert. 1.* Ergò ex expressa ipsius mente aliqua ignorantiæ & malorum præcognitio est necessaria ad peccatum, & ad rationem voluntarii; immò expressè ait omnes Catholicos, & se inter eos, libenter hoc admittere. Et tamen statim pòst tota *quæst. 11.* ex professo intendit probare, talem præcognitionem ad rationem voluntarii ac peccati non esse necessariam, sed utrumque frequentissimè haberi absque ulla ejusmodi præcognitione. Ergò & sibi apertè contradicit, & communi omnium Catholicorum doctrinæ, etiam pro tali à se agnitæ, adversatur. Ergò audiendus non est. Itaque hac in quæstione Celladeus confundit malum, quod est merus effectus peccati & voluntarii, cum malo quod est peccatum & voluntarium. Primum quidem habetur, in casu quem expendit, sed secundum locum non habet, quia ob defectum cognitionis ratio voluntarii & peccati est penitus impossibilis.

f Ulterior Celladei reprehensio.

40. Est & aliud, quod in hac Celladei doctrina vehementer displicet, scilicet quod nil determinatè proponat. Vult quidem aliquam ignorantiam ortam à peccato esse voluntariam, sed dubitat an omnis ejusmodi ignorantia sit voluntaria, etiam illa, quæ per se connectitur cum peccato; quamvis etiam dubitet, utrùm ignorantia etiam per accidens sequens ex actione peccaminosa, imputetur ad peccatum & sit voluntaria. Ideo autem hac ratione vacillat, quia solus Deus delicta eorumque mensuram & meritum intelligit. Hæc, inquam, mirè displicent, tum quia nil doctrinaliter determinant, per quod regulemur, cùm tamen ad regulam morum determinandam omnia hæc tradantur; tum vel maximè quia inconsequenter traduntur; si enim ad rationem voluntarii sufficiat, ut aliquid aut per accidens, aut saltem per se connexum cum operatione mala, & ab illa proveniens, sit voluntarium, utique ubicumque hoc reperitur, ratio voluntarii invenitur, nec de hoc magis dubitari potest, quàm an detur res, quando constat essentiam rei dari. Inconsequenter etiam loquitur Celladeus in hac re, dum audacter affirmat unum, & mox hæret ac timet in alio, in quo & agnoscit, & supponit eadem cõstitutiva involuntarii intervenire. Reflectat ad hæc, & videbit quàm sine fundamento hæc proposuerit, cùm non audeat assertionem ad ea extendere, quæ eadem prorsùs habent constitutiva; in quo, meo judicio, perinde agit, ac si diceret, Audacter dico Petrum esse hominem, quia est animal rationale quod continet essentiam hominis, sed ut cautè procedam, præscindo ab eo, an omne illud sit homo, quod est animal rationale.

41. Demum recursus ille ad Deum pro explicando merito ac mensura peccatorum laudandus esset, si simpliciter fieret; *delicta* enim *quis intelligit*? Sed prorsùs displicet in sensu, quem Celladeus sibi proponit: loquitur enim ac si accidentale esset operationibus nostris eorumque effectibus, quod hi sint aut non sint voluntarii nobis, quodque omnibus immutatis ex parte nostri, fieri possit, ut quod nunc est voluntarium & peccatum, potuisset non esse voluntarium & peccatum, si Deus aliter statuisset. At hoc est prorsùs absurdum, nam ratio voluntarii ab extrinseco non dependet, sed est prorsùs invariabilis, quando ea in nobis existunt, quibus talis denominatio convenit. Similiter nobis eodem prorsùs modo se habentibus repugnat eundem actum modò esse, modò non esse peccatum per hoc præcisè, quod Deus aliter vel aliter de rebus statuat. Itaque licèt solus Deus merita & mensuram peccatorum rectè intelligat, hoc impertinens est ad dubitandum an aliquid sit peccatum, si habeat ea omnia, per quæ sola aliud constituitur in ratione peccandi. Sed quid? Qui à communi viâ recedit, etiam cùm minimè expectat, in vias dubias incidit, & sæpe in ipso plano ac recto itinere constitutus, ubi minimè formidandum erat, maximè dubitat, sesequè torquet. Id planè facit Celladeus in præsenti, ut patet.

Ratio voluntarii non oritur ab extrinseco.

RATIONES CELLADEI ponderantur, & directè solvuntur.

Directa solutio argumentorum Celladei.

42. ITAQUE directè respondeo ad singulas, & ultro fateor Gentes, quorum scelera *ad Rom. 1.* Paulus enumerat, fuisse inexcusabiles. Nec tamen in contextu sequitur, peccata illa turpissima, etsi in religionem abjisse & ut religiosum quid habita fuisse dicantur, absque sufficienti advertentia ad eorum malitiam fuisse patrata. Legatur Cornelius à Lapide in totum illud caput, & satis constabit, Philosophos illos, quos Paulus ob Idololatriam arguit, non nescientes, sed scientes peccasse, atque in aliis toleravisse ac probasse, quod malum, & lumini rationis ac Deo ipsi, quem cognoverant, repugnare sciebant. Similiter ostendit eorum ignorantiam fuisse aut affectatam aut crassam, ideoque opera ab ignorantia illa procedentia fuisse imputabilia. Cæterùm non est credibile, eos non satis advertisse turpitudines illas & innaturales luxurias fuisse malas ac detestabiles. Jam verò de hujusmodi operum pravitate ac imputabilitate in præsenti non quæritur; sed solùm, utrùm ignorantia nullo modo prævisa imputetur ad peccatum, & non sit merus effectus peccati, sed verum peccatum, idque ratione sui imputabile, si oriatur à peccato; quod certè ex hoc loco non probatur. Neque commentatio S. Thomæ id probat. Ostendit ille quidem, primum Gentium illarum peccatum contra cultum Deo debitum processisse ex satis clara cognitione mali latentis ac debiti sui, cui non correspondebant; inde autem factum est, ut, Deo gratiam suam copiosam subtrahente, turpissimis vitiis se inquinaverint; nec dicit, aut insinuat eos non satis eorum turpitudinem agnovisse. De aliquibus quidem Gentium peccatis videtur supponere, ex ignorantia fuisse patrata, nec tamen ideo eos excusationem habuisse, quia ipsa eorum ignorantia erat culpabilis, quæ proinde non poterat opera ex illa provenientia excusare, sed mala & imputabilia reddere. Porrò quod dicit: *Si ignorantia causetur à culpa, non potest subsequentem culpam excusare*: intelligi debet non de quâvis causalitate physicâ, sed solùm de causalitate morali, ratione cujus ignorantia aut affectatur, aut ex negligentia advertenter contracta incurritur; alia enim ratione ignorantia non est voluntaria & culpabilis, ut ex expressa ipsius doctrina satis constat. Ergò ne sibi contradicat, ita interpretandus est.

Corollarii ex dictis.

43. Porrò ex dictis satis constat, quâ ratione opera ex ignorantia & errore patrata, sint aut non sint peccata, & ad pœnam imputentur. Inprimis aliqua dicuntur fieri ex ignorantia, non quia fiant ex absoluta mali inconsideratione, sed

quia vel notitia mali est exigua, cùm antea aut in aliis occasionibus esset longè clarior, & illa claritas vel ob pravum habitum, vel in pœnam peccati ablata est. Secundò, quæ fiunt in dubio dicuntur fieri ex ignorantia, quia malum operationis à dubitante ignoratur. Et de his non est dubium, quin sint peccata ratione sui imputabilia ad peculiarem culpam & pœnam, quia fiunt ex malitia, cum sufficienti advertentia ad malum ~~imputet~~. Jam plurimi textus SS. Patrum & aliorum de ignorantia in hoc sensu intelligendi sunt.

Peccari potest in opere procedente ex ignorantia culpabili, licèt nulla subsit mali, in illo opere, suspicio.

44. Sed esto, loquamur de aliquo opere, quod ex ignorantia & errore culpabili procedat, absque eo quòd ulla mali suspicio appareat in opere, quod hîc & nunc ponitur; immò supponamus, illud absolutè bonum reputari; adhuc multipliciter peccari potest in tali opere. Primò si illud ex passione aliqua mala indebitè fiat; tunc enim ignorantia & error non excusant opus à peccato malitiæ, ut patet. Hac ratione Judæi & alii persequentes Christum & Apostolos peccare poterant, & fortè peccabant, etsi putarent se Deo obsequium præstare eos persequendo. Secundò negligentia, ob quam error incurritur & continuatur, sæpe non est unum tantùm numero peccatum; sed homo frequenter peccat, longo tempore debitam diligentiam omittendo; & quidem ob habitum contractum fieri poterit, ut negligentia adeo facilè incurratur & parvi fiat, ut licèt intellectus ad obligationem sufficienter advertat, voluntas tamen nullo saltem notabili remorsu terreatur. Hinc autem duo sequuntur. Primum est, quod homo actu peccet in eo quod bonum putat, & de quo in particulari nullam habet suspicionem mali, sed illud Deo placere credit, idque intelligo non de imputabilitate propter negligentiam olim culpabilem, sed propter novam culpam negligentiæ præsentis, quam homo potest & debet amoliri. Interim tamen ex negligentia ista incidit in errorem, quo credit malum esse bonum, & Deo placere, &c. Hic error, & opus ab illo regulatum, est peccatum, habetque novam imputabilitatem à negligentia præsenti per quam error ille aut inducitur aut continuatur. Porrò culpa illius negligentiæ procedit à cognitione genericè saltem repræsentante ignorantiam esse removendam, quæ cognitio non contrariatur errori circa particulare objectum, ut patet. Hac etiam ratione peccare poterant, & sæpe de novo per novam imputabilitatem peccabant illi, qui persequebantur Christum & Apostolos. Secundum, quod ex hac doctrina sequitur, est, quòd qui diu vincibiliter manent in erroribus suis, ac frequentiùs ex tali errore mala committunt, gravius peccent, & severiùs puniendi sint in futura vita, quàm qui citiùs moriuntur in illo errore; quamvis quoad alia in nullo sit diversitas. Ratio est, quia negligentia continuata, est peccatum continuatum, quod ratione sui imputabile est, & consequenter, quò magis continuatur, eò gravius evadit, & ob multiplicitatem ac extensionem omissionum ad novam culpam & pœnam imputatur, atque ita opera etiam sequentia ad novam culpam & ampliorem damnationem imputantur, quia informantur à culpa majore & deteriore, ut patet. Hac ratione verificantur ea, quæ PP. & Theologi asserunt de iis, qui in suis erroribus perseverant; aliquando enim dicunt, eos semper ad ampliorem damnationem sua peccata ignorantiæ multiplicare: quod verum est non solùm ex eo, quòd talia opera ex indebita passione, & mala contra conscientiam fiant; sed ex eo etiam præcisè, quòd fiant ex ignorantia per novam & repetitam negligentiam continuatâ: & sanè vix fieri potest, ut crassa ignorantia, ab initio per negligentiam introducta, diu continuetur, quin eadem negligentia semper remaneat culpabilis, & homo taliter negligens pluries Deum ex advertentia sufficienti offendat.

45. Adde tam Sacram Scripturam, quàm Sanctos PP. mala aliqua sæpe vocare peccata, quæ propriam rationem peccati non habent. Unde in Tridentinum sess. 5. decreto de peccato originali sub finem hæc habet, *Concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Itaque cùm effectus peccati, maximè si ad peccatum inclinent, sæpe vocentur peccata, quamvis propriè peccata non sint, fieri potest, ut aliqui ex textibus, quos Celladeus profert, non agant de peccatis propriè, sed solùm impropriè dictis. Tales autem auctoritates nec Celladeo favent, nec nostræ opinioni adversantur, ut patet.

Peccata ab ignorantia culpabili quæ sint.

46. Demum præter peccata hactenus dicta, admittimus peccata puræ ignorantiæ, quæ in eo sita sunt, quòd oriantur ex ignorantia primitùs culpabili, sed quæ ob novam & continuatam negligentiam imputari nequeunt. In hoc casu, qui poneret malum, quòd absolutè crederet esse bonum, peccaret quidem, quia malum illud imputaretur propter negligentiam culpabilem, per quam ignorantia contracta fuit, quia tam ignorantia, quàm mala illa sunt simpliciter voluntaria, quia in negligentia illa fuere indirectè volita, cùm intellectus proponeret obligationem ad ea per diligentiam avertenda. Itaque opera talia, prout oriuntur ab ignorantia culpabili, atque ab ea informantur, verè sunt peccata, nec quisquam de hoc dubitat. Sed quæstio est, utrùm hæc opera sint peccata peculiaria, utrùm habeant propriam malitiam & imputabilitatem distinctam à tota malitia negligentiæ, per quam ignorantia contracta fuit, ideoque ad propriam & peculiarem pœnam ac damnationem imputentur. Communis opinio negat, modò nulla sit mali latentis suspicio, nec turpitudo aliqua ac indebitus agendi modus eluceat in opere, nec præsens ignorantia novam rationem culpæ habeat, sed opus simpliciter judicetur bonum, bona fide eliciatur, nec aliud ipsi imputari possit, quàm quod ab ignorantia primitùs culpabili oriatur. Ratio efficacissima & quoad me convincens, est, quòd volitio illius objecti non est ex se & intrinsecè mala, quia si eadem elicita fuisset cum omnibus circumstantiis, in quibus nunc actio versatur, non fuisset peccatum, nec ad culpam imputari potuisset, si culpabilis ignorantia non præcessisset. Malum enim non aliter voluntarium est quàm in illa ignorantia, quam homo poterat & debebat vitare. Ergò volitio illa non est intrinsecè mala. Ergò malitia omnis est illi extrinseca, nec aliundè habetur, quàm à negligentia culpabili, quia eâ sive in re, sive in mente ablatâ, omnis propria ratio culpæ & in re & in mente tollitur. Ergò talia opera non aliam malitiam moralem, non aliam imputabilitatem, seu propriam rationem peccati habent, nisi quæ communis est dictæ negligentiæ, cùm ab illa sola totam mali imputabilis, seu peccati propriè dicti, denominationem accipiant.

47. Quòd

47. Quòd si loquamur de ignorantia nullatenus prævisa, quæ tamen incurritur per peccatum, & de malis ab illa ignorantia postea absque ulla actuali malitiæ advertentia provenientibus, eadem ratio multò magis locum habet, quia opera sequentia non solùm non sunt præcisè ratione sui mala & imputabilia, ut ex proximè dictis constat, sed vel maximè, quia nec ignorantia illa, nec mala ab illa provenientia ullatenus fuerunt voluntaria, aut volita, ut efficaciter probatum est. Jam ergò absurdum est deserere communem gravissimorum Auctorum opinionem, ratione tam efficaci stabilitam, nisi convincens ratio, aut auctoritas irrefragabilis afferatur. At hæc certè nec allata est, nec umquam, ni fallor, afferetur. Provoco enim Celladeum ut determinatum casum ponat, in quo constet nullum ex assignatis aut aliis assignabilibus malitiæ causis intervenire, præter hoc præcisè, quòd oriatur ab ignorantia primitùs culpabili nondum retractata & abolita, aut quod citra omnem mali imminentis suspicionem ignorantia à peccato aliquo procedat; & hoc posito afferat textum urgentem aut rationem validam, quæ probet talem actum habere propriam imputabilitatem ac malitiam distinctam â malitia peccati, per quam ignorantia contracta fuit, & tunc aliquid ad rem dicet; si hoc præstare nequeat, frustra laborat. Rationem nullam affert: Auctoritates generaliter sumptæ probant quidem majorem damnationem communiter incurri ab illis, qui plura mala ex ignorantia culpabili patrant; sed non ostendunt majorem illam damnationem non provenire ab aliquo peccato malitiæ intervenientis, aut certè ex continuato peccato ignorantiæ, &c. Nec umquam exprimet argumentum, quo, sistendo in terminis quæstionis, peculiaris & propria malitia ac imputabilitas talibus operationibus tribuatur. Ut pateat an verum dicam, rogo Lectorem, ut ex auctoritatibus citatis conetur argumentum formare, quo hoc probet; quòd cùm præstare non potuerit, propriâ experientiâ convictus mecum sentiet.

Celladeus immeritò refragatur torrenti Doctorum.

48. Cæterùm quod ad præsentem controversiam de ignorantia per peccatum sine ulla suspicione mali contracta attinet, nimis perspicuum est, ea quæ Celladeus congerit hoc non probare, cùm non probent ignorantiam, de qua mentionem faciunt, non fuisse aut crassam aut affectatam, atque ex peccato malitiæ scienter ac voluntariò contractam; libenter enim viderem syllogismum formari ex iis quæ adducit, cujus conclusio sit propositio controversa. Verùm, cùm Lector talem syllogismum, qui probabiliter urgeat, ex illis formare nequiverit, concludet, ni fallor, Celladeum intentum suum minimè probare, ac sine fundamento à communi veraque sententia recessisse.

Celladei argumenta à quæstionis scopo aberrant.

49. Præclara prorsùs sunt, quæ S. Thomas de cæcitate atque hebetudine mentis tradit, eaque omnia & singula admitto, sed simul audacter affero, S. Doctorem diametraliter opponi assertis Celladei. Ille probandum assumit, quòd ignorantia nullatenus prævisa sit peccatum, si à peccato inducatur: ut hoc probet affert, S. Thomam dicentem, cæcitatem mentis aliquando esse peccatum. Sed quid inde? Omnes idem dicimus. Subsumi deberet. Sed S. Thomas ait cæcitatem esse peccatum, quando inducitur per peccatum, quamvis nulla ignorantiæ incurrendæ suspicio peccanti occurrit. At ubi S. Thomas hoc tradidit? Nullibi. Certè loco, quem Celladeus citat, expresè tradit oppositum; nam postquam dixit cæcitatem consistere in privatione principii visionis intellectualis; mox dicit illud principium esse triplex. Primum, est ipsum rationis naturalis lumen; sed hoc anima numquam privatur. Ergò cæcitas consistens in carentia hujus principii, non est peccatum, cùm numquam incurratur. Secundum, est lumen habituale, naturali rationis lumini superadditum; *& hoc lumine*, inquit, *anima interdum privatur. Et talis privatio est cæcitas, quæ est pœna, secundùm quod privatio luminis gratiæ quædam pœna ponitur, &c.* Porrò hæc cæcitas non est peccatum, sed pœna peccati, ut S. Thomas expresè tradit in eodem *art. ad 2.* Tertium, *est aliquod principium intelligibile, per quod homo intelligit alia; cui quidem principio intelligibili mens hominis potest intendere, vel non intendere. Et quod ei non intendat, contingit dupliciter. Quandoque quidem ex hoc, quod habeat voluntatem spontaneè se avertentem à consideratione talis principii, secundùm illud Psal. 35. Noluit intelligere, ut benè ageret. Alio modo, per occupationem mentis circa alia, quæ magis diligit, quibus ab inspectione hujus principii mens avertitur, &c. & utroque modo cæcitas est peccatum.* Hæc S. Thomas, qui ex his scitur non agnovisse rationem peccati nisi in hac tertia classe cæcitatis. Porrò asserit peccatum hoc dupliciter incurri, primò directè affectando ignorantiam, secundò indirectè negligendo scientiam, quatenus animus ab ea inquirenda avertitur ad considerationem eorum, quæ magis amat. At hi modi incurrendi peccatum cæcitatis supponunt advertentiam ad obligationem removendi ignorantiam, ut patet. Ergò S. Thomas aliud hîc non docet, quàm quod 1. 2. docuerat de ignorantia, scilicet ignorantiam tam affectatam, quàm crassam, esse voluntariam, & ad peccatum imputari, quod omnes admittunt. Præterea quòd hîc loquatur ex suppositione ignorantiæ aliquo modo cognitæ, ex eo patet, quòd supponat esse in potestate hominis intendere & non intendere tali principio. At hæc non sunt in potestate hominis nisi circa ea, quæ voluntati repræsentantur per intellectum, ut patet. Uno verbo totus textus, doctrinæque progressus, hoc ipsum apertè ostendit. Similia prorsùs habet de hebetudine *art. 2. Hebetudo*, inquit, *habet rationem peccati, sicut & cæcitas mentis, in quantum scilicet est voluntaria: ut patet in eo, qui affectus circa carnalia, de spiritualibus subtiliter discutere fastidit, vel negligit.* Ecce totam voluntarietatem hebetudinis reducit ad contemptum & fastidium, aut ad neglectum attendendi spiritualibus; asseritque se idem dixisse de cæcitate. At nemo fastidit aut negligit nisi illud quod ipsi aliquo modo proponitur. Ergò S. Thomas his in locis expresè requirit notitiam præviam de obligatione removendi cæcitatem & hebetudinem, ut illæ sint voluntariæ, ac rationem peccati contineant. Et tamen Celladeus citat hunc locum S. Thomæ, ut probet ignorantiam nullo modo prævisam esse peccatum, si ab alia quavis culpa originem trahat: sed nimis clarum est S. Thomam non solùm id non docere, sed expresè tradere oppositum; tum quia discursus illius omnem rationem voluntarii à tali ignorantia excludit; tum quia expresè fatetur, talem ignorantiam, utpote à Deo inflictam, esse pœnam peccati, & non peccatum. Cogitet hæc Celladeus, & agnoscat tandem quàm debilia, immò quàm suo intento contraria argumenta afferat, ut proprias suas opiniones & novas cogitationes stabiliat.

Autoritas S. Thom. allata adeo non favet Celladeo ut maximè adversetur.

50. Porro eodem modo discurrendum est de

cæcitate & malis à cæcitate inductis, ſicut loquuti ſumus de ignorantia, ejusque effectibus, utraque enim eiſdem modis eſſe poteſt voluntaria, ut patet. Itaque fatemur cæcitatem & eſſe peccatum, & à peccato non excuſare, quando & ipſa, & ejus effectus ſunt voluntarii; & hoc ritè probatur ex Sacra Scriptura. Cæterùm id numquam evenit, niſi aliqua eorum imminentium, ac debiti illa avertendi cognitio præceſſerit. Cæterùm quæ & qualia ſint peccata, quæ fiunt ex cæcitate mentis, & unde omnem ſuam malitiam habeant, non aliundè determinari poteſt, quàm ex cauſis proximè perpenſis, quando egimus de peccatis ignorantiæ.

Quãdo cæcitas ſit peccatum.

51. Cæterùm cæcitas, de qua Sacra Scriptura, & SS. PP. loquuntur, non eſt ignorantia quorumlibet, ſed ſolùm eorum, quæ & poſſunt & debent ab omnibus ſciri, quæque à quovis per diligentiam mediocrem cognoſci poſſunt. Quæ cùm ita ſint, ſtupendum eſt, Celladeum iterùm comparationem inſtituere inter opiniones probabiles falſas, & cæcitatem, de qua Sacra Scriptura loquitur. Cæcitas culpatur, quia poterat & debebat vitari, eſtque in cujuſque poteſtate illam amoliri, quia ſolùm privat ſcientia eorum, quæ certa ſunt, & ab omnibus diligentiam adhibentibus certò ſciri poſſunt. In his autem error non excuſat, quia culpabilis eſt, ut patet. Quod ſi alicui per accidens error culpabilis non fuerit, ille pariter per accidens excuſabitur. Hinc culpabiles erant tam Magiſtri cæci, quàm populi excæcati apud Hebræos, qui errabant circa illa, de quibus Celladeus mentionem facit; & in illis non ſufficit dicere, Magiſter dicit, quia veritas ab omnibus certò ſciri poteſt & debet; ideoque omnis error in talibus eſt vincibilis. At in rebus incertis, de quibus ſolùm agimus, aliter ſe res habet; in his enim veritas certò ſciri non poteſt, ſed totum relinquitur probabili ac diligenti quæſtionis reſolutioni, quæ proinde ſufficit, ut homo, etſi per accidens erret, excuſetur; & in eiſdem pro rudibus ſufficit, ſi conſilium à peritis petant; ſi enim illorum ſe dictis conforment, haud dubiè excuſantur, quia faciunt, quod ad veritatem ſciendam facere poſſunt & debent. Ergò ſi errent, invincibiliter errant & excuſantur. Quis hæc cogitans non ſtupebit, cùm legerit apud Celladeum opiniones probabiles Auctorum Catholicorum ſi falſæ ſint, & ſcriptores in rebus incertis & utrimque probabilibus errantes, comparari cum cæcitate Judæorum, ac cæcis illis Magiſtris, qui contra legem naturæ ac Dei certò latam, ac aut notam aut facilè & certò noſcibilem, ex errore vincibili operabantur. Pudet me profectò hæc toties proferre; quia indignum eſt Theologo tales comparationes inſtituere, utpote quæ viris Sanctiſſimis graviſſimisque Eccleſiæ Doctoribus injurioſæ ſunt, & ab omni veriſimilitudine remotiſſimæ.

Inepta Celladei comparatio.

52. Porro cæcitatem mentis, de qua S. Scriptura loquitur, quamque reprehendit, à peccatis induci fatemur, eamque aliquando peccatum eſſe agnoſcimus. Similiter Chriſtus venit, ut cæcitatem ac tenebras, quæ mundum operuerant, diſſiparet. Quid inde ad præſens intentum inferet Celladeus? *Peribant*, inquit, *animæ in ſua cæcitate. Ergò peccabant. Nil tamen de peccato cogitabant aut ſuſpicabantur.* Sed ubi tradit hoc S. Scriptura? Hoc Celladei commentum eſt, ab omni veritate alienum. Cogitabant illi, ſaltem ab initio, de cæcitate, alioquin non fuiſſet illis voluntaria. Cogitabant ſæpe poſtea, & de novo peccabant per negligentiam continuatam. In multis etiam benè ſciebant ſe malè facere; nec hoc opponitur cæcitati, ut mox uberiùs oſtendam. Atque ideo peribant in ſua cæcitate. Quòd ſi aliquis ex mera ignorantia & cæcitate operabatur, illud opus erat quidem peccatum, ſed non imputabile ratione ſui, ut ſæpe oſtenſum eſt. Sed quid ſi perierint in cæcitate illa? Quid hoc ad præſentem quæſtionem de uſu probabilium, quando veritas oculatiſſimos ac maximè diligentes latet? Viderit Celladeus, qui hæc objecit, nam alius nemo videt.

De qua cæcitate loquatur S. Scriptura.

53. Dixi advertentiam mali non opponi cæcitati mentis, quia obſcuriſſima & maximè horrenda cæcitas cum hac advertentia cohæret. Quis cæcior illo, qui cùm pericula imminentia videt, ab illis non terretur? Quis ſurdior illo, qui audiens fulmina divinæ juſtitiæ, illis non plus movetur, quàm ſi illa non audiret? Et tamen eò homines deveniunt, ut, oculis apertis, abſque ullo remorſu aut conſcientiæ terrore plurima peccata committant, nec iis plus moveantur, quàm ſi malitiam non agnoſcerent. Hoc eſt videntes non videre, & audientes non intelligere; quia eſt videntes & audientes perinde ſe habere ac gerere, ac ſi nec viderent quæ vident, nec audirent quæ audiunt. Nulla cæcitas aut ſurditas eſt pejor iſtâ, quæ illis tantùm convenit, de quibus veriſſimè dicitur: *Excæcavit illos malitia eorum*; per manifeſtam enim malitiam, & peſſimam peccandi conſuetudinem extinguunt lumen gratiæ, quâ à peccando homines deterrentur, nec ſeriò volunt conſiderare gravitatem & periculum peccatorum ſuorum, ſed hæc omnia contemnunt, ut ſuis voluptatibus ſine impedimento fruantur? Porro carentia talis luminis eſt propria cæcitas, quam homines in peccatorum pœnam incurrunt, ut dictum eſt ex S. Thoma.

Advertentia mali non opponitur cæcitati.

54. Itaque Celladeus *hîc §. 3.* propè medium immeritò inſurgit in eos, qui advertentiam & ſcientiam cum cæcitate conjungunt, eosque non ſolùm profanatores, ſed etiam carnifices eſſe arbitratur, qui dicunt, cæcum ducentem, & cæcum ductum ambos in foveam cadere, ſi ambo foveam videant. Scio neceſſarium non eſſe, ut ambo foveam videant, quia ſi error ſit circa neceſſaria neceſſitate medii ruunt in foveam, etſi nec foveam videant, nec in eam cadendo peccent. At ut peccent cadendo in foveam, fovea aliqualiter videri debet. Nec ideo profanator aut carnifex eſt, qui tales & videntes & cæcos appellat. Tales S. Thomas & videntes & cæcos agnovit, quia lumen rationis oſtendit malum, à quo tamen multi non moventur, quia cæci ſunt, & carent lumine gratiæ, quo debitè & cum ſalutari timore à committendo peccato retrahantur. Certè ex mente S. Thomæ cæcitas hæc naturali rationis lumini non opponitur. Ergò rectè cohærent. Ergò ex mente expreſſa S. Thomæ cæcitas, & quidem maximè horrenda, utpote quæ à Deo in pœnam peccatorum infligitur, cum aliquali & ſufficienti advertentia mali, optimè cohæret. Sed & Chriſtus ipſe *Matthæi 13.* hoc ipſum ſatis expreſſiſſe videtur, quando loquens de Judæis cæcis, illis applicat prophetiam Iſaiæ dicentis, *Auditu audietis & non intelligetis: & videntes videbitis & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, &c.* Certè locutiones iſtæ ſupponunt aliqualem notitiam rerum quæ non perfectè videntur & intelliguntur, ut dici de illis poſſit, quod videantur & non videantur; quod audiantur

Cæcitas immeritò reprehenditur Celladeus.

audiantur & non percipiantur. Certùm autem est sermonem ibi esse de horrenda populi Judaïci cæcitate, ut exprimitur in ipso textu. Ergò cæcitas & horrenda cæcitas non excludit omnem actualem advertentiam mali. Ergò Celladeus invalidè arguit, quando ex eò quòd peccantes ex cæcitate non excusentur, infert advertentiam mali non esse necessariam ad peccandum peccato per se ac ratione sui imputabile. Invalidè, inquam, arguit, tum quia terminos cohærentes supponit esse oppositos, tum quia consequens ex antecedenti in sensu ipsius admisso non sequitur, quia talia peccata, quando sunt ex pura ignorantia, non sunt imputabilia ratione sui, ut ostensum est.

55. Causam cæcitatis ex parte nostra Theologi in luxuriam communiter referunt; nec abnuo quin ob alia etiam peccata incurratur: & hoc bene probat Celladeus, qui etiam ex Evangelio rectè ostendit, vitam probam ad fidei doctrinam debitè percipiendam plurimùm conducere, cùm causam cæcitatis tollat. Indè autem perperam infert, quòd omnes teneantur ignorantiam vitare, quia possunt Dei voluntatem facere, & tenentur non peccare. Ex hoc enim non sequitur, quòd homo teneatur ignorantiam vitare, nisi obligatio eam vitandi aliquo modo ei repræsentetur. Si enim absque tali cognitione peccet, & Deus ob peccatum ignorantiam infligat, illa ignorantia erit quidem pœna peccati, sed peccatum non erit, cùm non sit voluntaria, ut ostensum est. Itaque cavendum est ab æquivocatione, quæ facilè incurritur, nisi advertamus aliud esse aliquid esse voluntarium seu volitum, aliud verò illud à voluntario & volito procedere; nisi enim aliquid modo humano & ex vi actûs humani, ut humanus est, seu à cognitione ipsius procedat, non est volitum seu voluntarium, quamvis physicè & mortuo modo à volitione humana dependeat, ut constat ex dictis. Itaque ad voluntarietatem ignorantiæ non sufficit, si illa quomodocumque à peccato oriatur, atque in pœnam peccati infligatur; sed requiritur ut intellectui aliqualiter repræsentetur, atque voluntas saltem indirectè in eam feratur, ut explicatum est.

Quid ad volûtarium requiratur in re præsenti?

56. Nec conducibiliora sunt ad intentum Celladei, quæ de obligatione mundandi conscientiam ponderat. Illa quidem obligatio admittitur, juxta moderatam præscriptionem graviorũ Theologorum; sed absurdum est ponere obligationem, quam Celladeus præscribit, quippe quæ nullam hominibus, quietem permitteret; cùm nemo quiescere posset, donec ad probabilitatem rarò aut numquam fallentem de statu suæ gratiæ pertingeret. At quotusquisque est, qui ad hanc se pertigisse tutò ac prudenter confidere potest? Pauci admodum, & qui sanctiores sunt, de hoc magis quàm alii formidant. Ergò Celladeus omnes inquietudine ac scrupulis vexat obligationibusque à se impositis non à Deo institutis inquietat.

Doctrina Celladei conscientias torquet.

57. Nec ea quæ affert, intentum probant. Si-quidem nulla lex obligate potest ad sui cognitionem, sicut obligat ad sui impletionem, ut clarè ostensum est in superioribus. Similiter lex quidem obligat ad removenda impedimenta, quæ apparent; ad ea autem quæ latent removenda, neminem dirigere, ac obligare potest; quia quæ planè nesciuntur, vi legis exigi nequeunt, cùm esse voluntaria, & ab actibus humanis attingi non possint. Similiter tenemur vitare occasionem proximam, quia scimus illam esse vitandam, ideoque peccat qui eam non vitat. Inde autem rectè infertur, quod teneamur quantum in nobis est vitare cæcitatem ac ignorantiam, quando lex illam prohibens apparet, idemque valet de vitanda quâvis impotentiâ consequente ad non peccandum, quando illa innotescit; at si ulla ejusmodi detur impotentia nobis penitus ignota, illa exercitè quidem vitari potest & debet quoties à peccato inducitur ac dependet; at signatè ad illam evitandam ex vi legis dirigentis nos obligari, est prorsùs impossibile, cùm lex hominem non dirigat nec dirigere possit nisi mediante sui cognitione.

Invalidè ipsam probat.

58. Ex his efficaciter constat, Celladeum nullâ ratione probasse intentum suum, scilicet quòd ad voluntarietatem & imputabilitatem ignorantiæ aut alterius mali sufficiat, si illud à peccato procedat, quamvis nulla illius cognitio aut suspicio, vel dubium præcesserit. Constat enim argumenta illius ad hoc probandum aut applicari non posse, aut si applicentur omni vi ac energiâ carere, cùm oppositum per rationes efficacissimas atque per communem gravissimorum Auctorum opinionem sufficienter innotescat & probetur.

59. Unde demum concludo, Celladeum immeritò gloriari de doctrina sua, tamquam de clavi regia, per quam aditus ad præclarissimas, ut ipse putat, veritates aperitur. Verùm veritates illæ præclaræ sunt errores satis patentes, & doctrina, qua ut clavi utitur, non solùm sine fundamento sed contra efficacissimas ac insolubiles rationes traditur. Totum in eo vertitur, utrùm peccatum puræ ignorantiæ sit ratione sui imputabile, nec ne? asserit Celladeus, nos negamus. Sed inter utrosque hæc diversitas intercedit, quòd ille rationibus & auctoritatibus æquivocè, aut præpostèrè intellectis ad hoc probandum utatur, nos autem ex communibus principiis ab omnibus admissis nostram sententiam stabiliamus.

Inanis Celladei jactantia.

60. Præterea doctrina præsens, quàm clavem regiam appellat, talis quidem est, ut ex illa admissa plura eorum vera esse, quæ in superioribus tradidit, quæque hic summatim infert, satis efficaciter probari possint. Verùm doctrina hæc falsa est, nec ad alia probanda, etsi illa admittantur esse vera, est necessaria. Peccata enim ignorantiæ, si sint imputabilia, ideo sunt talia, quia ignorantia ipsa fuit volita, saltem indirectè, ideoque cùm homo scienter neglexerit illam removere sicut poterat & debebat, nil mirum si & illa, & mala per illam patrata imputentur ad culpam. At præsens assertio, seu prætensa clavis regia in eo consistit, quòd ignorantia nullo modo repræsentata sit voluntaria & imputetur ad peccatum. At hoc est falsum, ut dictum est. Deinde non est necessarium ad prius probandum, ut patet. Ergò malam & incongruam, non auream aut regiam clavem adhibet Celladeus ad suas sententias comprobandas.

61. Ex his, & iis, quæ in superioribus dicta sunt, habetur clarissima responsio ad omnia & singula, quæ Celladeus in hac quæst. congessit. Ego hîc peculiaria ad præsentem controversiam pertinentia explosi, sed præter hæc alia multa repetuntur, quæ in superioribus objecta fuerunt. Ad illa ergò priores responsiones applicari possunt, cùm hîc nil peculiare ad eorum confirmationem afferatur.

QUÆSTIO SEXAGESIMA-SEXTA.

Vtrùm ignorans sit necessitatus ad peccandum? aut an habeat instantaneam libertatem non peccandi?

Status quæstionis, & sensus Celladei.

1. SERMO est de vincibiliter errante: constat enim invincibiliter errantem non solùm non necessitari ad peccandum, sed à toto penitus excusari, si erroneum conscientiæ suæ dictamen sequatur. Quæritur ergò utrùm omnis peccans ex ignorantia habeat libertatem non peccandi in ipso instanti, in quo peccat. Hac de re Celladeus fusè agit *lib. 1. part. 2. quæst. 12.* ubi plura stabilire conatur. Inprimis rejicit eos, qui per varia signa naturæ priora & posteriora in uno eodemque temporis instanti rem hanc explicare conantur; putat enim ea signa, saltem in ordine ad libertatis exercitium, non dari. Secundò statuit, actus humanos esse posse propriè malos & bonos, quamvis necessariò fiant in instanti in quo fiunt. Tertiò demum contendit, necessitatem consequentem, seu necessitatem à voluntate ipsa inductam, non impedire propriam rationem boni & mali moralis in actibus humanis sequentibus. Ex his autem stabiliri putat primarium quoddam suum dogma, in superioribus sæpe expressum, quòd scilicèt opera mala ex ignorantia patrata sint peccata peculiarem malitiam continentia, atque ad pœnam peculiarem imputari mereantur, ac verè imputentur. Ego hac in quæstione statuam, quid de prioribus sentiendum sit, iisque stabilitis, ostendam, primarium illud Celladei dogma ex doctrinis illis nullatenus comprobari.

ASSERTIO PRIMA.

Dantur signa naturæ, priora & posteriora in uno eodemq; instanti temporis, quando voluntas libertatem suam exercet.

Statuuntur prioritas & posterioritas naturæ quo instante libertas voluntatis exercetur.

2. PROBATUR. Causa actu operans non potest non esse naturâ prior suo effectu, ordo enim prioritatis & posterioritatis in respectu causæ ad effectum & effectûs ad causam consistit. Sed voluntas actu exercens suam libertatem comparatur ad suam electionem tamquam causa actu operans ad suum effectum. Ergò voluntas liberè operans est prior naturâ exercitio propriæ libertatis. Ergò in eo ipso instanti, in quo voluntas operatur, dantur signa naturæ priora & posteriora. Nec hoc in dubium vocari potest, nisi certissima Philosophiæ asserta pro incertis habeantur.

Confirmatur.

3. Confirmatur. In eo instanti in quo voluntas liberè operatur, poterat non operari, alioquin liberè operata non fuisset. Porrò hoc in manu voluntatis positum est. At non est in manu voluntatis ut ipsamet existat vel non existat; sicut non est in potestate ejus ut electio existat, si supponatur se ad eam determinasse. Datur ergò signum naturæ in quo voluntas est potens operari & non operari; & datur signum naturæ in quo seipsam determinat ponendo operationem. At hæc signa in uno eodemque instanti temporis existunt, & unum ordine naturæ præcedit alterum. Ergò signa naturæ priora & posteriora vel maximè locum habent in voluntate liberè operante.

Replica.

4. Dices. Figmentum ingeniorum est, quòd unum indivisibile instans temporis expandatur in decem aut viginti signa naturæ, priora & posteriora, præterita & futura. Sicut enim in puncto non est hîc & ibi, supra & infra, non solùm realiter, sed neque ordine naturæ; ita pariter dicendum, quòd in instanti non sit antè & pòst, nec realiter, nec ordine naturæ. Ita Celladeus *in introductione ad quæst. 12.*

Solvitur.

5. Respondeo, tot esse signa naturæ priora & posteriora in uno eodemque instanti, quot causalitates ordinatæ in illo exercentur. Si causalitates ordinatæ fuerint decem aut viginti, totidem absque dubio erunt signa naturæ: nec hoc figmentum est, sed veritas evidentissima. In puncto quidem non datur simul hîc & ibi, quia istæ sunt denominationes diversis locis realiter distinctis convenientes; & sic non datur prius & posterius tempore in uno eodemque instanti, ut patet. Verùm hoc non opponitur prioritati ac posterioritati naturæ in eodem instanti; quia istæ sunt denominationes, quæ necessariò non respiciunt diversum tempus, sed complentur per varias comparationes causæ ad affectum, & effectus ad causam pro instanti, quo causa actu operatur, ut dictum est.

Confirmatur ex doctrina Celladei.

6. Sed & Celladeus ipse *in hac quæst. §. 2.* admittit Christum & Angelos beatos, qui perfecta cognitione præditi sunt, in uno eodemque instanti & considerare & deliberare ac operari posse. Ergò jam diversa signa naturæ admittit in instanti, quo illi liberè operantur. Ergò ordo ille signorum ex se nullum absurdum continet. Ergò non est, cur nostræ etiam libertati aliquando non conveniat, cui certè in ipso instanti operationis liberæ non potest non convenire. Mirandum proinde est talia de puncto hîc & alibi objici potuisse ab eo, qui in casu ab ipso admisso eadem solvere tenetur. Sed hoc familiare est Celladeo, qui proinde in hac ipsa re & inconsequenter loquutus est, & revera contradictoria tradidit.

ASSER-

ASSERTIO II.

Voluntas humana non habet novam libertatem pro singulis temporis instantibus.

Non quovis novo instanti nova datur libertas.

7. HÆc est communis Theologorum opinio, in qua Celladeo consentio. Ratio est, quia hominem esse adeo sibi præsentem ut in singulis instantibus considerare, deliberare, atque actum liberum nova libertate producere possit, est prærogativa limitatam ejus potestatem longè excedens. Ergò illi non convenit. Idipsum experientiâ comprobatur: qui enim aut furiâ iracundiæ in proximum insurgit, aut flammâ concupiscentiæ in coitum abripitur, adeo fixus est in passionibus illis, ut pro singulis instantibus non sit dominus sui, nec possit pro quovis instanti retractare impetum inchoatum. Et sanè experientia ipsa adeo patenter hujus rei veritatem comprobat, ut absurdissimum videatur id in dubium revocare. Stat ergò assertio, quæ ulteriori probatione non indiget, cùm Celladeus ipse in illa nobis consentiat.

ASSERTIO III.

Quomodo bonitas & malitia actuũ subinde concilietur cum aliquali necessitate?

Aliqui actus humani sunt propriè boni & mali, quamvis necessariò fiant in aliquo instanti assignabili, in quo fiunt. Propositum autem sit explicare, quomodò hoc non tollit, quò minùs actus humani boni & mali verè sint liberi.

8. PROBATUR. Voluntas non habet novam libertatem in singulis instantibus, ut proximè dictum est. Ergò assignari potest instans aliquod post inchoatum opus, in quo voluntas jam necessariò pergit in opere. Hoc videre est in exemplo iræ & concupiscentiæ. Nec tamen dubium videtur, quin ira illa, illaque fornicatio, cùm certò sint prohibitæ, atque voluntas conscia prohibitionis ad illas liberè se determinaverit.

Ratio à priori.

9. Ratio à priori est, quia voluntas una eademque libertate operatur pro tota illa particula temporis, pro qua novam libertatem non habet, nec quicquam reperire est aut in voluntate interna, aut in opere externo, quòd, durante toto illo instanti libertatis, una eademque libertate non ponatur. Totum enim æquè ac singulæ partes talis volitionis ac operationis, item totum tempus, singulæque illius partes, quibus actio absque nova libertate perseverat, ex æquo voluntati tribuuntur, & sunt verè opera illius. Nec Deus est Auctor secundæ partis magis quàm primæ, sed totum uno eodemque libertatis exercitio ex integro ponitur à voluntate, illique tribuitur. Ergò totum illud opus est peccatum, quamvis assignari possit instans, in quo opus inchoatum necessariò perseveret. Idem valet de opere bono, quod sine nova libertate, per aliquam temporis morulam necessariò perseverat, si semel liberè inchoetur.

Qualis sit prædicta necessitas?

10. Hinc apparet, doctrinam assertionis non obstare, quò minùs actus humani bŏni & mali, sint verè liberi, quia necessitas, de qua loquimur, est ex suppositione, quòd voluntas liberè se determinaverit ad opus, quodque pro tanta temporis morula careat libertate illud interrumpendi, atque animum retractandi. Jam quòd nos per mentem dividamus illud tempus, dicamusque, perseverantiam operis in secunda parte illius non esse liberam, sed necessariam, posito quòd voluntas liberè inchoaverit opus, non tollit quò minùs tota illa operis duratio & singulæ illius partes sint liberæ, scilicet una illa eademque libertate qua opus est positum. Hoc enim tam verum est de ultima particula illius operis, quàm de prima, ut patet. Solùm ergò negamus ultimam partem habere novam libertatem, quòd æquè negatur de prima, cùm utraque unam eandemque libertatem habeat. Præterea sicut voluntas in ipso primo instanti non est libera nova libertate ad non irascendum, ex suppositione quod irascatur, & sicut necessitas ex hac suppositione non impedit, quò minùs voluntas liberè irascatur; ita pariter necessitas secundæ partis ex suppositione primæ nec tollit nec minuit libertatem partis secundæ, quia in utroque casu ex æquo supponitur plena libertatis determinatio pro toto illo tempore, quia idem est voluntatem se determinare ad primam ac ad secundam illius partem, quia supponimus jam, quòd voluntas non nisi unam simplicem & irrevocabilem determinationem habeat pro tali temporis morula.

ASSERTIO IV.

Aliqua necessitas consequens, ab ipsa voluntate inducta, non tollit propriam rationem boni & mali moralis in actibus ex tali necessitate provenientibus.

Necessitas quædam cõsequens nõ obest moralitati actuũ.

11. PROBATUR. Necessitas operandi, seu continuandi opus, quam *2. & 3. assert.* exposui, est aliqua necessitas consequens, ab ipsa voluntate inducta. At illa non tollit rationem boni & mali in actibus ex tali necessitate provenientibus, saltem pro toto illo tempore, quo voluntas novâ libertate caret, ut ostensum est. Ergò aliqua necessitas consequens à voluntate inducta non tollit propriam rationem boni & mali in actibus ex tali necessitate provenientibus. Et hactenus quidem Celladeo assentior, sed in sequentibus illi prorsùs dissentio.

ASSERTIO V.

Nil simpliciter malũ moraliter nisi liberum simpliciter.

Simpliciter loquendo nil est malum moraliter aut peccatum, quòd non est simpliciter liberum. Nec quidquam continet novam & peculiarem rationem mali, nisi quod à nova libertate proficiscitur.

12. PROBATUR. De fide certum est, libertatem requiri ad peccandum. Ergò quod non est simpliciter liberum non est peccatum; cùm omne opus non liberum propter necessitatem ac inevitabilitatem nemini imputari possit ad culpam & pœnam. Et quidem prima pars assertionis sub terminis, ut jacet, est certa de fide. Ex illa autem stabilita probatur secunda pars. Omnis ratio mali moralis seu imputabilis essentialiter fundatur in libero voluntatis exercitio. Ergò repugnat dari novam malitiam ac imputabilitatem moralem sine novo exercitio libertatis, quia quæ necessariò consequuntur ex primo libertatis exercitio non aliam voluntarietatem ac imputabilitatem habent, quàm quæ illis

à dicto

à dicto libertatis exercitio tribuitur. Atque hinc est, quod actus liber, à quo plura & majora mala necessariò consequuntur, sit deterior eo, ex quo pauciora ac minora tantùm mala proveniunt. Præterea nulla ratio libertatis convenit operibus necessariò subsequentibus, nisi quæ actui libero, à quo proveniunt, convenit. Ergò nulla imputabilitas ac malitia moralis illis convenit, nisi quæ à dicto actu libero tribuitur; quia ratio peccati ac imputabilitatis essentialiter imbibit rationem liberi, ut certum est. Hinc autem apertè sequitur, novam malitiam moralem ac imputabilitatem nec haberi nec intelligi posse sine novo libertatis exercitio: quamdiu enim novum libertatis exercitium non intervenit, quidquid mali ex priori exercitio necessariò sequitur, aliam imputabilitatem non habet, quàm quæ actui libero, à quo procedit, convenit, ut ostensum est.

Nullibi nova imputabilitas sine novæ libertatis exercitio.

13. Hinc habemus dogma illud Celladei, quòd opera ex ignorantia invincibili patrata, quodque opera ex necessitate à voluntate inducta provenientia, peculiarem malitiam ac imputabilitatem contineant, esse falsissimum; quia ubi non est nova libertas, non est nova imputabilitas. Sed falsitas doctrinæ ipsius ex objectionum solutione patebit; ex qua etiam solutio quæstionis propositæ innotescet, qualiter scilicet, & in quo sensu verum sit, quòd omnis peccans ex ignorantia necessariò peccet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio.

14. OBJICIT primò. Qui ex ignorantia peccat, non cognoscit se peccare. Ergò qui peccat ex ignorantia, tunc actu non habet libertatem moralem non peccandi, qua scilicet actum vitare possit ut malum, quidquid sit an physicè possit illum actum vitare. Præterea qui vincibiliter credit malum esse bonum obligatorium, non videtur habere potentiam physicam non peccandi. Nam vel debet agere juxta vel contra conscientiam. Neque enim medium dari potest. At si agat contra conscientiam peccat peccato malitiæ. Si agat juxta conscientiam, peccat contra legem ex ignorantia. Ergò necessariò peccat qui ex tali ignorantia peccat. Ita Celladeus §. 1.

Solutio.

15. Respondeo cum Divo Thoma *quæst. 17. de veritate art. 4.* quòd, quando conscientia erronea dictans malum esse bonum, semper aliquid sit in ratione naturali, unde possit procedi in contrarium ejus, quod erronea conscientia dictat. Certè suspendi poterat judicium illud erroneum; in quo casu processus fieri potuisset ad credendum illud esse faciendum, quod lex præscribit; & tunc nulla fuisset perplexitas aut necessitas peccandi, ut patet. Hæc doctrina coincidit cum ea, quam Auctores communiter tradunt 1. 2. scilicet sectantem conscientiam erroneam necessariò peccare, quidquid fecerit. Hoc tamen in eo tantùm sensu accipiunt, quòd quamvis homo sit simpliciter liber ad non peccandum, positâ tamen conscientiâ erroneâ non possit non peccare. Dicunt hominem esse etiam tunc simpliciter liberum, quia simpliciter loquendo potest conscientiam vincibiliter erroneam deponere, eaque depositâ omne peccatum vitare. Sed ex suppositione quòd conscientia erronea actu existat, tunc necessitatur quidem ad actum malum & peccatum; sed cum hâc diversitate, quòd si operetur contra conscientiam obligantem, peccet peccato imputabili ratione sui, utpote quod continet malitiam ab aliorum peccatorum malitiâ distinctam; si verò sequatur conscientiam erroneam, peccet peccato non habente malitiam peculiarem secum identificatam, opusque illius afficitur malitiâ negligentiæ, à quâ conscientia illa erronea ortum habuit.

16. Idem à fortiori locum habet, quando conscientia erronea dictat malum esse bonum præceptum, maximè si hâc & nunc non habeat homo unde conscientiam illam deponat. Ratio est, quia tunc homo imputabiliter peccaret, quidquid faceret, & sic absque libertate peccaret peccato ratione sui imputabili, quod est absurdum, principiisque fidei repugnat. At nec absurdum est, nec contra fidem, quod factâ suppositione aliquâ necessariò peccet, si ex una tantùm parte immineat peccatum imputabile ratione sui, quod vitari potest ac debet, etiam facta illa suppositione. Universaliter enim verum est, peccatum puræ ignorantiæ nullam habere posse imputabilitatem ratione sui, quia si iidem illi actus eliciti fuissent absque eo, quòd negligentia culpabilis præcessisset, evidens est, quod ad culpam imputari non possent, quia malitia operis nullo modo, ne quidem indirectè, illis voluntaria fuisset. Ergò actus illi non sunt intrinsecè imputabiles. Ergò totam suam imputabilitatem ab alio participant. At non aliundè quàm à culpabili negligentia, in qua malitia operis illis voluntaria erat. Hâc & non aliâ ratione verum est, quod omnis peccans peccato puræ ignorantiæ necessariò peccet.

Objectio.

17. Objicit secundò. Sicut de fide est, libertatem necessariam esse ad peccandum, ita de fide est dari peccata ignorantiæ. At qui peccat ignoranter, utique non advertit se peccare, alioquin non ignoranter sed advertenter peccaret. Sed peccatum ignorantiæ est verum peccatum, & ex necessitate fit. Ergò aliquod peccatum fit sine libertate.

Solutio.

18. Respondeo, peccatum ignorantiæ esse propriè peccatum & abominabile Deo, hominemque propter illud esse propriè vituperabilem. Sed hoc non probat, peccatum illud habere propriam imputabilitatem, sed solùm verè participare eandem cum peccato negligentiæ, à quâ error processit; sicut homicidium externum non habet peculiarem imputabilitatem distinctam ab imputabilitate actûs interni imperantis homicidium externum. Verè tamen est peccatum, quia à tota malitia actûs interni afficitur ac inficitur. Itaque quamvis certum sit, dari peccata ignorantiæ, & illa facta aliqua suppositione non esse evitabilia nisi per aliud peccatum, id non repugnat certissimo fidei dogmati, quod libertas ad peccatum requiratur; tum quia, simpliciter loquendo, omne peccatum vitari poterat, si error suspensus fuisset; tum quia licèt ex suppositione erroris homo necessariò peccet, liberè tamen peccat peccato imputabili ratione sui, de quo genere peccati dogma illud fidei intelligitur, saltem quando loquimur in dicta suppositione. Non enim est absurdum hominem facta aliqua suppositione, quam ipsemet induxit, necessariò peccare peccato imputabili vel ratione sui, vel solùm ratione alterius, ut dictum est.

Objectio.

19. Objicit tertiò. Necessitas consequens non impedit propriam rationem boni & mali in actibus humanis sequentibus. Nomine autem necessitatis consequentis non intelligitur ea solùm, quâ actus liber ex suppositione quod est necessariò est,

est, quia hæc necessitas nullatenus opponitur plenissimæ libertati, cùm nullam necessitatem antecedentem inducat. Intelligitur ergò omnis necessitas, quam ipsi nos inducimus, quamvis illa sit antecedens respectu actûs sequentis, qui proinde absque immediatâ libertate & indifferentiâ ponitur. Nec refert, quòd necessitas ponatur in uno instanti, & actus sequatur in alio. Totum hoc multipliciter probatur. Inprimis hæresis est peccatum. At hæresis necessariò consequitur ex imperio voluntatis. Ergò hæc necessitas consequens non tollit rationem peccati. Similiter furtum, adulterium, & alii ejusmodi actus externi sunt propriè peccata & mala. Nec de hoc, inquit Valentia *disp. 5. quæst. 15. puncto 1.* ullum esse potest dubium; immò refert ex Ariminensi, quod etiam S. Bernardus subindicat *Epist. 188.* inter alios errores Petri Abailardi ab Ecclesiâ damnatos unum fuisse, quòd actus exterior non sit bonus, vel malus. Atqui actus isti exteriores immediatè liberi non sunt, sed necessariò consequuntur ex imperio voluntatis, per necessitatem scilicet ab ipsa voluntate inductam. Ergò necessitas ejusmodi consequens non tollit rationem peccati.

Urgetur. 20. Similiter non obstat, quòd necessitas inducta sit in uno instanti, & effectus sequatur in alio; nam voluntas ex suppositione quod se determinaverit in uno instanti, non potest immediatè ab actu illo desistere, ut communis Theologorum opinio tradit. Et tamen qui fratrem odit, aut uxorem proximi vehementer cõcupiscit, toto tempore odii & concupiscentiæ peccat, & quidem quò majori ac diuturnori passioni indulget, eò gravius peccat, quamvis quò passio est vehementior eò libertas sit minor. Rursus multi docent voluntatem quoad actus suos liberam esse, eosque in instanti indifferentiæ elicere; secùs quoad actus exteriores, sed solùm in hoc instanti pro sequenti. Quare voluntas furandi est in hoc instanti, furtum autem necessariò sequitur in sequenti instanti. Et tamen furtum est peccatum. Demùm peccata ignorantiæ sunt vera peccata, & & tamen constat, plura eorum in alio instanti necessariò consequi, etiam absque libertate physicâ pro illo instanti. Certè hæretici, maximè obstinatiores, non possunt in instanti converti & Catholici fieri, deponendo omnes suos errores & mores; & tamen peccant in moribus illis. Quid, quod multis illorum errores nonnulli videntur evidentes; evidentia autem apparens non minùs necessitat ad assensum, quàm evidentia vera. Ergò tales hæretici falsis suis evidentiis necessitantur ad suos assensus hæreticos. Quin hisce evidentiis apparentibus nequiores & pertinaciores evadunt, quàm qui tales evidentias non habent. Ecce Hæretici ejusmodi in instanti assensûs necessitantur ad errorem, & tamen peccant, immò eò gravius peccant, quò suis erroribus fortiùs adhærent. Ita Celladeus §. *3. & 4.*

Responsio. 21. Respondeo, hæc omnia, etsi admittantur ut jacent, nil facere contra benignam sententiam, aut communi optimorum Theologorum de malitiâ humanorum actuum opinioni repugnare. Minimè autem probant, quod peccata ignorantiæ, aut alia sine novâ libertate patrata, contineant malitiam peculiarem, distinctam à malitiâ actuum liberorum, per quos necessitas illa inducta fuit. Et tamen Celladeus omnia ista ad hoc potissimè probandum cumulavit. Sed aliquid ad singula dicamus. Nullibi malitia peculiaris sine nova libertate.

22. Inprimis hæresis, & alia ejusmodi, furtum, homicidium, sunt verissima peccata; constat tamen ea diversam malitiam moralem non habere, ut Celladeus ex Vasquio *1. 2. disp. 73. cap. 7.* fatetur. At hoc stante habetur quod intendimus, scilicet opera externa, & peccata puræ ignorantiæ non habere peculiarem imputabilitatem & malitiam moralem, sed unam eandemque cum operatione libera à qua inducti sunt. Jam parum refert ad nostrum intentum, utrùm ex malitia sit primariò in actu externo vel interno; quodcumque enim dicatur, fixum manet diversas malitias morales & imputabilitates non reperiri, quod solùm hîc & nunc probare intendimus. Cæterùm quamvis peccata ista necessariò consequantur, posito actu interno, à quo imperantur; illa tamen unam eandemque libertatem habent cum actu interno imperante, & sic mirum non est, quòd unam etiam eandemque malitiam moralem cum illo participent. Quod si necessitas inducta, non participet eandem libertatem cum actu imperante, sed ita maneat, ut non ampliùs subsit libertati nostræ, multi negant illam aut omissiones ab illâ necessariò consequentes esse propriè peccata, quia debitâ libertate carent; unde dicenda quidem sunt effectus peccati, non autem peccatum, ut fusè tradit Vasquez *loco citato*. Peccata externa malitiam moralem nõ habent distinctam ab internis.

23. Quod si necessitas inducta sit in uno instanti, & opus in alio sequatur, videndum est, utrùm secundum instans necessitatis in opere involvatur in morula illa temporis, in qua voluntas novam libertatem non habet. Si involvatur in illa morula, tunc eandem prorsùs libertatem habet cum ipso actu voluntatis: si autem in illa non involvatur, sed ita maneat illa transacta, ut nec à primo nec à secundo exercitio libertatis dependeat, tale opus potiùs dicendum erit effectus peccati, quàm peccatum; sed de hoc modo loquendi non sum sollicitus, quamdiu constat, novam imputabilitatem ac malitiam moralem absque novâ libertate non intervenire.

24. Similiter admitto eum graviùs peccare, qui vehementiori ac diuturniori odio aut concupiscentiâ urgetur. Ratio est, quia tempore illo durante plura libertatis exercitia interveniunt, unde haud dubiè magis peccat extensivè, quàm si non tamdiu in illo affectu mansisset. At si loquamur de una eademque morula seu instanti libertatis, non peccat graviùs, qui totam morulam implet, quàm in primo ejusdem instanti peccaverat, quia in eo totam suam libertatem explevit, propter quam quidquid necessariò sequitur, illi æquè imputatur, sive juxta naturæ cursum tota morula impleatur, sive Deus efficiat, ut in medio talis morulæ moriatur, aut inchoatam passionem usque ad finem morulæ illius non extrahat.

QUÆ-

QUÆSTIO SEXAGESIMA SEPTIMA.

An taxari possit quantitas diligentiæ necessariæ ut ignorantia sit invincibilis?

Sensus Celladei.

1. MATERIAM hanc Celladeus fusè pertractat *lib. 1. Partis 2. quæst. 13.* ubi ante omnia quodammodò jactat, se in hac quæstione omnibus, qui Deo sincero corde non serviunt, mirè displiciturum; eò quòd (aureâ scilicet illâ suâ clavi) ostensurus sit, alios omnes plurimis peccatis occultis onustos esse, qui tamen citra talium peccatorum sollicitudinem suo modo vivere vellent, simulque justitiæ præsentis gloriæque futuræ certitudinem habere. Deinde duo statuit: primum, nullam regulam tradi posse, per quam absolutè sciamus quanta diligentia requiratur, ut ignorantia sit invincibilis & excuset: secundum, plures regulas reflexas assignari posse, non certas, sed probabiles & plerumque non errantes, quibus uti possumus ad discernendum, an debitam diligentiam præmiserimus. Inter reliquas autem singulariter proponit duas: altera est sollicitudo & diligentia, quam Sancti adhibuerunt: altera est doctrina, quam de diligentia adhibenda Sancti & libri spirituales proponunt. Et hanc quidem taxam absolutè defendit esse nec nimis strictam nec laxam nimis, sed ex omnibus maximè accedentem ad ipsam veritatem. Hæc ille quidem, in quibus tradendis tam irresolutè procedit, & in re non usqueadeo difficili tanta rerum confusione & indistinctione utitur, ut mirum sit, Theologum ingeniosum post tanta molimina quæstioni propositæ tam incongruè satisfeciisse. Ego ante omnia Celladei defectûs detegam, tùm, quid ad quæstionem respondendum sit, breviter aperiam.

ASSERTIO PRIMA.

Assertio 1. Celladei notatur inconsequentiæ.

Celladeus per hoc, quod hic tradit de impossibilitate taxandi quantitatem diligentiæ requisitæ ut ignorantia sit invincibilis, prorsùs evertit quidquid in prima parte de regula debitè formandi conscientiam in rebus probabilibus statuerat.

2. PROBATUR. Regula, quam pro formanda conscientia in incertis Celladeus in prima parte proponit est, quòd opinio positivè probabilis sufficiat, sed cum onere, ut operaturus benè videat, an opinio illa hîc & nunc à veritate deficiat. Hinc sic arguo. Onus hoc est obligatio adhibendi debitam diligentiam, ne erremus. Atqui hîc expresè docet, neminem posse esse certum, se debitam diligentiam adhibuisse. Ergò nemo potest certificari, se onus illud impleviisse, quod subeundum est, ut tutò sequi possit opinionem probabilem. Ergò regula, quam proposuit, neminem regulare potest, quia nemo scire potest an eam sequatur nec ne. Ergò regula illa prorsùs inutilis est, si verum sit, quod hîc tradit. Ergò doctrina ista penitus evertit quod in prima parte de modo debitè formandi conscientiam in incertis proposuerat.

ASSERTIO II.

Assertio 2. Celladeus confirmata.

Regula reflexa, quàm Celladeus proponit, certò falsa est, si universaliter sumatur prout ab ipso ponitur. Præterea eadem, juxta ipsius principia, inutilis est, & neminem regulare potest.

3. PROBATUR prima pars assertionis. Certum est plures debitam diligentiam adhibere, qui tamen tantam non adhibent, quantam Sancti adhibuerunt ad sciendam Dei legem. Ergò dicere, diligentiam à Sanctis adhibitam esse regulam infra quam debita diligentia non invenitur, est certò falsum. Probatur antecedens. Rudes, rustici, pueri, aliique incapaces adhibent diligentiam debitam; plures enim illorum à manifestis vitiis abstinent, catecheses & conciones, quibus instruantur, frequentant, nec pigri sunt in legendis aut audiendis libris doctrinalibus eorum statui convenientibus, insuper in dubiis sucs Pastores ac Confessarios consulunt. Hi profectò, aut certè complures eorum, diligentiam debitam adhibent, nec ignorantia legum talibus in peccatum imputari potest, quia plus ab illis exigere, est onus legis insupportabile reddere. Et sanè, dicere neminem ex istis debitam diligentiam adhibere, sed omnes ex defectu diligentiæ ignoranter peccare, adeo absonum est, Deique bonitati adeo repugnans, ut citra ingentem temeritatem sustineri nequeat. At nemo istorum ad diligentiam Sanctorum, qui continuis orationibus & non interrupto studio legem Dei requirunt, pertingit. Ergò ponere diligentiam Sanctorum pro regula omnibus impositam, est mensuram certò falsam & exorbitantem proponere.

Diligentia Sanctorum manuducit assignata pro regula ad ignorantiam tam invincibilem exhibendam à gratia.

4. Probatur 2. à priori. Lex omnibus imposita est, ut debitam diligentiam adhibeant. At lex ista omnibus diligentiam maximæ Sanctorum diligentiæ parem non præscribit; eo ipso enim esset lex mala & inutilis, finique legis repugnaret, quia esset onus intolerabile à Communitate, quæ certè moraliter impotens est ad talem legem custodiendam. Præterea repugnat legem condi à Deo pro Communitate, quæ à nemine mediocri-

Objectio.

Præcepta diligentiæ sunt humanæ.

tg,

ter; & juxta vires ac statum suum conante observari potest. At lex ista esset talis, quia nemo eam servaret nisi ultra mediocritatem summo conatu Sanctissimorum conatibus pari eam servare satageret; si enim cum minori conatu servaretur, utique talis lex excellentem illum conatum non præscriberet. Ergò repugnat talem legem à Deo condi pro hominibus, quibus juxta figmentum & vires illorum leges suas constituit. Ergò lex universaliter obligans omnes ad debitam diligentiam non præscribit diligentiam Sanctorum diligentiæ parem.

5. Probatur 3. Inter homines, pro quibus lex debitam diligentiam præscribens est condita, sunt varii gradus, ac ordines. Quidam sunt hebetes & vix sui compotes; alii ad quævis percipienda capacissimi. Non omnes esse possunt Doctores, sed quidam sunt Majores qui alios instruere debent, alii Minores à Majoribus instruendi. Hi nullum officium aut obligationem habent non omnibus communem. Illi ultra communes peculiaribus obligationibus urgentur. Quæ ad unos pertinent facilè sciuntur; quæ alios concernunt, non nisi magno labore comprehendi possunt. Ergò evidens est non omnes ad parem diligentiam obligari, sed minorem ab his, ab illis majorem exigi; unis mediocrem sufficere, cùm aliis sedula ac valde magna vix sufficiat. Ergò certò errat Celladeus, qui omnibus parem, eamque summam diligentiam ut necessariam præscribit, nempè illam, quam sanctissimi quique suo exemplo nobis imitandam reliquêre.

Non omnes ad parem obligâtur diligentiam.

6. Probatur secunda pars. Regula hæc reflexa juxta Celladei principia, nil certi ac determinati continet, in quo mens figi possit. Nam inter ipsos Sanctos sicut virtutis omnis sic etiam diligentiæ adhibitæ magna fuit diversitas. Præterea ex ipsis sanctissimis ac diligentissimis non omnes, ut expressè concedit, suæ obligationi satisfecerunt; sed aliqui in multis, aliqui in paucioribus ex ignorantia peccarunt. Nec ipsum S. Petrum à peccato ignorantiæ immunem facit. Unde ergò constat nobis, quæ illorum diligentia sufficiens dicenda sit, ut illam pro regula habeamus? Jam si Apostoli ipsi, haud dubiè diligentissimi, omni suo conatu non obstante, in peccata ignorantiæ inciderunt, quid dicendum de aliis Sanctis, qui longè minorem sollicitudinem ac scientiam habuerunt? Sufficiétne nobis illos imitari, quos nisi superaverimus, in plurima ignorantiæ peccata labemur. Qualem regulam, quàm indeterminatam, quàm insufficientem nobis proponis Celladee? Nempè regulam, quam nemo discernere potest, & qui eam discerneret, eamque sectaretur, adhuc in plurimis deficeret.

Futilis Celladei regula.

7. Præterea est aliud, quod hujus regulæ sufficientiæ, etiam juxta Celladei principia, obstat. Vult ille, & expressè quidem docet, regulam hanc neminem dirigere posse, nisi per particularem propositionem applicetur. Regula est ista. *Diligentia quam Sancti adhibuerunt est sufficiens.* Hæc regula neminem dirigit nisi per particularem propositionem applicetur, qua regulandus dicat. *Sed ego adhibui diligentiam Sanctorum diligentiæ parem, tam in veritate investiganda, quàm in Deo orando, quàm conscientiam emundando, & omnia impedimenta removendo.* Unde inferatur hæc conclusio, per quam proximè dirigitur & quiescit. *Ergò ego diligentiam sufficientem adhibui.* Jam regula ipsa, Celladeo fatente, sæpe deficit; nec quisquam scire potest, an hìc & nunc dificiat nec ne, sicut neque an sufficientem diligentiam adhibuerit agvi dendum utrùm dificiat. Præterea, quis in minoris applicatione potest confidenter dicere, ego diligentiam Sanctorum diligentiæ parem adhibui? Nemo certè nisi superbissimus homo, qui eo ipso, quòd hoc diceret, ostenderet se talem diligentiam, quæ in omnium virtutum, maximè in humilitate cordis, & submissa de se suisque operibus persuasione consistit, non adhibuisse. Porro omnia hæc in Celladei principiis vera sunt, quia omnia hæc præ ipsum involvuntur in debita diligentia. Ergò reflexa regula, quam proponit, talis est, ut etiam juxta illius principia neminem regulare possit. Frustra ergò in ea assignanda laboravit.

Fruſtra laborat Celladeus.

ASSERTIO III.

Facilè est proponere in genere mensuram diligentiæ requisitæ, ut ignorantia censeatur invincibilis. Assertio 3.

8. PROBATUR exponendo varias expressiones haud dubiè sufficientes. Inprimis illa ignorantia est invincibilis, quæ aut non potuit, aut non debuit à nobis superari. Impotentia absolutissimè reddit ignorantiam insuperabilem, ut patet. Negatio obligationis illam removendi eandem reddit inimputabilem, quam non immeritò invincibilem & insuperabilem nominamus, tum quia æquè excusat ac illa, quæ est absolutè insuperabilis, tum quia de illa verissimè dicitur, quòd debita diligentia superari non potuit, quamvis per diligentiam non debitam simpliciter fuerit superabilis. Jam prima insuperabilitas sufficit, ut ignorantia sit invincibilis. Hæc generica expressio est quidem vera, sed parum utilis in particulari ut conscientiæ formandæ subserviat, quia sæpe difficillimum est scire, quòd talis ignorantia aut nullo modo aut debitâ diligentiâ superari non potuerit. Nihilominus pro rudibus gubernandis inservire poterit, quia de illorum ignorantia sæpe dicere possumus quòd illa aut omnino aut debitâ diligentiâ superari haud potuerit. Attentis enim circumstantiis personæ, negotii & sedulitatis impensæ, sæpe non est difficile discernere, quòd talis persona aut non potuerit, aut non debuerit plus facere, quàm fecit. Hæc explicatio conformis est S. Thomæ *1. 2. quæst. 76. art. 2.* & fusè traditur à Valentia *disp. 6. quæst. 6. puncto 1.* Regula, frustra à Celladeo tentata, assignatur.

9. Vasquez *disp. 124.* dicit, illam ignorantiam legis esse invincibilem, cujus nulla notitia, nec ratio dubitandi aut in specie aut in genere occurrit. Similia habet Sanchez *cap. 17. num. 21.* tradit enim, eam ignorantiam, inadvertentiam, seu oblivionem sive juris sive facti, dicendam esse invincibilem, cujus nulla notitia nec specialis, nec confusa, nec ulla ratio dubitandi in universum aut peculiariter occurrit. Ratio est, quia ignorantia ejusmodi nec est, nec esse potuit libera & voluntaria iis, qui de illa nec directè nec indirectè umquam cogitarunt, aut ullam suspicionem habuerunt, quia liberum ac voluntarium non est, quod ex cognitione non procedit. Ergò talis ignorantia non potest esse imputabilis. Præterea defuit principium per quod talis ignorantia humano modo expelli potuit. Ergò illa verè est invincibilis & insuperabilis humano modo & per conatum humanum. Similiter satis per se constat, quòd talis ignorantia aut non potuit aut non debuit superari. Ergò est invincibilis.

10. Dices, illa particula *in universum*, sicut

Replica Celladei.

& illa *notitia confusa*, multiplicem sensum habere potest, adeo ut in praxi nescire possimus, quæ ignorantia in confuso sit, quæ non sit nota. Præterea isti modi dicendi explicant rem non per debitum & jus, sed per factum; considerant enim an notitia aliqua occurrerit, & ex hoc pronunciant, cùm tamen aliqua ex culpabili negligentia, aut etiam ex pravitate provenirent ne notitia distincta aut confusa occurrat. Quo in casu ignorantia non excusat. Sic beneficiatus, qui ludo aut amoribus ita implicatur, ut obliviscatur horas recitare, non excusatur, sed peccat. Non ergò per factum, sed per debitum res est exponenda, saltem per factum solùm explicari non potest; alioquin quò homines deteriores ac pigriores essent, eò redderentur magis excusabiles. Ita Celladeus *quæst. 13. §. 1.* qui nonnulla etiam alia objicit, quæ omittenda esse censeo, quia parum aut nihil urgent, si in terminis regulam exprimentibus maneamus.

Solutio.

11. Respondeo particulas illas habere sensum præcisum ac fixum, cùm excludant omnem apprehensionem & suspicionem aut dubium de re tali tam in specie quàm in genere, sicut & omnem cognitionem tam confusam quàm distinctam. Nil autem confusionis aut indistinctionis, relinquitur in tali expressione, ut patet. Jam utrùm ista notitia praxi deserviat, non quæritur in præsenti: solùm enim dicimus, hanc expressionem genericè sumptam esse veram. Sed haud dubiè eadem in multis casibus praxi deservit, maximè in rebus facti, sicut & in præceptis & jussionibus recenter editis. Neque inutilis est ad discernendum, an multæ aliæ juris ignorantiæ sint invincibiles. Sed de particulari applicatione hujus regulæ non est nostrum disputare in præsenti.

12. Cæterùm, sicut ille, non potest esse reus parricidii, qui ponit opus verè illativum parricidii, de quo nullam habuit suspicionem, aut dubium, nullamque notitiam, ne quidem confusam, quòd mors aut periculum mortis paternæ à tali actione immineret, maximè si nullam habuerit suspicionem de obligatione vitandi actionem illam, ob periculum alicujus mali per illam inferendi, ut suprà dictum est ex S. Thoma; ita pariter dicendum est, ignorantiam nec voluntariam, nec homini imputabilem esse, quando nulla de illa suspicio aut ratio dubitandi nec in specie nec in genere occurrit. Certè si ea, quæ Vasquez & Sanchez requirunt, illi conveniant, non est unde voluntaria, vincibilis ac imputabilis esse queat.

13. Jam quòd Auctores isti rem explicent per factum & non per debitum & jus, non vitio, sed laudi verti debet; longè enim congruentius est, istiusmodi difficultates explicari per factum quod in indivisibili consistit, & ex æquo omnibus convenit, quàm per debitum & jus, quod non est idem respectu omnium, sed magnam latitudinem subit. Præterea factum hoc tale est, ut ex illo rectè inferatur, debitum ac jus immò & potentiam, amovendi ignorantiam abfuisse. Tale autem factum æquivalet juri in ordine ad præsentem quæstionem, ut patet. Ergò ex hoc capite malè rejicitur hæc explicatio. Jam quod objicitur de ignorantia & incogitantia per negligentiam culpabilem aut per malitiam inducta, aut non est ad rem, aut in nullo obstat præsenti doctrinæ. Non est ad rem, si negligentia illa aut malitia orta sit à cognitione saltem confusa, aut à suspicione obligationis de ignorantia vitanda, &c. quia tunc non sumus in terminis assertionis, talis enim ignorantia aut crassa est aut affectata, ut patet; quod si malitia aut negligentia illa ratione hujus ignorantiæ aut incogitantiæ prohibita non fuerit, utique ignorantia illa inculpabilis erit, censerique debet naturalis, non minùs quàm si ab actione non mala processisset. Quia ex æquo non erat in potestate hominis illam vitare, ut videre est in exemplo parricidii ex S. Thoma sæpiùs ponderato.

A scopo quæstionis aberrat Celladei objectio.

14. Cæterùm, exemplum de non recitante horas canonicas propter oblivionem ab amoribus impudicis inductam, nil facit ad præsentem quæstionem, quia talis homo moraliter loquendo non potest non aliquo modo reflectere ad suam obligationem. Sed si contendas, aut potiùs supponas, eum ita ad illam non reflectere, ut nec in genere, nec in specie, nec distinctè, nec confusè de illa cogitaverit, sed habuerit animum eas recitandi, nec præviderit periculum incogitantiam illam incurrendi, &c. dicendum est, eam incogitantiam hîc & nunc naturalem esse ac necessariam, non liberam & humanam, ideoque verè esse invincibilem ac inimputabilem, sicut est parricidium in casu à S. Thoma, & à nobis supra sæpiùs expresso. Nec refert quòd occasio talis incogitantiæ fuerit opus malum, quia hoc non magis influit in voluntarietatem talis ignorantiæ, quàm si illa ab opere bono inducta fuisset, ut videre est in exemplo allato. Et Suarez *disp. 4. de Censuris, sect. 8. nu. 13.* expresè dicit, nil conducere ad rem præsentem quòd opera detur rei licitæ vel illicitæ, illudque ex Sacris Canonibus probat. Quod minùs placet in hac explicatione est, quòd illa omnem ignorantiam invincibilem non complectatur; non enim eam comprehendit, quæ menti occurrit, sed per debitam diligentiam amoveri non potuit. Verùm hoc sufficientiæ hujus regulæ non obstat, utpotè quæ non traditur ut universalissima, sed expresè alligatur ad eas ignorantias, de quibus nulla ne quidem confusa notitia, dubium aut suspicio menti objecta fuit.

15. Suarez *disp. 4. de Censuris sect. 8.* præclarè agit de invincibilitate ignorantiæ tam juris quàm facti, ubi *num. 16.* hæc habet. *Certa ergò, & moralis in hoc negotio sumenda est diligentia adhibita, vel omissa, ad cognoscendum præceptum, & jus ad unumquemque pertinens.* Si enim quis sufficientem diligentiam adhibeat, & tamen ignoret jus ad ipsum spectans, illa ignorantia erit invincibilis. Si autem negligens fuerit, ignorantia erit culpabilis & vincibilis. Doctrinam hanc satis expresè traditam habemus *in cap. Si culpa, de injuriis*, ubi dicitur te obligari, si *quam debuerat, non curasti diligentiam adhibere.* Et paulò post. *Secus tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nil omisit.* Quamvis in isto textu potiùs sit sermo de ignorantia facti quàm juris. Sed eadem est ratio de ignorantia juris ejusque excusabilitate, dummodo homo ex æquo proportionaliter diligens sit aut negligens ad eam amoliendam. Unde sic concludit, *num. 17. Regula utriusque erit diligentia sufficiens. De qua diligentia vix aliquid potest generaliter dici, sed prudenti arbitrio relinquenda est, pensatis omnibus quæ ad tale præceptum, vel ministerium pertinent.* Hæc sapientissimè Suarez. Porrò ex his constat veritas assertionis positæ, scilicet, quòd satis facile sit exponere in genere mensuram diligentiæ requisitæ, ut ignorantia sit invincibilis. Nec desunt aliæ similes regulæ idipsum dignoscendi apud alios Auctores, sed illas omitto, cùm istæ ad intentum abundè sufficiant.

Quæ ignorantia non vincibilis, quæ vincibilis.

16. Dices. Hæc explicatio duabus de causis objectis est

est insufficiens: Primò, quia nil tradit per quod in particulari scire possimus, an diligentia præmissa sit sufficiens. Secundò, quia remittit ad prudentes, quæ remissio est valdè incerta, cùm nesciatur, quinam determinatè sint hi prudentes. Præterea per hunc recursum nil determinari potest de ullâ particulari ignorantiâ hujus personæ, ad hoc enim duæ præmissæ necessariæ sunt, per quarum alteram universaliter statuatur quantum quisque facere teneatur: per alteram particulariter determinetur, hunc hominem tantum fecisse. Hæc particularis præmissa ex libris haberi nequit: ergò in praxi alicujus judicio relinquenda est. Præterea hæc particularis præmissa nil juvat sine alterâ universali cujus determinatio ad Doctores propriè pertinet. At illi non audent eam assignare, sed & majorem & minorem & totum negotium aliis minùs sufficientibus sæpè determinandum relinquunt. At hi quantitatem diligentiæ requisitæ minùs taxare poterunt. Cur ergò ad hos remittimur? Certè nemo per talem recursum certus esse potest, se ea præstitisse, quæ Doctores in genere tradunt præmitti debere, ut ignorantia censeatur invincibilis. Ita Celladeus §. 1.

Responsio. 17. Respondeo, nos jam solùm quærere in genere, quænam ignorantia censenda sit invincibilis: in sequenti autem assertione ostendam cum Suarez, quomodò hæc regula sufficiat pro praxi ad determinandum, quæ ignorantia habenda sit invincibilis. Quod autem tandem remittat ad sapientes, prudentissimè sit, cùm in multis casibus aliter determinari non possit, an hæc vel illa ignorantia particularis habenda sit invincibilis, nec ne. Nec verum est, prudentes istos discerni non posse, cùm oppositum efficaciter stabilitum sit contra Celladeum *quæst. 24.* Atque hinc secunda pars argumenti solvitur. Scitur enim quinam sint prudentes, & scitur etiam quid interrogati responderint. Ergò scitur, quòd homo fecerit omnia, quæ Doctores requirunt, ut ignorantia sit invincibilis. Nec obstat, syllogismum allatum adhibendum esse, nam minor illa particularis evidenter scitur esse conformis menti Doctorum, qui dicunt, sufficere pro rudibus, si in suis dubiis Confessarios suos consulant, maximè si illi sint viri præstantis famæ tam pro doctrinâ quàm pro probitate. Similiter Major certò scitur esse qualis à Doctoribus præscribitur. Nam sæpe omnia adsunt, per quæ explicant sufficientiam diligentiæ requisitæ. Aliquando in casibus particularibus solùm dicunt, eam diligentiam censendam esse sufficientem, quam prudentes talem esse determinant. Nec obstat, hos prudentes esse aliquando imperitiores Doctoribus, qui ad illos remittunt, quia adhuc certum est, nos fundari in eorum auctoritate, quando dictis minùs doctorum stamus; ideo enim illorum dictis stamus, quia peritissimi quique id sufficere asserunt. Falsum ergò est, totum remitti minùs doctis, maximè si sermo sit de motivo in quo fundantur illi, qui regulâ Doctorum utuntur, quamvis immediatè ad eos remittamur pro casibus, in quibus aliter instrui non possumus. Sed tunc hæc remissio in eo fundatur, quòd auctoritas talium sciatur sufficere ad intentum; quamvis hæc scientia sit solùm apud Doctores, nam alii rudes, qui ad Doctorum illorum dicta attendunt, non aliter id sciunt, aut credunt, quàm per illorum auctoritatem, ut patet.

ASSERTIO IV.

Assertio 4.

Difficillimum est, & quodammodo impossibile, certò determinare in particulari sufficientem & necessariam mensuram diligentiæ requisitæ, ut ignorantia sit invincibilis. Propositum autem sit exponere regulas aliquas, quibus ad hoc quàm proximè determinandum adjuvemur.

18. Probatur assertio. Diligentia, quam adhibere possumus, non consistit in indivisibili; aliqua enim est patenter maxima & plus quàm sufficiens, alia est exigua & manifestè insufficiens. Jam ex iis, quæ mediant inter ista extrema, aliquæ sufficiunt, aliquæ non sufficiunt; & quia paulatim & per incrementa insensibilia descenditur à sufficienti ad insufficientem, & ab insufficienti ascenditur ad sufficientem, difficillimum est, & nobis impossibile exactè determinare minimam mensuram diligentiæ sufficientis, infra quam omnis diligentia est insufficiens; seu maximam mensuram diligentiæ insufficientis, supra quam omnis alia est sufficiens. Hæc difficultas communis est omnibus rebus, quæ à parvo ad magnum per incrementa insensibilia ascendunt, aut eodem modo à magno ad parvum descendunt; nemo enim certò discernere potest ultimum illud, in quo sit transitus à maximo parvorum ad minimum magnorum, ut videre est in materia furti, aliisque similibus; nemo enim certò dicere potest, tot præcisè obolos esse materiam gravem, omnemque quantitatem minorem esse materiam levem. Hoc tamen non obstante, regulæ quædam probabiles traduntur, quibus parvum & magnum discernuntur in furto; idem etiam fit in casu nostro, ut ex sequentibus constabit.

Aliqualis Explicatio diligentiæ requisitæ ad ignorantiam invincibilem.

19. Inprimis ergò ad determinandum in particulari, utrùm ignorantia sit invincibilis, seu utrùm diligentia sufficiens adhibita fuerit, utiles sunt duæ regulæ, seu duo documenta, quæ Suarez subjungit doctrinæ generali paulò antè ex ipso recensitæ. *Primum est* (utor ipsis Suarii verbis, quia nec efficacioribus nec brevioribus res tanta explicari potest) *considerare, an aliquando venerit in mentem tale præceptum, vel dubitatio aliqua de hujusmodi obligatione, vel aliquid aliud simile, quo possit homo excitari ad inquirendam scientiam talis præcepti: nam si nil ejusmodi aliquando menti occurrit, signum sufficiens est invincibilis ignorantiæ. Hoc enim signo etiam intelligimus, oblivionem, seu inconsiderationem aliquam naturalem esse & inculpabilem. Ratio autem naturalis est, quia non potest homo sese applicare ad aliquid considerandum, vel addiscendum, nisi præcedat cogitatio aliqua, quâ possit voluntas moveri, quia homo non se applicat nisi per voluntatem: & voluntas non potest se movere nisi præviâ cognitione. Propter quod, ante primam voluntatem præcedere debet cogitatio, quæ propterea non potest esse voluntaria, sed naturalis, seu ab extrinseco proveniens. Ergò quando nulla talis cogitatio in mentem subiit, quâ possit voluntas excitari ad appetendam vel quærendam scientiam vel considerationem, non est in potestate hominis, se ad illam movere, & consequenter non potest talis ignorantia homini imputari, sed est involuntaria, ac propterea inculpabilis, & invincibilis.*

Discenditur ad particularia.

Duplex documentum ex Suario, ad rem præsentem pertinens utile.

20. *Atque ita quoad hanc partem facilè solvitur*

ratio in contrarium, scilicet talem ignorantiam esse indirectè voluntariam; quia homo potest & tenetur illam vitare. Negamus enim posse potentiâ proximâ, quæ requirit consensum omnium, quæ ad volendum prærequiruntur. Cùm verò instatur, quia, si tenetur, potest, cùm obligatio supponat potentiam. Respondetur per se quidem teneri, seu obligari talem hominem ad talem scientiam; ad quod satis est, quòd, per se loquendo, sit in hominis potestate, & quòd tale munus secum afferat talem obligationem. Nihilominùs tamen hîc & nunc illam obligationem dicimus suspendi, vel potiùs hominem ab illa excusari, propter impotentiam proximam & moralem, quæ ex naturali, ac necessariâ oblivione, vel inconsideratione orta est.

21. *Secundum documentum est, ut consideretur, an is, qui scire aliquid tenetur, habuitq; sufficiens principium cogitandi, vel dubitandi de tali obligatione, fecerit moralem diligentiam, juxta qualitatem operis, vel ministerii accommodatam, & probabili judicio sufficientem, ut talem cognitionem acquireret: Nam, si hoc fecit, ignorantia, quæ postea relinquitur, inculpabilis est. Vt, v. g. si homo sit indoctus, consuluit doctos viros, vel peritos in tali arte, & carentes morali suspicione, quòd ex malitia, aut etiam ex sua negligentia possint decipere: si verò sit homo doctus, aut per se sufficiens ad talem cognitionem obtinendam: an doctores aliquos evolverit, aut leges ipsas, vel statuta mediocri diligentia vel labore inquisierit: nam, si ita se gesit, si quæ manserit ignorantia, meritò inculpabilis existimabitur. Quæ omnia sunt nobis certa in foro conscientiæ.* Hactenus Suarez, qui mox subjungit, forum externum aliis præsumptionibus uti, & rarò admittere excusationem ob ignorantiam juris, nisi validissimis rationibus probetur ignorantiam illam fuisse invincibilem.

Objectio. 22. Dices. Hîc item deficitur per factum rem exponendo, quæ per debitum & jus explicari debebat. Præterea hac ratione multi hæretici & infideles in suis erroribus enutriti excusarentur, quia nulla eis dubitatio in mentem venit de suis religionibus & pravis ritibus. Hi tamen non excusantur; quia certa regula, ut ipse Suarez antè dixerat, in hoc negotio sumenda est à diligentia adhibita vel omissa. At ab indiligentia rerum animæ sæpè provenit, ut nec dubitatio, nec quid simile in mentem veniat; & nequioribus minùs veniunt, & pauciora. Deinde illud additum, *dubitatio, vel aliquid aliud simile*, rem relinquit obscuram; nescitur enim quid sit hoc, *aliquid aliud simile*. Demum non est necesse aliquid, quo homo excitetur ad inquirendam directè scientiam; sed satis est ut excitetur ad quærendum indirectè, cùm ignorantia etiam indirectè voluntaria sit imputabilis & vincibilis. Ita Celladeus dicto §. 1.

23. Respondeo inprimis hæc solùm impetere primum documentum, non tangere secundum. Unde Celladeus præsumendus est secundum approbare, cùm nil contra eam objiciat.

Duplex solutio. 24. Respondeo 2. hæc omnia optimè explicari per factum, maximè cùm factum sit tale, ut ex illo jus ac diligentia sciri ac determinari possit, ut contra similem objectionem paulò antè ostensum est. Similiter alibi etiam declaratum est, quomodò & quousque hæretici ex hoc capite excusentur à novo peccato, quamvis non ideo à damnatione incurrenda excusentur. Nec sufficit dicere eos esse inexcusabiles, quia certum est rudiores frequentissimè excusari. Nominatim autem excusantur ii, qui numquam habuerunt notitiam, dubium, aut suspicionem erroris, aut quod obligentur veritates ulteriùs quærere, unde excitari potuerunt ad veritatem indagandam, ut rationes à Suario allatæ convincunt. De infidelibus paulò dispar est ratio: illorum mores plerumque sunt circa mala jure naturæ vetita, unde rarò aut numquam excusantur, quia de talibus vix fieri potest, quin notitia aliqua aut suspicio vel dubium mali aut obligationis rem inquirendi mentem subeat.

25. Jam certa regula sumitur quidem à diligentia sufficiente, sed inde non probatur, quòd omnis incogitantia ab indiligentia rerum animæ sit imputabilis, sed ea solùm, quæ aliquo modo prævidetur, ita ut evadat voluntaria, ut jam dictum est in responsione ad objecta contra priorem assertionem. Et sanè, stando in terminis declarationis positæ, nil ex ulla indiligentia inferri potest, nisi illa voluntaria fuerit, eò quòd aliqualiter repræsentabatur obligatio illam removendi. At in hoc sensu, argumentum à tali negligentia desumptum probat, non improbat præsentem declarationem, ut patet. Quod si nequioribus pauciora & minùs frequenter veniant in mentem (de quo tamen dubium est, nam nequiores homines sine difficultate advertenter bibunt iniquitatem sicut aquam, nec illis plerumque deest sufficiens & actualis advertentia malorum, quæ patrant) id non obstat eorum malitiæ, quia frequenter habuerunt & habent sufficientem notitiam, unde excitari possint non solùm ad opera mala omittenda, sed etiam ad ignorantiam removendam. Cæterùm si in aliquo casu talis advertentia omnino desit, nec præsens inadvertentia fuerit illis voluntaria, hîc & nunc excusantur, quia ignorantia aut inadvertentia & incogitantia illa naturalis est, involuntaria, invincibilis ac inimputabilis.

26. Porrò prætendere, locutionem illam, *dubitatio, vel aliquid aliud simile*, non habere sensum determinatum, est nodum in scirpo quærere: siquidem manifestum est ex contextu, aliud per illam phrasim non intelligi, quàm aliquem actum intellectûs, vi cujus, sicut vi dubii, excitari possumus ad diligentiam adhibendam, & ignorantiam removendam. Tales actus sunt suspiciones, aut etiam apprehensiones, vi quarum dubitatio aut oritur aut completur.

27. Demum nos etiam admittimus, sufficere, quòd homo ita indirectè excitetur ad quærendam scientiam, ut ignorantia sit illi indirectè voluntaria. Verùm in eo discrepamus à Celladeo, quòd asseramus, nullam excitationem posse reddere ignorantiam indirectè voluntariam, nisi illa aliquo modo, saltem in confuso, repræsentet scientiam & obligationem illam inquirendi; adeo ut ex parte excitationis requisitæ ad voluntarium, nulla sit diversitas inter illam quæ voluntario directo, & illam quæ voluntario indirecto deservit. Tota autem discrepantia inter illa voluntaria desumitur non ab excitatione prævia, sed à diverso motu voluntatis: si enim voluntas ob pigritiam, vel attentionem ad alia, merè negligat quærere illud ad quod excitatur, ignorantia erit indirectè voluntaria; sed erit directè voluntaria, si voluntas motu peculiari contemnat scientiam, & positivè nolit scientiam investigare. Et sanè S. Thomas & Theologi 2. *parte* ubi agitur de voluntario, non in aliud rejiciunt voluntarium directum & indirectum, nisi in quod jam assignatum est. Errat proinde Celladeus, qui ex suo capite sufficere vult ad voluntarium indirectum, si illud

Ad mala contributa dum fiebat ignorantia indirecte voluntaria

si illud quomodocumque inducatur dependenter à nostris actibus, maximè si sint mali ac peccaminosi. Verùm hoc indubiè non sufficit ad voluntarium, quod ex omnium sensu, & ex ipsa ejus definitione, procedere debet à cognitione rei, quæ dicitur voluntaria. Ergò si aliqua ignorantia aliunde quàm à tali cognitione inducatur, illa naturalis erit, necessaria, ac inimputabilis; non autem humana, libera, aut ullatenus, etiam indirectè, voluntaria.

Tertia regula dignoscendi an ignorantia sit invincibilis.

28. Tertia regula dignoscendi, an ignorantia & error sit invincibilis, ac præcipuè intenta in hoc opere, est, quòd, in rebus inter Auctores Classicos controversis, verè incertis, atque hinc inde certò probabilibus, error & ignorantia censeri debeat invincibilis, si quis ex fundamento certò probabili non temerè sententiam ferat, aut conscientiam formet, quia in talibus veritas ita latet, ut certò sciri non possit. Ergò aliud ab homine exigi nequit, quàm ut non temerè, sed ex motivo certò probabili ac prudenti quæstionem determinet, quia plus facere non potest. Ergò si hoc præstando erret, error erit illi inimputabilis ac invincibilis. Præterea ex dictis constat, talia aut non prohiberi, aut non nisi lege dubiâ & non sufficienter promulgatâ vetari. Et consequenter constat, nullam dari legem obligantem ad tutiora sectanda, ideoque nos ad illa non obligari; ex quo iterum infertur errorem circa talia esse *invincibilem*, si fortè irrepat in hominem non temerè, sed ex motivo certò prudenti judicantem.

Quarta regula præcedèti affinis.

29. Quarta regula huic affinis est, quòd, in quibusvis rebus certò non determinabilibus, ea diligentia sufficiat, per quam homo pervenit ad certò probabilem ac verè prudentem casûs resolutionem, sive ipse per proprium studium, sive per meram peritorum responsionem judicium suum formet. Hæc regula parum differt à secunda, quam ex Suario recensuimus. Ratio est, quia ulterior obligatio esset inhumana, ac irrationabilis; exigeret enim plus ad veritatem investigandam, quàm conditio humana præstare posset. Præterea, quæcumque allata sunt ad probandum, usum opinionis probabilis esse licitum, ex æquo probant, ignorantiam & errorem, si fortè in tali casu interveniat, esse inimputabilem ac invincibilem.

Quinta regula.

30. Quinta regula. Cùm constet, non omnia præcepta æqualem diligentiam postulare; quæ enim sunt juris naturalis ac divini majorem sollicitudinem exigunt, quàm quæ solùm sunt juris humani. Similiter cùm constet, non omnes posse parem diligentiam adhibere, impossibile est, ut detur determinata taxatio diligentiæ, quæ in omni negotio, ac pro omnibus personis, necessaria sit atque sufficiens ut ignorantia evadat invincibilis. Itaque quantitas diligentiæ requisitæ præscribi debet juxta qualitatem rerum, præceptorum, negotiorum, officiorum, ac personarum, quæ sub considerationem veniunt. Inde apparebit, quòd quæ diligentia sufficit uni relatè ad unum negotium, non sufficiat eidem pro alio negotio, & multò minùs alteri capaciori in ordine ad ullum ex illis negotiis. Itaque nulla quantitas diligentiæ requisitæ, arithmeticè & absolutè eadem, statui potest pro necessaria ac sufficienti, sed tota res geometricè & relativè declaranda est in ordine ad res, personas, circumstantiasque intervenientes. In hoc sensu illa quantitas diligentiæ dicenda est sufficiens, quæ qualitati negotii, capacitati personæ, circumstantiisque intercurrentibus proportionatur. Omnis alia est insufficiens.

Non eadem diligètia respectu omnium sufficit.

31. Hæc regula genericè accepta haud dubiè legitima est; sed ut peculiaribus casibus deserviat, singula ponderanda sunt, ut statuatur quæ diligentia talibus personis, rebus, &c. proportionata sit. Nec aliud generaliter ac ultimatè dici potest, quàm quòd illa diligentia censenda sit dicta ratione proportionata, ac sufficiens, quam periti ac prudentes talem esse determinant. Quamvis enim generaliter dici possit, diligentiam hanc, [illius] ac personis proportionatam, non debere [esse] maximam, sed sufficere mediocrem, eò quòd satis sciamus, legem, quæ summam diligentiam, etiam rebus ac personis talibus convenientem, præscriberet, fore noxiam, & à communitate talium personarum moraliter inobservabilem, cùm à nemine per mediocrem diligentiam ac conatum servari posset. Nihilominùs quia particula illa mediocris non consistit in indivisibili, ideo pro ultima ac universali resolutione necessariò recurrendum est ad judicium prudentûm, ut illa demum diligentia censeatur sufficiens, quam prudentes ac periti post rem diligenter examinatam declarant esse sufficientem.

Ulteriùs explicatur regula quinta.

32. Nec obstat, quòd prudentes ac periti, quando venitur ad ultimum quod sic, seu ad infimum sufficientiæ gradum determinandum, nonnihil inter se discrepent, sibique aliquando contradicant, ideoque aliqui illorum in sua determinatione à vero aberrent; non, inquam, obstat, quia meliorem & prudentiorem regulam non habemus, ideoque tali resolutioni meritò stamus. Et sanè quamvis ille non excusaretur coram Deo, qui exercitè posuisset eam solùm diligentiam, quam falsa Doctorum opinio tradit esse sufficientem; nihilominùs ille idem postea excusaretur, si bona fide ac prudenti judicio talium virorum resolutioni staret, quia jam ex prævio prudenti ac rationabili judicio operationem suam dirigeret, quæ antea ex defectu talis judicii imputabilis fuerat.

33. Scio circa præsentem materiam plures regulas ex Auctoribus variis coacervari posse; sed quia istæ ad præsens intentum sufficiunt, solùm superest, ut quæ Celladeus in contrarium objecit, dissolvantur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objectio 1.

34. OBJICIT primò. Regula illa, quam de probabilibus attulimus, est prorsùs insufficiens, inquit Celladeus *hic §. 1.* ubi prætendit, se ejusdem insufficientiam tota prima parte efficaciter ostendisse. Hoc tamen ita limitat, ut dicat, veram probabilitatem includere ignorantiam invincibilem, & excusare; apparentem autem non sufficere, alioquin hæretici vincibiliter errantes excusarentur, quia feruntur in suas sectas tamquam in res, quas ad minimum probabiles reputant, immò eas certas esse existimant.

Confirmatio objectionis ex Corduba.

35. Post hæc proponit doctrinam Antonii de Cordubâ *lib. 2. de ignorantiâ quæst. 3.* ubi Corduba, post omnes obligatos ad probabilius tutius, mox subdit, *& in hoc Doctores omnes consentiunt.* Ita scripsit Corduba an. 1604. Ergò tunc omnes, aut certè plerique ita sentiebant. At jam opinio ista vix tolerabilis est, cùm omnes fermè jam dicant, neminem ad probabilius tutius obligari, sed unumquemque licitè sequi posse minùs probabile

habile minúsque tutum. Tum reprehendit Corduban, quòd dixerit, licitum esse sequi opinionem probabiliorem minùs tutam, ignorantiamque, si quæ subsit tali opinioni, eo ipso evadere invincibilem. Putat enim ex hoc ipso exemplo opinionis mutatæ oppositum rectè inferri. Sic enim arguit. Tempore Cordubæ omnes in eo consentiebant, quòd teneremur ad probabilius tutius. At jam vix est, qui quodammodò pro certo non teneat, quod non obligemur ad probabilius tutius. An ergò doctrina illa universalis, à quâ modus vivendi omnium fermè dependet, & veritas illa tam notoria, quam omnes tempore Cordubæ noverant & docebant, septuaginta annorum spatio reddita est ininvenibilis, & illius ignorantia facta est invincibilis? Minimè. Illa certè est invenibilis ut antè, & consequenter ignorantia per hoc genus probabilioritatis non redditur invincibilis. Ergò multò minùs id præstatur per probabilitatem minorem. Ergò tertia & quarta regula à nobis assignata non probant ignorantiam, si interveniat, esse invincibilem, sed illud aliundè probandum est, ex eo scilicet, quòd diligentia sufficiens adhibita fuerit vel omissa. Si diligentia sufficiens præcessit, excusatur qui falsum opinatur; secus non excusatur, sed peccat, qui opinionem falsam sequitur, non quidem scienter & contra conscientiam, sed ignoranter operando juxta conscientiam vincibiliter constitutam.

36. Demum illud demonstrat, ignorantias vincibiles & invincibiles discerni non posse per hanc viam probabilitatis, quod nullus privatus Doctor, aut Doctorum multitudo, saltem ubi alii etiam pauciores contradicunt, sit regula certa fidei & morum, sive quoad inducendam honestatem in opus, sive quoad exclusionem peccati ex opere. Hoc enim solius Ecclesiæ, ejusque Capitis privilegium est. Maximis quidem Doctoribus dandum est, quod rarò & ferè numquam errent. Cæteris ne hoc quidem. Aliis verò, qui habent alios sibi contradicentes numero & qualitate pares, nil prorsùs tribuendum est, quia non magis illis convenit non errare, quàm errare. Ergò nullus est privatus Doctor, cujus resolutionem sequentes peccare non possimus. Ergò per hanc viam non habetur invincibilitas ignorantiæ, alioquin haberetur non peccare, quod non habetur. Ita Celladeus §. 1.

Responsio. 37. Respondeo, omnia à Celladeo objecta contra licitum probabilium usum jam examinata fuisse, & inventa non solùm invalida ad expugnandam benignam sententiam, sed plurima eandem validè confirmare. Cæterùm approbo quod dicit, probabilitatem non meræ apparentem, sed veram, si fortè erretur, includere aut supponere ignorantiam invincibilem, quia nos etiam ignorantiam invincibilem non omni probabilitati apparenti, sed solùm probabilitati veræ certò cognitæ tribuimus, ut sæpe dictum est. Cæterùm Celladeus in hoc ipso sibi contradicit, quia ille vult nullam esse probabilitatem veram ac realem, quæ cum veritate non connectatur. Hoc autem admisso, impossibile est, ut veritas ignoretur ab eo, qui eam probabiliter affirmat. Ergò in sententia Celladei ignorantia veritatis & realis probabilitatis de veritate conjungi non possunt. Ergò sibi contradicit, dum hîc admittit ignorantiam invincibilem conjungi posse cum probabilitate vera, non cum ficta & apparente, cùm in principiis illius conjunctio ignorantiæ cum probabilitate vera sit impossibilis, conjunctio verò ignorantiæ invincibilis cum probabilitate solùm apparente totiès locum habeat, quoties sufficiens diligentia præmissa fuit.

Celladeus sibi contrarius.

38. Quod Corduba dicit, probabilius tutius esse tenendum, & in eo omnes Doctores consentire, benignæ sententiæ non repugnat; nam ille loquitur de totâ apparentiâ, quam homo operaturus habet; illa autem debet esse probabilior, ut excusetur, juxta omnium sententiam. Nam si in directa tantùm rei consideratione maneamus, utique nemini licet sequi nisi quod illi directè probabilius ac simpliciter verum apparet. Similiter si loquamur in sensu reflexo de objecto directè minùs probabili, eodem modo discurrimus; nemini enim licet illud ponere, nisi idipsum, vi rationum reflexarum & probabilius ipsi appareat, & absolutè credatur licitum. Nec Corduba quidquam contra hoc, id est, contra benignam sententiam, in tota sua latitudine sumptam, insinuat. Respondeo ad Cordubam. Quo sensu cuique liceat quod probabilius.

39. Itaque nec Corduba nobis contrariatur, nec ulla à tempore ipsius facta est variatio circa substantiam benignæ sententiæ. Sicut enim tunc omnes dicebant probabilius tutius esse tenendum, sic nunc etiam omnes idem dicimus, si sermo sit de totâ & ultimatâ apparentiâ, quâ homo dirigitur ad operandum. At de illâ tantùm apparentiâ loquutus est Corduba, quia loqui de aliâ non erat ad rem; sicut de facto non esset ad rem si nos de alia loqueremur, quia hæc sola est probabilitas practica proximè deservieus ad regulandam operationem, ut patet. Ergò in doctrina illa universali, à quo modus vivendi omnium fermè dependet, nulla facta est variatio, nisi quam Celladeus, & alii pauculi introducere conantur. Confirmatur Doctrina. Secus non excusatur qui sequitur probabile minus tutum. Gratia sufficiens.

40. Sed quamvis ingens illa mutatio, quam Celladeus falsò imaginatur, introducta fuisset, non inde sequeretur ignorantiam invincibilem non comitari opinionem probabilem, si fortè à vero aberret. Stante enim hypothesi, nemo dicit veritatem illam esse jam ininvenibilem, sed solùm invincibiliter ignorari ab iis, qui post diligens studium, rationibus certò probabilibus ac prævalentibus moti, arbitrantur se veritatem tenere, cùm decipiantur & errent. In eo vertitur æquivocatio Celladei, quòd universim confundat invincibilitatem doctrinæ cum ejusdem ininvenibilitate, cùm inter illas ingens sit disparitas. Aliquæ veritates sunt certò invenibiles per diligentiam debitam, & de talibus verum est, quòd vincibilitas & invenibilitas illis ex æquo conveniat. Aliæ sunt doctrinæ, quarum veritas inveniri quidem potest, & semper invenitur ab altero eorum, qui contradictoria circa quæstionem illam docent. Verùm neuter certus est, se veritatem invenisse; sed uterque æquè magnis fundamentis ductus arbitratur, se veritatem tenere, & adversarium errare. Hæc invenibilitas non tollit invincibilitatem ab eo, qui post diligens studium per accidens errat, & non invenit veritatem realem, quam quærebat. Ratio est, quia hic homo, quamvis erret, ita se habet circa veritatem, quantum ad omnem apparentiam & certitudinem veritatis adeptæ, sicut alter; adeo ut nemo dicere possit, hic homo certò errat, hic certò verum dicit; sed, qui reflectit super utriusque conatum & motivum, dicere debet, uterque parem habet rationem existimandi, se veritatem attigisse. Uterque ex æquo veritatem apparenter tenet. Qui realem veritatem assecutus est, non est certior de tali inventione, quàm alter Aliud est veritatem aliquam ita se habere, ut nemo debeat non invincibiliter ignorare.

alter qui errat, nec majori fundamento dicere potest se illam attigisse, quàm alter. Uterque enim sectatur, quòd sibi rationabilius apparet. Cùm ergò uterque parem diligentiam adhibuisse supponatur, non inventio veritatis in errante est manifestè inimputabilis, & consequenter ignorantia veritatis illius est invincibilis. Nec mirum, quia nemo taliter judicat, qui debitam diligentiam non præmisit. At illa, Celladeo fatente, infallibiliter secum affert invincibilitatem.

Prætensæ Celladei demonstrationi supra satisfactū est.

41. Demum, quòd certa probabilitas in rebus verè incertis sit sufficiens discerniculum ignorantiæ invincibilis, quódque, qui certò probabiliter judicat aliquid esse licitum, non peccet illud ponendo, quamvis præter intentionem erret, nullatenus improbatur per prætensam Celladei demonstrationem. Ego *quæst. 14.* ex professo examinavi prætensam hanc Celladei demonstrationem, ibique ejusdem in omnibus nullitatem demonstravi; in aliis etiam quæstionibus dirui quæ hîc insinuat de Doctoribus, qui non frequentiùs errant quàm non errant, &c. Ergò sicut ille nil hîc peculiare objecit, quod antea non objecerat, sic nec ego aliâ responsione egeo, quàm quæ istiusmodi argumentis alibi data fuit.

Ignorantia vincibilis vel invincibilis ex eo dicenda quod debita diligentia posita vel prætermissa fuit.

42. Objicit secundò. Ignorantiam esse vincibilem aut invincibilem ex eō dependet, quòd debita diligentia posita fuerit, vel omissa. Vincibilis enim ignorantia definitur esse *ignorantia eorum, quæ scire tenemur*, id est, eorum, quæ debitam diligentiam faciendo scire possumus; quin etiam sciviſſemus. Doctrina hæc conformis est Augustino dicenti, *Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, &c.* Similiter concordat *cum cap. si culpa, de injuriis*, ubi dicitur; *Et quam debueras, non curasti diligentiam adhibere.* Eandem doctrinam Suarez vocat regulam certam. Hinc statim infertur, quantitatem diligentiæ debitæ non posse directè determinari; quia nemo potest exactè scire, quæ præcisè diligentia sit sufficiens. Porrò hoc locum habet non solùm in discentibus, sed etiam in ipsis Doctoribus, de quibus certum non est, quòd debitos libros evolverint, quòd debitum tempus impenderint, quòd debita intentione, conscientiæque munditie rem examinaverint; hæc tamen omnia præstanda sunt, ut debita diligentia habeatur.

43. Hanc diligentiæ debitæ incertitudinem ac indeterminabilitatem illud inprimis confirmat, quòd hac ratione benè cohæreant spei timorisque præcepta, cùm nemini constare possit, se debitam diligentiam adhibuisse, atque ideo nemo sciat an amore vel odio dignus sit. Praxis etiam & voces Sanctorum idipsum confirmant. Illi cum timore ac tremore suam salutem operabantur; eorum voces sunt. Ab occultis meis munda me. Ignorantias meas ne memineris. Et S. Paulus, etsi diligentissimus, de se dicebat. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est.* Licèt enim Sancti nullum peccatum scienter admittere soleant, occulta tamen cordis sui semper timuerunt. Sciebant se Deo diligenter insetvire, sed an satis agerent, hoc ignorabant. Hæc probant quantitatem diligentiæ determinari non posse. Ita Celladeus §. secundo, ubi addit, idem ex eo etiam probari, quòd *quæst. 11.* tradidit, scilicet ignorantiam fieri indirectè voluntariam ob alia peccata, in quorum pœnam Deus hebetudinem mentis, aut etiam cæcitatem incurri permittit, majorem vel minorem; sed quantam pro quot & qualibus peccatis Deus permittat, nemo rationabiliter determinare potest. Scimus quidem conscientiam mundandam, quia corde immundi facilè circa mores errant; sed quantum faciendum sit, quis novit? Hanc diligentiæ debitæ indeterminabilitatem plerique etiam Auctores fassi sunt, dum rem à se indeterminabilem judicio prudentûm determinandam relinquunt. Hæc ille.

Quo sensu ignorantia vincibilis sit eorum quæ scire tenemur?

44. Respondeo, ignorantiam vincibilem esse quidem eorum quæ per se loquendo scire tenemur, sed hoc non obstante, multis de causis fieri posse, ut eadem invincibiliter ignorentur, eò quòd ob naturalem advertentiæ defectum, vel alias ob causas ignorantia illa hîc & nunc per debitam diligentiam removeri non possit, ut paulò antè ex Suario ostensum est. Porrò in istis casibus hîc & nunc non tenemur illa particulariter scire, quia teneremur ad impossibile. Per se tamen, ac simpliciter, tenemur ea scire, quia per se spectant ad officium nostrum, & à multis sciri possunt & sciuntur, quamvis per accidens à me post magnam & plus quàm debitam diligentiam hîc & nunc ignorentur, & consequenter invincibiliter lateant. Itaque ignorantia vincibilis non ita crudè definitur *ignorantia eorum quæ scire tenemur*, cùm certum sit nos invincibiliter ignorare multa, quæ tamen simpliciter scire tenemur. Itaque ignorantia vincibilis est, eorum quæ tenemur & possumus scire per diligentiam debitam. Jam aliquando contingit, quod per talem diligentiam non possimus ea scire, quæ tamen vi statûs aut officii simpliciter scire tenemur. Hoc præmisso, ne Lector ex universali illa Celladei locutione errorem incurrat,

Respõsio 2.

45. Respondeo secundò, omnia ista rectè quidem probare, quantitatem diligentiæ necessariæ ac requisitæ ut debitum quærendi impleviſse censeamur, non posse certò determinari in particulari, quod ultrò admittimus; sed quia proponuntur, ac si Auctor probare intenderet, nos numquam scire posse, etiam post diligentiam maximam, quod debitum impleverimus, ideo admitti nec possunt nec debent. Certùm enim est tam idiotam, quàm Doctorem scire posse, se debitam diligentiam adhibuisse; ille quidem complures summos Doctores consulendo, iste complures libros præcipuos evolvendo, &c. Cùm enim constet, summam diligentiam non esse præceptam, sequitur utique aliam quàm mediocrem sub præcepto cadere non posse. Hanc autem se certò adhibuisse scire potest tam Doctor quàm idiota, ut patet. Nec obstat, quòd cura mundandæ conscientiæ, recta intentio, ac etiam oratio ad debitam diligentiam requiri dicatur; scitur enim ista non nisi in gradu mediocri cadere sub præceptum. At tam docti quàm indocti certificari possunt, se in istis mediocrem saltem diligentiam adhibuisse. Ergò in multis casibus scire possunt, se debitam diligentiam adhibuisse, & consequenter se invincibiliter ignorare & errare, si fortè errent.

Quomodo dignosci possit an debita diligentia sit adhibita.

46. Jam voces illæ Sanctorum, eorumque incertitudo de sua justificatione, sicut præcepta spei ac timoris locum habent, quamvis pro multis casibus scire possimus, talem determinatam diligentiam esse sufficientem; immò eadem locum haberent, quamvis sciremus ultimam ac determinatam quantitatem diligentiæ præcisè sufficientis ac necessariæ; adhuc enim multis de causis incerti essemus de statu nostro, ut alibi ostensum

sum est. Præterea non semper scire possemus, nos illam diligentiæ mensuram exactè impleviſſe, ideoque ex hoc etiam capite incertitudo superesset, præceptaque spei ac timoris locum haberent, omnesque innumeris de causis teneremur cum timore ac tremore, cum spe ac metu, salutem nostram operari. Itaque non apparet, cur hæc ad præsens intentum allata fuerint, cùm constet, ea vel nullam vel exiguam vim habere ad quidquam pro alterutrâ parte determinandum; siquidem veritas præsens ab illorum veritate non dependet, nec è contra, ut dictum est. Jam quòd Sancti dicantur sciviſſe, se Deo diligenter inservire, sed nesciviſſe an satis agerent, nil facit ad præsentem quæstionem de peccatis ignorantiæ, quia id ex æquo locum habet in patentibus, quia de illis formidabant. Cæterùm sicut certò sciebant, se Deo diligenter inservire, sic etiam per hoc ipsum sciebant se vincibiliter non ignorare pleraque ad suum statum pertinentia, quia hoc secundum consectarium est ad primum; neque enim fieri potest, ut Sanctus homo, qui maximo nisu ad perfectionem properat, hæc vincibiliter ignoret, cùm præceptum ignorantiæ vitandæ ne quidem tantam diligentiam postulet.

Argumenta Celladei à præsenti instituto aliena sunt.

47. Formidabant quidem Sancti, an satis agerent ad correspondendum suæ vocationi, immò sciebant se quotidiè in multis deficere, & sic timebant ne culpâ suâ in deterius abirent, ac tandem perirent; sed communiter non formidabant, se culpabiliter nescire ea, ad quæ scienda strictè tenebantur, saltem loquendo de præceptis communibus, quorum observatio ad omnes suæ professionis ex æquo pertinebant; neque enim vitæ eorum communiter exprimunt talem metum. Nec mirum, quia diligentia illorum erat abundè sufficiens aut ad talia scienda, aut ad vincibilitatem à suâ ignorantiâ, si quæ erat, repellendam. Nihilominùs in aliquibus factis, ut in tentationibus repellendis, formidare poterant, an debitam diligentiam adhibuiſſent, sicut fortè etiam in aliquibus punctis juris privati, quo Deus singulariter ab eis aliqua exigebat, quia de talibus nulla datur regula certa pro omnibus, ideoque difficiliùs sciri potest, quæ diligentia requiratur, & sufficiat. Argumentum ergò æquivocum est, & confundit sollicitudinem ac timorem Sanctorum tam de præsenti, quàm de futuro statu ipsorum, aliisque annexis, quæ, si omissa, esse poterant remota saltem occasio ruinæ, quamvis ad illa strictè non tenerentur, cum timore peccati ignorantiæ, quòd ab insufficienti eorum diligentiâ ad illud arcendum ortum habuit. Verùm hæc duo plurimùm distant, nam primum universaliter verum est, secundum autem in plerisque saltem est falsum, quia sicut constat nobis, eos diligentiam ad talia peccata vitanda sufficientem adhibuiſſe, ita non est, cur id ipsum illis sufficienter constare non potuerit. Nec dubium, quin in plurimis ac fermè in omnibus id ipsis certò constiterit.

Qualis sit formidosa Sanctorum, de qua suprà Celladeus in objectione.

Æquivocatio Celladei detegitur.

48. Quæ adjunguntur de hebetudine ac cæcitate mentis ob peccata inflictâ, fusè examinata & confutata sunt in superioribus, ex quibus non modò non improbantur, sed validiſſimè confirmantur, quæ hîc statuta sunt de quantitate diligentiæ debitæ, ut ignorantia sit & habeatur invincibilis. Doctrinæ enim ibi traditæ regulas à nobis hîc propositas confirmant, ut constabit illi, qui & illa relegerit, & ad præsentem quæstionem applicuerit.

49. Ultimum, quod dicit Celladeus, scilicet Auctores plerosque hanc indeterminabilitatem fassos esse, dum eam à se indeterminabilem prudentiùm judicio determinandam relinquunt, est error nimis patens. Certè Auctores illi regulas Celladeus proposuerunt, per quas scire possumus an ignorantia sit invincibilis, & Celladeus eas impugnavit. Quid dicis Celladee? éstne hoc Auctores fateri quæstionem esse à se indeterminabilem, quando ipsam datis regulis expressè determinant? Si tecum senserunt eam esse indeterminabilem, cur eos tam operosè impugnasti. At, inquies, pro multis casibus remittunt ad prudentes, eosque non rarò minùs peritos quàm ipsi. Quid tum? Hoc est solvere quæstionem, non illam indecisam relinquere. Casus particulares sunt innumeri, pro quibus una eademque taxatio diligentiæ præscribi nequit. Illos ergò simul solvere nemo potest; sed singuli seorsim sunt solvendi. Nec ullus eorum est, quem Doctores illi probabiliter solvere non potuiſſent, si fuiſſet illis propositus. Sed cùm omnes in particulari proponi non possint, dant regulam generalem, & dicunt, eam diligentiam in quavis materia & casu particulari reputari debere sufficientem, quam prudentes ac periti talem esse determinant. Hac ratione regulam proponunt, & quæstionem solvunt, nec eam indecisam relinquunt, ut patet.

Objectio petita à diversitate de diligentia requisita.

50. Objicitur tertiò. Omnes scimus, diligentiam adhibendam esse ad resistendum tentationibus ingruentibus: sed quanta sit necessaria, quis determinare potest? Omnes fermè dubii de hoc sunt, quia omnes de istis se accusant, & Confessarius ipse sæpe de eisdem etiam dubius hæret. Eadem difficultas invenitur in omnibus quæstionibus, in quibus per exigua incrementa à parvo ad magnum ascenditur, quia medium & transitus discerni ac determinari nequit. Hoc videre est in materia furti, ac jejunii, aliisque similibus, sicut etiam in exercitio fidei ac charitatis; tenemur enim virtutes illas exercere, sed quando, sed quoties, præcisè nemo determinare potest. At eadem est ratio de quantitate diligentiæ debitæ pro sciendâ veritate. Ergò illa sciri ac determinari non potest. Ita Celladeus §. 3.

51. Respondeo, hæc ritè probare assertiones à nobis positas, sed validè improbare intentum Celladei. Nam quamvis aliquando dubitemus an diligentiam sufficientem ad resistendum tentationi adhibuerimus, scilicet quando aurem illi quodammodo præbemus, delectationem aliquam percipimus, & motum quendam ad assentiendum sentimus, &c. Viri tamen diligentes in plerisque rectè norunt se diligentiam sufficientem adhibuiſſe ad vitandum peccatum mortale. Et quoties similem diligentiam adhibent certi sunt se graviter non peccasse. Ergò tales & pro se, & pro aliis magna ex parte taxare possunt diligentiam debitam, ac dicere, talem ac tantam ad vitandum peccatum mortale arcendum sufficere. Ecce argumentum ab hoc exemplo adductum nostras confirmat assertiones, totumque Celladei intentum evertit.

Viri diligentes in plerisque rectè norunt se diligentiam sufficientem adhibuiſſe ad vitandum peccatum mortale.

52. Est quidem similis difficultas taxandi minimum quod sic in casibus allatis, & ideo illa rarò aut numquam certò determinari potest. Sed hoc non impedit, quò minùs transitus ille probabiliter resolvi possit. Ad hoc autem talis resolutio juvat, quòd qui illam bona fide & ex motivo certò probabili sequitur, excusetur, si fortè erret, quia in tali re fecit quod potuit & debuit, ut veritatem inveniret, eamque tandem optimo quo

potuit

potuit modo invênit, & juxta illam sic inventam operationem suam instituit. In Gli autem casu constat, bonam fidem, & conscientiam excusare, quia veritas ipsa, si circa illam erretur, etiam Celladeo id fatente & ex professo idipsum probante, in omni istiusmodi casu insuperabiliter ac invincibiliter latet.

53. Hinc tamen non sequitur, Sanctos ac diligentes non rectè se accusare de negligentia in repellendis tentationibus; quia quamvis in multis non habeant de quo se accusent, in magna tamen operationum multitudine difficile est peccatum veniale non intervenire. De culpis ergò venialibus, si quæ irrepserint, quæque haud dubiè frequenter irrepunt, se meritò accusant.

Celladei contradictio.

54. His ad objectionem dictis, solùm superest, ut Celladei contradictiones hîc elucentes omnibus aperiamus. Una ex potissimis ejus doctrinis, quam ubique fermè aut obtrudit aut supponit, est, nullam dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, aut etiam divini positivi; eamque valdè rarò reperiri in jure humano. At hîc non solùm in jure humano, sed etiam in jure divino tam positivo quàm naturali, non solùm admittit ignorantiam invincibilem; sed ex professo probat, veritatem ipsam esse absolutè à nobis ininvenibilem, & quidem in omni præcepto ac casu, quando versamur inter parvum & magnum, inter rarò & sæpè. At hoc frequentissimè, intervenit, idque non in uno vel altero, sed in omnibus fermè præceptis. Ergò ignorantia omnis juris est per ipsum valde frequenter invincibilis. Ergò etiam in præcipuis rebus, quas maximè ex professo tradit, apertè sibi contradicit.

Alia Celladei contradictio.

55. Præterea harum rerum ignorantiam ideo hîc exaggerat, ut ex illa probet, nos ignoranter peccare, etiam quando nulla peccati suspicio animo obversatur. Ex una ergò parte ex professo probat, talem ignorantiam esse prorsùs insuperabilem, quod idem prorsùs est ac eam esse invincibilem. Et ex alia contendit, opera ex tali ignorantia profecta esse verè peccaminosa, nobisque ad peculiarem culpam ac pœnam imputari. Ergo dupliciter sibi contradicit; primò, supponendo ignorantiam esse vincibilem & imputabilem, quam ex professo probat esse insuperabilem ac invincibilem. Secundò, contendendo opera ex hac ignorantia insuperabili facta esse peccata, cùm tamen ubique, etiam ex professo, tradat, ignorantiam invincibilem omnem peccati malitiam prorsùs excludere.

Objectio petita à paritate inter diligentiam in humanis adhibitam, & in divinis præceptis adhibendâ.

56. Objicit quartò. Omnes magnâ diligentiâ rebus humanis studemus. Quis ergò dicere potest Deum à nobis parem aut etiam majorem diligentiam pro lege sua scienda & implenda non exigere? Certè S. Paulus *ad Rom. 6.* tantam diligentiam pro spiritualibus requirere videtur, quantam homines pro temporalibus immò pro illicitis tribuere solent. *Humanum dico propter infirmitatem vestram; sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in Sanctificationem.* Christus ipse adhuc significantiùs loquitur. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Nónne hinc apparet, tantam diligentiam requiri pro vita æterna & mediis ad illam consequendam, quantam homines rebus perituris, immò & peccaminosis procurandis, adhibent? Jam si quis ex his principiis taxare velit diligentiam debitam, inveniet plerosque à mensura deficere.

Urgetur à paritate diligentiæ quam Matres adhibêt in filiis curandis.

57. Assumat quis tanto studio curandam esse animam, quanto matres curant filios, quos diligunt. Quis taxationem hanc nimiam esse cum fundamento dixerit? Cardinalis Pallavicinus *tom. de Act. hum.* hoc pacto taxasse videtur diligentiam pro veritate scienda. Rem exponit exemplo Patris absentis, sed solliciti de valetudine filii graviter ægrotantis. Rescire potest hic pater multis viis salutem filii. Primò ex rumore incerto; secundò ex dicto extranei, quem vix novit; tertiò ex relatione personæ notæ, sed cui parum fidei tribuit, vel quia novit eum solere sine fundamento sufficienti alios consolari, vel quia dubitat, an ille statum filii sufficienter nôrit, &c. Demum accipit nuncium talem, ut prorsùs quiescat cura paterna, quæ per priores relationes quiescere non poterat. Jam quando hoc postremo modo res animæ tuæ novisti, quiescere potes, & error, si irrepat, erit invincibilis. Extraneus certè, qui ægrotum non diligeret, nullo negotio primo rumori fidem daret, & sic facilè falleretur, & erraret, sed error ille ex defectu amoris & curæ proveniret. At error in casu nostro ex defectu amoris & curæ causatus non excusat. Certè multis opinionibus, multisque hominibus circa res animæ fidimus, in quibus pater ille, de filii incolumitate solicitus, non quiesceret. Ergò si in illis quiescamus, id oritur ex defectu amoris & curæ. Ergò ex defectu diligentiæ. Ergò si erremus, error erit imputabilis.

Alia paritas.

58. Cæterùm quamvis diligentia debita dicatur debere esse similis illi, quam matres habent erga filios dilectos, nil adhuc determinatè dicitur, in quo quiescere possimus, quia & Matres ipsæ inæqualiter filios diligunt. Aliæ segnes sunt, aliæ nimiæ. Aliæ mediam viam incedunt, sed inæqualiter sollicitæ sunt, quia inæqualiter diligunt; justus enim amor filiorum non consistit in indivisibili. At quis gradum infimum aut supremum absolutè determinare poterit? Nemo fundatè, ut meritò quiescat intellectus.

59. Addi possunt exempla alia, nempe avarorum, & eorum qui turpes amores sectantur. Quanta horum cura, ut ad præfixum finem pertingant? Anne minor diligentia à nobis exigitur, ut Dei legem sciamus, & impleamus?

Idipsum aliis exēplis urgetur: item ex S. Scriptura.

60. Quod si hæc cura dicatur nimia & exorbitans, dicamus, tantam à nobis ad scienda Dei mandata diligentiam requiri, quantam boni Mercatores, boni judices, boni Magistri, boni discipuli ad res suas procurandas adhibent. Jam horum diligentia non est par. Quis autem statuere poterit, quænam præcisè sit necessaria? Hoc solùm fundatè dici potest, nos in lege Dei scienda implendaque diligentissimos esse oportere. Certè Sacra Scriptura ad tantam nos cogit diligentiam, quantam ille adhibuit, cui dicere licuit. *Quomodò dilexi legem tuam? Tota die meditatio mea est.* Inde prudens factus est, & super docentes se, ac etiam super senes intellexit, quia mandata quæsivit. *Eccli. 6. Fili, à juventute tua excipe doctrinam, & usque ad canos invenies sapientiam. Quasi is qui arat, & qui seminat, accede ad eam, & sustine bonos fructus illius, &c.* Ecce magnâ diligentiâ incumbendum est, ut Dei lex sciatur: sed quanta illa? Hoc nescitur. Labor rusticorum, mercatorum diligentia, Matrum cura ac sollicitudo speciem quandam præ se ferunt; sed, an illa sit sufficiens, aut an major diligentia pro scienda Dei lege requiratur, incertum. Ita Celladeus §. 4.

61. Respon-

61. Respondeo, hæc omnia aptè afferri, ut stimulemur ad legem Dei diligentissimè quærendam & implendam, quia hoc omnium negotiorum maximum est, & cætera comparatione istius nullius sunt momenti. Sed hoc non quæritur in præsenti: sermo enim non est de diligentia, quæ ex consilio proponitur, sed de diligentia, quæ præcipitur, & quæ si omittatur, peculiare peccatum incurritur; quod certè non incurritur, quando diligentia ex consilio tantùm proposita omittitur, quamvis talis omissio aliquando per accidens sit occasio alicujus peccati, quòd patratum non fuisset, si talis diligentia præmissa fuisset. Hoc totum evidenter apparet in diligentia servandi præcepta Dei jam nota. Ut quis castè vivat, aut ut alia Dei præcepta custodiat, strictè solùm obligatur vitare proximam occasionem violandi legem, adeo ut, si in talem occasionem se conjiciat, per hoc ipsum peccet peccato peculiari contra diligentiam debitam, quamvis per accidens impediatur, quò minùs peccatum, in cujus occasionem proximam se injecerat, non committatur. In aliis casibus, peccat quidem, si labatur, sed peccato contra illud præceptum, non peccato peculiari contra diligentiam procurandi vitam æternam.

Alia diligentia est consilii, alia de præcepto.

62. Jam si quis afferret istas ponderationes, ad probandum, diligentiam pro lege Dei implenda debere esse maximam, & consequenter nil omittendum, quo observatio legis certiùs impleatur. Is dicet, omnes debere oculos demissos tenere, nec eos in alios, maximè sexûs diversi, conjicere; omnes, quantum possunt, debere se domi tenere, Deique legem meditari, ac summum momentum illius implendæ ante oculos habere: omnes debere jugi æternitatis meditationi incumbere, continuisque precibus, jejuniis, & mortificationibus se totos dedere, ut legem Dei custodiant. Addet, Sacram Scripturam, Sanctorumque exempla, ad istam diligentiam nos provocare. Is quidem boni consultoris partes ageret, quia hæc & plura ex consilio facienda sunt, ut salutem æternam in tuto ponamus. Sed si prætenderet, hæc omnia ex præcepto deberi, neminemque quidquam eorum sine peculiari negligentiæ peccato omittere, haud dubiè imperitum Theologum, & pessimum legis interpretem ageret. Constat siquidem communitatem fidelium talis præcepti incapacem esse, legemque, quæ omnia perfectissima præscriberet, fore pessimam, cùm continui peccati causa existeret.

Celladeus obtrudit cõsilia tanquam præcepta.

63. Hinc sic arguo: sicut constat, extraordinariam istam diligentiam non requiri ex præcepto, ut lex Dei scita integrè custodiatur, quamvis illa ad eam servandam maximè conducat, immò quamvis multi ob defectum hujus diligentiæ eam sæpe prævaricentur; ita pariter constat, diligentiam tantam ex præcepto non requiri ad legem Dei sciendam, nec aliam quàm mediocrem universaliter cadere posse sub præcepto, quia si major ex præcepto esset necessaria, lex illam præscribens esset noxia, nec à Communitate fidelium moraliter ferri posset. Præterea, nónne absurdissimum est dicere, neminem ex iis, qui mediocrem ad legem Dei sciendam, omniaque ejus præcepta per talem diligentiam cognita integrè servanda, conatum adhibent, atque illa de facto integrè custodiunt; neminem, inquam, illorum ex defectu diligentiæ debitæ legem custodire, sed omnes tales in continuo peccati ac damnationis statu versari. At ex præscripto Celladei omnes tales in statu peccati versantur, quia nemo illorum adhibet diligentiam, quam ille stricte præceptam ac necessariam esse præscribit. Jam certò constat, plurimos ex omni hominum genere reperiri, qui per mediocrem illam diligentiam præcepta integrè custodiunt, nec tamen totâ die meditãtur legem Dei, aut instar arantis & seminantis laborant, ut præcepta custodiant, &c. Constat ergò Celladeum errare, dum dicit, *Sacram Scripturam ad tantam nos diligentiam cogere, quantam ille adhibuit, cui dicere licuit: Quomodo dilexi legem tuam? totâ die meditatio mea est, &c.* Ex Sacra Scriptura constat quidem, nos diligentissimos esse debere, ut salutem in tuto ponamus, sed ex Sacra Scriptura non constat, diligentiam Lex Dei ex peculiari præcepto adhibendam esse debere summam; immò oppositum constat, cùm lex Dei sit facilis, & mandata ejus gravia non sint, sed à mediocriter conantibus custodiri possint. Essent autem moraliter inobservabilia, si diligentia illa summa ex præcepto necessaria esset.

Lex nimiã præcipiens diligẽtiam noxia esset.

64. His in genere dictis, per quæ argumentum planè dissolvitur, aliquid ad singula capita adjungam, ut in omnibus Lectori plenè satisfaciam. Inprimis ergò, dictum illud Salvatoris, *Quid prodest homini, &c.* sicut & illud Pauli, *Humanum dico. &c.* rectè probant obligationem servandi legem Dei esse maximam, omnibus rebus præponi debere; item probant, magnam diligentiam adhibendam esse ad sciendam & servandam Dei legem; sed an ea ex consilio vel ex præcepto adhibenda sit, nullatenus determinant. Cæterùm ego existimo, omnes, qui mediocrem animæ curam gerunt, per quam à peccatis gravibus se continent, omnibus pensatis, longè majorem diligentiam adhibere pro æternis, quam pro temporalibus. Ratio est, quia omnes isti concupiscentias suas crucifixerunt, & in continuo bello spirituali, in quo caro semper concupiscit adversus animam, superiores evaserunt. Præterea temporalia omnia præ æternis contemnunt, atque omnem temporalem sollicitudinem æternis bonis acquirendis subordinant, quatenus per rectam intentionem ad finem ultimum obtinendum illam ordinant. At nemo ex talibus tantum facit pro temporalibus. Immò mediocris hæc proborum cura matrum diligentiam non modò æmulatur, sed superat, quia spiritualium procuratio fit, renitente naturâ, & contra varias tentationes, quibus ad procuranda naturæ commoda etsi prohibita provocamur. At cura matrum est juxta naturæ impellentis stimulum, & propterea minoris laboris opus est, quàm mediocris æternorum amor & procuratio.

Singula objectionum partibus & tutò.

65. Jam in taxanda magnitudine laboris ac diligentiæ, non solùm attendendum ad res quæ fiunt, sed etiam ad modum quo fiunt: si enim res sint secundùm genium ac instinctum naturæ, illæ absque magno labore ac difficultate, & quodammodo sponte fiunt. At si ea facienda sint, contra quæ natura reluctatur, continua violentia ad ea perficienda requiritur. Unde fieri poterit, ut majori labore ac diligentia opus sit ad pauciora & minora istiusmodi prælianda, quàm ad plura & majora prioris generis perficienda. Et sanè hic est casus noster, ut patet. Unde infero mediocrem æternorum diligentiam verè esse majorem diligentiâ, quâ probi temporalibus attendunt, & quam matres ipsæ erga filios exhibent, quamvis in teneritudine ac promptitudine animi, sicut & in majori temporis continuatione & frequentiori operum repetitione cura matrum & aliorum excedat diligentiam, quam probi

Mediocris æternorum diligentia major diligentia matrum & aliorum.

probi ad æterna procuranda communiter adhibent. Verùm Celladeus hæc confundit, & quia excessum magnum ex ista parte latentem vidit, putavit curas ac diligentias istas esse incomparabiliter majores illis, quas mediocriter boni pro æternis acquirendis adhibent. Sed in omnibus fallitur.

66. Ad exemplum patris de filii sanitate solliciti, fateor nos aliquando doctoribus & opinionibus fidem dare in rebus ad animam spectantibus propter motivum minus illo, in quo solicitudo paterna quiescit. Ratio est, quia solicitudo paterna ob priora testimonia non quiescit, quia scit se posse habere certiorem informationem, eamque expectat, & propterea, donec ista venerit, non quiescit. Præterea finis, quem intendit, est sanitas filii, de qua certificari non potest, nisi per attestationem moraliter certam. Non ergò quiescit, donec talem informationem accepit. At nos opinioni Doctorum minùs certæ oppositis de causis acquiescimus. In primis meliorem ac certiorem sperare non possumus: à quo enim illam accipiemus? Deinde sine certiore illa cognitione finem nostrum adipiscimur; quia scimus talem persuasionem, utpote optimam quam habere possumus, sufficere ad peccatum arcendum, & honestè operandum, qui est finis, quem respicimus.

Disparitas prima inter casum nostrũ & Celladei exemplum de patre respectu filii.

67. Et hoc quidem verum est, si sermo sit de opinione directâ, quam de rebus ipsis secundùm se formamus; nam si loquamur de benignâ sententiâ, & de motivis, ob quæ judicamus talia, omnibus inspectis, esse licita, longè majus fundamentum habemus ad quiescendum in illa opinione, quàm pater ille habet ob nuncium, in cujus verbo solicitudo de filio quiescit. Et propterea ex concessis à Celladeo inferimus, nos in illa prudenter quiescere, & errorem, si quis irrepat, esse invincibilem. Verùm invincibilis etiam est error in primo casu, quia homo fecit optimum, quod potuit ac debuit, ut veritatem inveniret. Ergò cùm ex motivo certò prudenti credit se eam invenisse, error, si fortè irrepserit, ei imputari non potest.

Disparitas 2.

68. Ad ultimum, fateor diligentiam sufficientem adhibendam esse, nosque directè & absolutè non posse certò determinare, quænam sit diligentia præcisè sufficiens ac necessaria, quia transitus à magno ad parvum non est certò discernibilis à nobis. Cæterùm scimus, diligentiam necessariam non esse eximiam illam, quam Celladeus proponit, nec posse esse nisi mediocrem, cujus scilicet ferendæ communitas fidelium est capax. Posuimus autem regulas, ex quibus scire possumus, quæ sit quæ non sit sufficiens diligentia. Et quidem Suarez, expressè ait, regulas, quas affert, esse certas pro foro interno. Sed hoc Suarii dictum Celladeus omittit, quia contra ipsum facit: primum autem Suarii dictum, *quòd regula certa in materia præsenti sit sufficiens diligentia adhibita vel omissa*, magnificè extollit, quia id sibi favere arbitratur. Verùm hoc est Lectori illudere; est enim solùm apparenter stare auctoritati Suarii, quia est illam approbare, quando favet, & quando adversatur illam respuere. Si enim illi standum est, æquè in utroque standum est, cùm in utroque casu dicat, rem esse certam. Demum diligentia, quam omnes, qui legem Dei servant, adhibent, non solùm comparanda est cum illa boni Magistri, boni judicis, boni discipuli; sed absolutè præferenda, quamvis in suo genere sit solùm mediocris, ut satis constat ex dictis.

Ultimæ instantiæ de mensura diligentiæ adhibendæ satisfit.

69. Hactenus examinavi, quæ Celladeus de ignorantiis pertractat *lib. 1. partis 2.* quæque ipse maximè fundamentalia habet, illiusque errores ac æquivocationes in multis detexi. In reliquis, quæ veri speciem obtinent, ostendi ea benignæ sententiæ non modò contraria non esse, sed in omnibus cum illa rectè cohærere, eamque potiùs confirmare quàm refellere. Spero autem fore, ut si reliqua secundæ partis hujus Auctoris ad manus alicujus Theologi cordati pervenerint, diligenter ea examinet, atque illa, si istis meliora non invenerit, solidè confutet; id enim bono publico, pacique animarum maximè proficuum arbitror. Ego omnia quæ ad meas manus venerunt plenè examinavi, nisi fortè nonnulla, quæ ad intentum principale non faciebant, ut suis locis indicatum est. Eadem de causa omitto ea examinare, quæ habet *quæst. 14. 15. & 16.* hujus primi libri, quia ad quæsitum principale de licito probabilium usu non restringuntur, sed ad alias materias excurrunt.

70. Quæstione 14. proponit plura Auctorum placita circa res, quas homo invincibiliter ignorare potest; eoque collimat, ut ostendat hoc ex ipsis objectis, eorumque materia, sive facili sive difficili, determinari non posse. Qua in re ita se gerit, ut omnia incerta relinquat & dubia, inclinando semper ad rigorem, & contra communem hujus sæculi Auctorum opinionem contendendo, ignorantiam juris naturalis numquam esse invincibilem; juris autem divini positivi, aut semper aut ferè semper esse vincibilem. Inter cætera absurdum reputat, omnes ignorantias de illis objectis esse invincibiles, de quibus gravissimi Doctores discrepant. Sed aliud in contrarium non affert, quàm quòd sæpe ostenderit, talem auctoritatem ad invincibilitatem ignorantiæ non sufficere, alioquin quivis Doctor gravis esset certa & infallibilis regula non peccati: sed quàm inanis sit hæc ratio, quamque ab omni veritatis specie aliena, fusè demonstratum est *quæst. 14.* ubi mirabile hoc ejus paradoxum funditùs eversum est. Similiter ibidem ostendi, nullum privatum Auctorem esse infallibilem regulam non peccati, sed ad hoc multa præter illius auctoritatem requiri, quæ ibidem exposita sunt.

Alius Celladei conatus ostenditur inanis.

71. Cæterùm nil clariùs videtur, quàm ea invincibiliter ignorari, circa quæ præstantissimi Ecclesiæ Doctores dissentiunt, & post omnem diligentiam ac studium dissentire pergunt. Quomodò enim superari potest ea ignorantia, quam tanta scientia, tanta diligentia, studium tantum superare non potuit? Nec recurras ad emundandi conscientiam, Deumque orandi necessitatem, &c. ista enim haud dubiè plurimi illorum Auctorum præstiterunt in gradu longè excellentiori, quàm sub præceptum cadat. Hoc tamen non obstante, Sanctissimi quique doctissimique Auctores, Thomas, Bonaventura, Raymundus, Antoninus, aliique, de eisdem contradictoria docent. Ergò alterutri errant. Ergò vel peccant errando, vel invincibiliter errant. At dicere quòd in eo peccârint, ad quod tota Celladei disputatio collimare videtur, est adeo absurdum, ut à nemine tolerari possit. Ergò ignorantia in talibus, & universim in hinc inde certò probabilibus est invincibilis.

Luculentum ignorantiæ invincibilis indicium.

72. Et sanè nisi ita esset, nemo Theologiæ, nemo Jurisprudentiæ, nemo Medicinæ, aut aliis artibus ejusmodi, nisi stultè operam navare posset. Si enim post studium diuturnum ac diligens, immo post Sacramentorum frequentiam,

ac non exiguam Deum orandi colendique diligentiam, omnis error esset vincibilis ac ad peccatum imputaretur, stultus esset, qui talibus officiis ac studiis se occuparet. Nemo enim esset, qui in multis non peccaret, cùm nemo non in multis à veritate aberraret. Nec oppositum prudenter sperari posset. Quæ cùm ita sint, mirum est, quòd Celladeus umquam ausus fuerit opus suum edere, cùm in omnibus fermè communes omnium opiniones impugnet, & ex propriis principiis peccet si erret, quia vincibiliter errat. Sed viderit ipse, quomodò de hoc Deo responsurus sit.

Celladei sententia de ignorantia invincibili Reipublicæ perniciosa; imo & Celladeo ipsi.

73. Quòd si quis adhuc dubitet, an directæ Doctorum dissentientium opiniones sint invincibiles, eò quòd rem quasi dubiam relinquant, &c. adhuc certè nulla esse poterit ratio existimandi, benignam sententiam reflexam, quæ objecta illa hinc inde probabilia in ordine ad novas circumstantias considerat, aut falsam esse, aut errorem vincibilem continere. Inprimis veritas ejus post omne studium, ab omnibus omnino Ecclesiæ Doctoribus per integrum sæculum tradita fuit. Nec de hoc ullum est dubium. Quin & Celladeus hac ipsa *quæst. 14. § 2.* hæc habet. *Profectò in doctrina fidei ac morum fieri nequit, quòd Doctores omnes Ecclesiæ, etiam unius ætatis, errent, & tamquam certam saltem tradant doctrinam falsam.* Cùm ergò constet, omnes Ecclesiæ scriptores per integrum sæculum docuisse usum etiam minùs probabilium esse licitum, & de usu probabiliorum id à fortiori dixerint, immò illud ut certum proposuerint (multi enim id de æquè, ac minùs probabilibus tradiderunt, dicentes rem esse certissimam) ex hoc ipso veritas talis sententiæ, ejusque invincibilitas tam clarè & efficaciter probatur, ut à nemine in dubium meritò revocari possit. Jam quæcumque Celladeus ponderat, quæcumque in toto opere maximè efficacia putat, nil prorsùs conducunt ad ostendendum hanc sententiam falsam esse, & multò minùs eandem, si in illa erremus, esse vincibiliter erroneam.

Differentia inter opiniones directas & sententiam benignam reflexam.

Quæstione 15. quærit, an peccatum ignorantiæ tolli possit, ipsâ ignorantiâ non ablatâ. Statuit autem cum communi opinione id posse simpliciter fieri, & nonnullos casus affert, in quibus id certum esse videtur. Verùm meo judicio nimis propendet ad partem arctiorem, quatenus omnia in dubium revocare conatur; quasi verò, nulla rationabilis regula statui posset, ad discernendum, quando peccatum, manente ignorantia, tolli possit. Plura etiam congerit circa obligationem Confessariorum & aliorum non celandi veritatem, quando pœnitens versatur in ignorantia sive vincibili sive invincibili legis. Pauca ex omnibus, quæ affert, mihi videntur probanda; ea tamen non examino, quia ad præsentem controversiam propriè non spectant.

Synopsis quæstionis 15.

Demum *quæst. 16.* contendit plurima dari ignorantiæ peccata, idque non solùm intra Paganos, Mahumetanos, omnisque generis Hæreticos, sed etiam inter Catholicos ipsos, de quo dubium nullum est. Causas etiam enumerat, propter quas ignorantia fieri voluntaria, & ignorantiæ peccatum incurri potest. Verùm in omnibus his multa habet, quæ limâ indigent, quam ego tamen hîc versare nolo, ne extra controversiam, quam examinandam suscepi, excurram. Itaque nil superest, nisi ut ex ipsis Celladei principiis ostendam, usum benignæ sententiæ esse licitum, nosque in ea sectanda à peccato esse immunes. Hoc autem per modum corollarii brevissimè præstare conabor, & sic finem scribendi faciam.

Synopsis quæstionis 16.

QUÆSTIO SEXAGESIMA-OCTAVA.

Vtrùm ex ipsa Celladei doctrina veritas benignæ sententiæ efficaciter stabiliatur?

Irritus Celladei conatus ostenditur.

HACTENUS examinavi universa Celladei fundamenta *de rectâ Doctrinâ morum*, in quibus tam longè abest à confutatione benignæ sententiæ, quàm propè existimat se metam attigisse. Pluribus in locis demonstrationes jactat; alibi argumenta sua tanquam insolubilia proponit; uno verbo, ubique fermè triumphum canit. Sed ego, loco demonstrationum, & argumentorum insolubilium, vix aliud quàm contradictiones, aut æquivocationes, vel argumenta de subjecto non supponente procedentia reperi, nec ullum librum Catholici scriptoris unquam legi, in quo tam parum veritatis inveni. Ex tota enim dictorum multitudine, vix paucas propositiones fide dignas observavi. Verùm illæ nostræ sententiæ non obsunt. In reliquis falsitatem detexi, & nè fallor, eam aliis etiam conspiciendam proposui. Meum non est hoc ex sensu meo exaggerare, sed merè proponere; nam an verum dicam, impartialis Lectoris judicio relinquo. Tantùm enim abest, ut suis argumentis, undequaque congestis, benignam sententiam labefactârit, ut illam potiùs plurimùm illustrârit, uti constat ex iis, quæ in ejusdem stabilimentum partim ex eo, partim contra illum protulimus. Itaque, ad complementum operis mei, ac ad intentum meum undique explendum, aliud non supereſt, quàm ut veritatem benignæ sententiæ ex ipsius etiam principiis ac doctrinâ, directè, clarè, atque efficaciter, sed breviter, atque per modum Corollarii convincam, eò quòd similia in anterioribus fusiùs dicta sint. Hoc ubi hâc finali quæstione præstitero, finem scribendi faciam. Sit ergò

ASSER-

ASSERTIO UNICA.

/ Primaria Celladei doctrina convincit, universalè probabilium usum esse licitum.

Primaria Celladei doctrina, ad quam reliqua omnia referuntur, apertè convincit, universalem omnium practicè probabilium usum esse licitum.

2. PROBATUR. Primaria Celladei doctrina, toto hoc opere tradita in eo sita est, quòd opinio verè probabilis, sive sit intrinsecè probabilis sive extrinsecè, ad conscientiam ritè formandam sufficiat, saltem si accipiatur cum onere, scilicet ut quando aliquid in contrarium affertur, diligenter inspiciamus, an exceptio illa meritò locum habeat. Si habeat, pars tutior tenenda est: si non habeat, licitum est formare conscientiam secundùm opinionem illam probabilem, atque secundùm eam operari. In hoc enim casu vel errat, vel non errat intellectus: si erret, errat invincibiliter, & homo ab omni peccato excusatur: si non erret, non solùm à peccato liberatur, sed etiam honestè operatur. Hæc est regula morum, quam proponit, immò hæc est doctrina, quam *rectam Doctrinam morum* Celladeus nominat, & ad quam stabiliendam opus totum direxit. Ex hac illius doctrina fundamentali sic discurro.

3. Qui sequitur opinionem extrinsecè probabilem, atque secundùm illam format conscientiam, non peccat, secundùm Celladeum, saltem si subeat onus, quod ipse requirit. Sed sententia benigna est opinio extrinsecè probabilis. Ergò qui sequitur benignam sententiam, & secundùm illam conscientiam format, non peccat, saltem si onus à Celladeo propositum subeat. Major est primaria ejus doctrina. Minor est indubitata, quia omnis opinio, quæ nititur auctoritate plerumque non fallente, est probabilis extrinsecè, ut ipse, & omnes docent; hæc enim est definitio probabilitatis extrinsecæ, ut patet. Sed benigna sententia nititur auctoritate plerumque non fallente. Omnes enim omnino, solo Celladeo excepto, in eo conveniunt, quòd licitum sit sequi opinionem probabiliorem, ut vidimus. Quod autem pertinet ad opinionem directè loquendo solùm æquè aut minùs probabilem, omnes Ecclesiæ Doctores per integrum sæculum expresè docuerunt, usum illius esse licitum, & omnes adhuc, pauculis demptis, etiam post præsentem controversiam exortam & continuatam, id ipsum tradunt. Et quidem tam doctrina & probitas, quàm numerus Auctorum benignæ sententiæ longissimo intervallo superat quidquid auctoritatis hactenus pro sententia rigida afferri potuit, ut fusè demonstratum est *quæst. 22. de Conscientia probabili.* At clarum est auctoritatem talem plerumque non errare, quia unanimis, aut certè communissima omnium fermè ac omnium omninò præstantissimorum Auctorum auctoritas plerumque non errat. Ergò benigna sententia nititur auctoritate plerumque non errante. Ergò est probabilis extrinsecè. Ergò qui sequitur illam, atque juxta illam format conscientiam, non peccat; saltem si subeat onus, quod Celladeus requirit. Sed nos hoc onus subivimus. Omnia enim olim contra eam proposita, in tractatu *de Conscientia probabili* examinavi, & quæ est Dei providentia atque veritatis conditio, ea non solùm non expugnare, sed potiùs confirmare benignam sententiam reperi, ut ex toto illo tractatu constat. Postea Celladeus integro volumine, rationibus undecunque magnâ ingenii vi repertis ac congestis, contra benignam sententiam insurrexit. Periculum deceptionis & erroris inculcavit; nil tutum fore, nisi rationes ipsius ptiùs examinarentur & insufficientes invenirentur, non tam edixit, quàm comminatus est. Hoc opus totum evolvimus, nil momenti aut dignæ exceptionis in eo invenimus, sed plura notavimus, ex quibus benigna sententia multò fortiùs stabilitur, quàm impugnatur. Rationes ipsius invalidas, nostrorum argumentorum impugnationes nullas esse comperimus. Ergò onus ab ipso requisitum subivimus, & post omnia examinata veritatem benignæ sententiæ fixam & inconcussam esse perspeximus, idemque omnibus conspiciendum proposuimus. Ergò si benignam sententiam sequamur, & juxta eam conscientiam formemus, ex ipsa Celladei doctrina perspicuè tuti sumus, & ab omni imputabilis peccati periculo immunes.

4. Idipsum aliter etiam probatur de singulis particularibus hominibus, maximè de rudibus, qui eorum directionem sequuntur, quos sibi propositos habent, & contra quorum sufficientiam non habent exceptionem rationabilem. Sic enim arguo. Qui sequitur auctoritatem plerumque non fallentem non peccat: sed rusticus, sequens Parochi seu Præpositi sui resolutionem, sequitur auctoritatem plerumque non errantem; constat enim tales homines plerumque non errare. Ergò rusticus sequens resolutionem sui Parochi non peccat. Idem valet respectu omnium qui aliorum auctoritate gubernantur; illi enim sequuntur regulam plerumque non errantem, maximè si contra sufficientiam sui Præpositi rationabilem exceptionem non habeant. Ergò tuti sunt ex principiis Celladei, qui tamen toto opere ita loquitur, ac si minimè tuti essent.

Onus quod Celladeus proponit sed cum non habet in rudibus.

5. Jam verò quod attinet ad onus ab ipso prætensum, illud locum non habet respectu idiotarum & rudium, quia ipsorum non est discernere, utrùm Parochus hîc & nunc erret, vel non erret; non enim capaces sunt ad hoc præstandum, quique hoc ab illis requirit, impossibile exigit. Præterea, Celladeo fatente, sufficiens diligentia adhibita ab eo, qui capax est, cum excusat. Ergò impossibilitas rem examinandi rusticum excusat, quia uterque ex æquo fecit quod potuit ac debuit. Ergò uterque ex doctrina Celladei excusatur. Itaque si Parochus teneat benignam sententiam, atque ex illa suum populum dirigat, per hoc ipsum locus datur usui benignæ sententiæ in tota sua latitudine, idque absque peccato, aut peccati imputabilis periculo.

Auctoritas favens benignæ sententiæ convincit ejus usum esse licitum.

6. Atque hinc iterùm à potiori benigna sententia confirmatur; quia si auctoritas Parochi aut cujusvis Præpositi sufficiat subditis ad conscientiam ritè formandam, quando nulla rationabilis exceptio contra illorum dicta apparet; quomodo Auctoritas benignæ sententiæ, id est, Auctoritas & unanimis consensus omnium fermè Auctorum ad conscientiam debitè formandam non sufficiet? Profectò talis Auctoritas rarò aut nunquam errat, maximè in rebus ad jus naturæ pertinentibus, qualis est præsens quæstio reflexa. Ergò tutò stamus tantæ Auctoritati, maximè postquam examinavimus omnes exceptiones in contrarium, easque invenimus esse prorsùs insufficientes & nullas. Ergò usus benignæ sententiæ licitus est juxta doctrinam Celladei. Et

dei. Ex quo iterum constat, eum in toto tractatu inconsequenter fuisse locutum, atque in ordine ad finem à se intentum frustra laborasse.

Celladeus in ordine ad finem à se intentũ frustra laboravit. Sed nõ frustra pro benigna sẽtentia.

7. In ordine, inquam, ad finem à se intentum, quia in illud potissimè collimabat, ut usum probabilium convinceret esse licitum. At hoc non obtinuit, sed oppositum ex primaria & primo intenta ipsius doctrina efficaciter stabilitur. Ergò in ordine ad hoc frustra laboravit. Sed in ordine ad stabiliendam benignam sententiam labor ejus valdè utilis extitit, quia veritatem illius, occasione impugnationis vehementissimæ, per accidens illustriorem reddidit, eò quòd ansam præbuerit profundiùs examinandi principia quibus nititur, ex quorum inspectione & veritas ipsius, & nullitas eorum, quæ contra illam objecta sunt, clariùs quàm antè patuerunt.

Rogatur Celladeus ut impugnationem sui libri æqui consulat.

8. Itaque ex hoc capite gratias tibi agimus, Celladee, Teque hac occasione rogo, ut impugnationem hanc æqui bonique consulas, nec ægrè feras, me contra Te scripsisse: hoc enim feci, tum ut communem omnium Auctorum, quos grandis periculi reos fecisti, causam agerem, illosque ab accusationibus tuis vindicarem; tum ut materiam hanc priùs à me vulgatam hâc secundâ scriptione perficerem, atque doctrinam ibi traditam ab iis, quæ Tu & quidam alius Theologus in eam objecistis, defenderem. Hoc autem me solatur, quòd sciam, me cum Theologo ingenioso ac docto congressum habuisse, qui proinde meritò præsumi potest impugnationem haud ægrè laturus, cùm sit conscius, se complures, atque omnes fermè Ecclesiæ Theologos integro volumine impugnasse. Proposui, Celladee, contra te, quæ mihi in libro tuo visa sunt notâ ac correctione digna; & metuo, ne plura in opus hoc meum, à Te & fortasse ab aliis etiam haud probanda sed notanda, congesserim. De illis non solùm patienter, sed, Deo dante, libenter à Te, & à quovis me admoneri patiar. Homo sum, nil humanum à me alienum puto. Si ergò quidquam consonè ad pietatem, ad fidem orthodoxam, ad bonos mores ad rationem rectam, à me dictum fuerit, id totum Deo, ejusque gratiæ adscribo. Si verò in aliquo, sive in paucis sive in multis, ab istis deflexi, si alicubi erravi, id totum mihi, ac imperfectioni meæ adscribo: nec ascribo tantùm, sed totum id, & omnia opera mea tam scripta, quàm scribenda, sapientùm correctioni, sed, ante omnia, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, Summi Pastoris, eorumque, quos ipse ad talia deputavit, censuræ ex animo submitto; tibique etiam Celladee, ex sinceriſſimo affectu valedico: sed hoc Te admoneo, ut seriò cogites, quàm periculosum sit in rebus moralibus à communi sapientùm, imo Auctorum omnium aut fere omnium opinione recedere. Dolendum sanè est, Te, in rebus tam periculosis, eximia talenta tua, doctrinam, eruditionem, subtilitatem, vivacis ingenii eloquentiam impendisse. Cogita quantum utilitatis Ecclesiæ, quantum commodi proximo, quantum etiam gloriæ Tibi ipsi pareres, si calamum & industriam ad communes morum ac fidei opiniones elucidandas addiceres. Hoc mihi semper hæret in corde, tritam Catholicorum Doctorum viam, communesque & unanimes Doctorum, tam in materia fidei quàm morum, opiniones esse tutissimas. Ergò has sequamur ad bonum proximi, sed potissimè ad laudem Summi Dei, cujus honori omnes meos labores omnemque industriam devotissimo affectu dedico.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

FINIS.



INDEX